VINEA CHRISTI,

SIVE

POLITIA ECCLESIASTICA,

AVTHORE

R. P. D. THOMA DE AQVINO,

Neapolitano, Clerico Regulari, S. Theologiæ & ſacrarum litterarum olim Profeſſore.

PRODIT NVNC PRIMVM.



LVGDVNI,

Sumptib. Hær. PETRI PROST, PHILIPPI BORDE, & LAVRENTII ARNAVD.

M. DC. XLVII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
PETRO
ALOYSIO
CARD. CARAFÆ.

AD Supremum Ecclesiæ Principem, iam titulo suo tumens, mea properabat Ecclesiastica Politia; vt ipsa vel picta ad illud sacræ Dignitatis fastigium accideret; quod vniuersus Christianus Orbis prostratus adorat. Verùm (EMINENTISSIME CARDINALIS,) secum reputans, quale & quantum opus tentaret, suam emetiens paruitatem ad Vicariam Christi Maiestatem, mente totâ, atque omnibus artubus fermè contremuit. Et vt ille ait,

Obstupui, steteruntq; comæ, & vox faucibus hæsit.

Hærens itaque dubia, proferre-ne pedem, an referre deberet; mente meliori, ad Purpuram tuam eò iustius decurrit, quòd post Apostolicam Maiestatem inspexit neminem, cui se fermè sacro Altari donarium aduolueret, quàm Eminentiam tuam. Par enim erat vt ad illum præueniret vmbra, cuius merita rem ipsam diu aduocassent. Placuit præterea acceptum à libello omen; rectâ enim ad Monarcham summum pergens, te petat; eò fortassis à virtute tuâ peruenturus, quò ab audaciâ suâ destinabatur. Porrò metam tam sublimem attingere desperabat ignoto authore, exaratus libellulus, nisi foret pedibus tuis aduolutus. Tu enim (EMINENTISSIME PRINCEPS) cuncta Ecclesiastica munera tantâ felicitate percurristi, vt promotus ad superiora, inferiora adhuc persistant in Tui laudem; haud enim obrutæ obliuionis vndis minores dignitates, emergente maximâ. Est natura syderibus, vt parua, & exilia, validiorum ortus obscuret: verùm lucent tibi astra, etiam oborto Sole, vt fortunatum lemma optimè congruat genituræ tuæ, *Feliciter omnia.* Onerâsti (EMINEN

nentissime Princeps) administrata à te munera meritis tuis, eáque seu palma ad superiora consurrexêre, tantóque impetu; vt peccâsset Innocentia ipsa, si te non duxisset ad purpuram. Illustratus Orbis Christianus luce tuâ, Te opperitur Solem, vt sacro diei præsis. Inspexére mortales Stemma tuum in sanctissimo Pontifice Religionis meæ Authore, Paulo IV. Petriclauibus coronatum. Idem inspicere iterum sperant ex meritis tuis. Hæc voti mei summa est, vt excellentissimæ stirpi debeat eadem Theatina familia, & quòd nobilissimo parente exorta, & quòd sanguine eodem fota, numquam fatalem falcem expertura, felicissimè efflorescat. Andreas Auellinus Religionis meæ præclarissimum sydus, Te protegente in Beatorum calculum euectus est. Te imperante in Sanctorum Album describendus erit. Tibi à ciuitate Neapoli, sanctissimi senis causam procuranti, obsequutus sum. Tibi obsequar cum acclamante toto terrarum Orbe; inter Orbis cælestis Diuos numerabis. Accipe itaque (Eminentissime Cardinalis) Politiam hanc Ecclesiasticam benignis oculis; Te enim aspiciente, despecta non ibit; à tuo lumine colorem, & pulchritudinem mutuata, su-

dum perſentiet cælum , non detractoris nebulis,non Momi caligine aſperatum. Suſtine igitur(EMINENTISSIME PRINCEPS,)vt Hercules inCoſmica hac tabula EccleſiaſticamPoliciam , in tempore laturus vt Atlas, veram. Vale diu ſoſpes.

Eminentiæ tuæ deuotiſſimus

D. THOMAS DE AQVINO,
Clericus Regularis.

ELO

ELOGIVM D. PETRO.

PATER-FAMILIAS.

HISCE vtcumque lineis, & calamo designatus

Tibi Antesignano Christianæ Familiæ Patrum Patri dicatus nunc esto,

Vicaria Cœli Mens, & Arbiter Petre.

Ecclesiam nempe repræsento, officia, gradus, nomina,

Formâsti ipse, quod ipse efformaui:

Amabisq; ceù tuum, quod Author ceù suum consecrat.

Quòd si sacra Res Romana, quam seriatim stylus censet,

Sydereæ typus Hierarchiæ, & imago est;

Aduolat in sinum tuum argumenti merito:

Quando sydera ipse & Romam rexisti primus.

Commentarij hi porrò mei,

Quem à lucubrantis ingenio cultum non impetrârunt,

A te sibi prolixiùs pollicentur:

Qui nôsti olim dum in mari excubares,

Non

Non tua, sed succedanea Pontificum Chlamydi
Florem purpura expiscari,
Gemmásque, & conchas Tiara illuminanda.
Quiq; exigua ratis Vela in Insulas, ac syrmata aurea commutâsti,
Addes tenui papyro decus, & pretium.
Hac spe bonâ fretus,
Culta isthæc à tuo Nomine Scriptorum donaria
Ad Aram tuam de genu venerabundus appendo.

THOMAS AQVINAS
Clericus Regularis.

AVTHO

AVTHORIS CONSILIVM,

ET INSTITVTI SVI RATIO.

POLITIAM Eccleſiaſticam, quam in mea Quadrageſimaliũm Euangeliorum decade, Romanis, ac Neapolitanis typis excuſsâ adumbraui; modò coloribus, ac luminibus ſuis exprimere animus eſt, vt numeris omnibus abſolutam, ceù ſacram imaginem Lectori meo tanquam venientem è cælo obiiciam.

Eccleſiaſticam gubernationẽ generatim primùm delineo, vt eminùs illam inſpiciens, ceù diuinam, & à Chriſto inſtitutam adoret, deinde propiùs accedens, iunctas ſacro fœdere benignitatem patriam, ac politicam maieſtatem admiretur. Feliciſſimam enim hanc cognationem, quamuis in Mundi cunabulis prima ætas in ſupremo parente (dum vnus erat mortalium omnium & parens, & princeps) inſpexerit, fatiſcentem tamen eam vidit, patrato primo ſcelere; mox abſumpto Adamo, extinctam. Per idem enim flagitium, quod hominem inteſtinâ pu- *In 1. libro.*

gna

gnâ in ſeipſum armauit, & letho patuit luctuoſa ſemita, dulciſſimus nexus nunquam in poſterum iungendus, præciſus eſt. Conſequentes ætates aliquando audierunt in Principatu benigniſſimum parentis nomen; parentem tamen, & principem nunquam inſpexêre. Verùm, quòd natura humana peccauit in primo parente, totam inficiens humanam propaginem, feliciſſimam cognationem politiæ, & œconomiæ corrumpens, Chriſtus Dominus diuino cruore in Eccleſiâ ſuâ inſtaurauit. Eundem iubens Principem, & Patrem, vnam ex politiâ, & œconomiâ gubernationem inſtituens. Decebat enim vt Regno Dei adueniente cælo, & telluri pariatis, dùm vtrobique eadem voluntas, diuina, æquè adimpleta foret, pari gubernatione, & cæleſtis, & Eccleſiaſticus Orbis regeretur, & quos ſimiles ſæpè adſtruxit Chriſtus, idem regimen vterque ſortiretur; Quòd ſi Eccleſia triumphans Patrem adorat in cælo, eundem militans adoret in terris. Eadem Patria poteſtas, & dominatus ſummo Antiſtiti, eius in terris Vicario conuenit, vt cum vtriſque vnum foret tribunal. (Quæ enim terris: eadem ſoluta, & ligata manet in cælo.) Idem eſſet & principandi in vrbanâ, & ruſticâ domo modus. Concordi igitur melodia vtraque Eccleſia ſummum Antiſtitem, & eius in terris Vicarium, Dominum, ac Patrem adorat.

Poſt veneratam ſanctiſſimam gubernationem, accedo propiùs ſacram familiam exploraturus, in quâ nullum intueor domeſticum, quem non regiis infulis coronatum inſpiciam. Ipſamet ſeruitus, miniſterium regale eſt. Pater enim ſuos domeſticos cæleſti charactere honeſtauit, vt ordinata foret, & decorata

In 2. librô.

corata ſacra familia, nec in cælo deperderet ornatum, quem in terris ſacer character ſignâſſet. Auget ſacram familiam primò Sacerdotalis dignitas, cui in Corpus Chriſti verum æqua ac Epiſcopis poteſtas, longè tamen inferior in Myſticum. Deinde ſeruitium omne enumero ſacræ Cœnæ deſignatum, & ſtupeo tum ad miniſtros, tum ad ceremonias, quibus Euchariſticus Panis, incruentum ſacrificium peragatur. Ad clericos tum ſæculares; tum regulares, ad Religioſos, & ad aſcetas omnes deſcendo: claudo in Chriſti familia quo pacto addiſcenda ſacra doctrina. Iconem ſummi Doctoris in Diuo Thoma adoro, claudo ſeruorum agmen virginum, ac ſanctimonialium choro, quæ quamuis nullo ſint ornatæ charactere, quo in Eccleſiaſtica militia deſcribantur; eſt tamen in illis lux, & candor, quibus cæleſtem æmulatæ aciem, diuino oraculo, Angelis ipſis coæquantur.

Gradior deinde ad Præſules à Patre cæleſti conſtitutos, tanquam fideles ſeruos, ac prudentes in familiâ ſuâ; ſuſpicio vitam, dignitatē, munera, mores, quibus omnibus ſua inſignia, & characteres appinxi. *In 3. libro.*

Aſcendo ad Regalem purpuram, quâ Eccleſia tota triumphans, & exultat Chriſti familia, tales nactá Cardines totius Orbis Chriſtiani. Tandem ſummum Eccleſiæ Caput, ſummum Præſulem, ſanctiſſimum Patrem, apud quem tota manet Eccleſiaſtica poteſtas, adoro; Appono etiam illi munera ſua, quibus hæc ſuprema Poteſtas ſuper omnes eminet, nimirum ſupremi Legiſlatoris, Magiſtri, Iudicis. Adiicio nonnulla de expeditionibus ſacris ac fidei propagatione.

In 4. libro. In Gubernatione Ecclesiastica descendo fermè ad praxim, qua oues Christi pascendæ sunt;& ne vineæ parabolæ deessem, doceo, quo pacto Vinea Christi putanda, fouenda, fodienda. Quale sit huius vineæ sepimentum, turris, torcular, & multa in hunc sensum trado.

In 5. libro. Ad sacra deuenio, quæ in Christi familia necessaria sunt, ceremonias, sacros ritus cursim delibo; sacra Templa, Altaria quo cultu veneranda, aperio. Quæstiunculam appendo, vtrùm diebus festis maior gratiarum cumulus, & laxiores se habeant diuinæ benignitatis fontes, quàm diebus ferialibus; in sacris feriis, quæ illæ sint, & quam clericos deceat quiesco.

In 6. libro. Tandem quasi bellaria post conuiuium, vt sedem Lectori meo, si quæ supersit, famem. Adieci appendicem ex Patribus, vt ad genium suum alios ex hac sacra vinea colligat fructus, tantò sapidiores, quantò sacrâ Patrum manu excerptos.

Hæc omnia in vnum coëgi, vt lectori meo morem geram, & in vniuersali Ecclesia viuens minimus omnium, si rem nullam, vota tamen mea consecro, sanctitatem illius adoro, cui me, ac mea omnia libenter submitto, calamum, labores, vitam. Tu interim (candide Lector,) me precibus tuis iuua. Deo Ecclesiæ suæ satori, ac Soteri commenda.

INDEX

INDEX LIBRORVM, ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

Pater-Familias.

De Gubernatione Ecclesiastica generatim, siue in communi.

LIBER SECVNDVS.

Christi Familia.

De ordinata Christi Familia, sed secundaria.

LIBER TERTIVS.

De proceribus, ac primoribus viris in Christi familia.

III. *Humi.*

LIBER QVARTVS.

De Ceremoniis sacris, ac Sacro cultu.

LIBER QVINTVS.

De Ecclesiastica administratione in Christi familiâ ex analogia ad vineam.

LIBER SEXTVS.

Ad

Ad admodum R. P.

D. THOMAM AQVINATEM.

De ipsius aurea dicendi facultate.

ALLVDIT IPSIVS LEMMATI,

Plantauit vineam, &c.

PArnaßi latices, & amœni florea Pindi
Culmina Pieridum ludicra linque cohors.
Altera vos reuocant nemorosæ gaudia siluæ,
Altera Apollineâ gratior vnda ciet.
Hic Charitum lepor & cœlestis gratia fandi
Nectareo felix vbere culta rigat.
Aurea virtutum soboles viret, aurea vernat
Germina, & auricomo cespite ridet humus.
Mendax Hesperidum ditat quid fabula ramos?
Veraci hoc dices carmine Musa nemus.

*** AD

AD EVMDEM,

SVB EADEM ALLEGORIA,

Plantauit vineam,&c.

FLoriferâ occurrit virtus redimita corollâ,
Formosoq́; ferens aurea mala sinu.
O quis odorato, dixi, sacra tempora serto
Ambijt? Autumni fœtibus vnde grauis?
Ne mirere: nouo florent mihi prata colono,
Et roseo Veris munere picta virent.
Quæ sanctum Elysium, fortunatumq́; viretum,
Deserui, insueti ruris amore trahor.
Ifthinc Pythonis Stygius procul egit amaror,
Huc Pithò ambrosio persita melle vocat.

Ad

Ad admodum R. P.

D. THOMAM AQVINATEM.

Laudatur eius dicendi ſuauitas.

Alludit verò operis Allegoriæ,

Plantauit vineam, &c.

HYblæos dum lenè ſonans Apis ebria flores
Sugit, & ambroſiâ roſcida prata legit.
Prodiga liquentes mellito fœnore cellas
Explicat, & dulci munere fundit opes.
Sic tua dum relego ruris florentia Tempe,
En fluit vndanti melleus amne liquor.
Hoc tamen Hyblæum ſuperas tu nectar, acuta
Illud apum ſeruant ſpicula, nulla tuum.

AD EVMDEM,

Alludit inſcriptioni de Gubernatione Eccleſiaſtica, & eidem Allegoria,

Plantauit vineam,&c.

AVreus inſuetâ ridens ex arborē ramus
Æneæ domitam qui dedit eſſe Stygem:
Mentito nemoris per amœna effloruit auro,
Mentitâ explicuit nobilis arte comas.
Vera tui quæ culta ferunt ſceptra aurea ruris,
Deuicta hac Stygij carceris antra domant.
Aurea quid memorat fama olim ſæcula, quando
Aurea nunc ruris germina ſceptra virent?

Ad

Ad admodnm R. P.

D. THOMAM AQVINATEM
Clericum Regularem.

GEntis Aquinatum exhaustam vim credidit Orbis:
Edidit vt Thomam stirps generosa sinu.
Te clarum ingenio, calamóque vt conspicit, vnum
Miratur Thomas Stemma dedisse duos:
Nec credit geminum: in te ceu migrauerit ille,
Te magnâ illius viuere mente putat.

MICHAELIS SILOS.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑ.

ΗΝ ποθέῃς μυστήρια, ἱερά τε πολλὰ δαῆναι,
Ὅσσαπερ αἱ ἱεραὶ ἐντὸς ἔχουσι βίβλοι,
Τὴν δ' ἱερὰν αἰεὶ χερσὶ μετέρχεο φίλτατε βίβλον
Ἔμπλεον ἱδμοσύνης, ἔμπλεον εὐσεβίης.
Εἰ δὲ μαθεῖν ἐθέλεις τίς ὁ γράψας ἔπλετο ταύτην,
Θωμᾶς θεῖος ἀνὴρ ἐστὶν Ἀκυΐνιος.
Ναὶ πολύαινος ἀνὴρ μεγάλων γεγαώς τε τοκήων,
Εὐσεβίην πρῶτος, πρῶτος ἐστ' ἐν σοφίῃ.

ἄλλο.

Τήνδ' ἱερὸν πολίτευμα κάμε χριστοῖο πολίτης
Βίβλον ἐπισταμένως θεῖος Ἀκυΐνιος
Θωμᾶς, ὃς σοφίης γε μέγα θεῖος ἔνδοθι φαίνει
Ὅθι διδασκαλίης οὐρανίης μετέχει.
Θεῖα νοεῖ, λαλέει τε, γράφει θ' ἅμα τ' [illegible]
Ἐκπροχέων μεγάλην ἀφθονίην χαρίτων.

ἄλλο.

Ἄμπελος ἥδε βίβλος χριστοῖο ἄνακτος ἴσα
Βότρυας ἡδυτάτους πνεύματος ἔνδον ἔχει,
Νέκταρ ἀποστάζοντας, ἀπορρεῖ δ' οὔποτε φύλλα
Θεσμάχεις ποιῆς, αὐτὰρ ἀεὶ θαλέθει.
Θωμᾶς ἐξεπόνησεν Ἀκυΐνιος πολύιστωρ,
Ἀρδεύων ταύτην ὀρθοτόμῳ σοφίῃ.

D. Gregorius Carafa Præpositus Generalis Congregationis Cleric. Regul.

HOc Opus inſcriptum, *De Politia Eccleſiaſtica* in Euangelium, *De Parabola Vineæ à R. P. D. Thoma Aquinate* noſtræ Congregationis Theologo compoſitum, cum iuxta præſcriptam P.P. quibus id commiſimus, aſſertionem fuerit approbatum, vt in lucem edi poſſit, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, ac ſolito noſtræ Congregationis ſigillo munitas Damus Veronæ x. Kal. Decembr. M. DC. XLV.

GREGORIVS CARAFA
Præpoſitus Generalis
Congr. Cler. Regul.

Appro

Approbatio Doctorum.

Nos infrascripti Theologię Parisiensis Doctores Carmelitæ, perlecto libro cui titulus est; *Vinea Christi,* siue, *Politia Christiana,* Authore R. P. D. Thoma d'Aquino Neapolitano, Clerico Regulari, Fidem facimus nihil nos in eo reperisse fidei orthodoxæ contrarium, aut à bonis moribus alienum. Actum in Carmelo nostro Lugdunensi die 10. Februarij 1647.

Fr. Stephanvs Molin.

Fr. Pavlvs Lombard.

Licentia Ordinarij.

Visa per nos RR. PP. in S. Theologiæ facultate Parisiensi authentica approbatione & attestatione super doctrina huius libri, cui titulus est, *Vinea Christi,* siue, *Politia Christiana,* Authore R. P. D. Thoma d'Aquino, &c. quâ asserunt omnia in eo contenta esse Orthodoxæ Ecclesiæ fidei consona, nihilque bonis moribus aduersum, illum prælo mandari, & in publicam vtilitatem prodire opportunum quoque censuimus. Lugduni die 10. Febr. 1647.

De Ville Prouic. Gen.

CONSENSVS.

VIsa Doctorum approbatione, non impedio, quin liber, qui inscribitur, *Vinea Christi*, siue, *Politia Christiana*, in lucem edatur ab Hæredibus Petri Prost, Philippo Borde, & Laurentio Arnaud, Bibliopolis Lugdunensibus. Lugduni 10. Febr. 1647.

LORIN.

PERMISSIO.

VIso Procuratoris Regij consensu, librum supradictum, à præfatis Lugdunensibus Bibliopolis typis mandari permisimus; ac ne quis citra factam potestatem denuo excudat interdicimus. Lugduni die 10. Februarij 1647.

DV SAVZEY.

LIBER

LIBER PRIMVS
DE
GVBERNATIONE ECCLESIASTICA
generatim, ſiue in communi.

Indiculus Capitum huius libri.

LIBER

LIBER PRIMVS,

DE GVBERNATIONE Ecclesiastica generatim, siue in communi.

Paterfamilias.

CAPVT PRIMVM.

Ecclesiasticum Regimen œconomico-politicum.

DEVS, qui in cælorum, terrarúmque Orbis structura, Iudicis maiestatem exhibuit; Ecclesiam suam plantauit, vt Pater; noluit vt iræ, minæ, animaduersiones vllę ecclesiasticum exasperarent cælum. In Sion monte sancto, sine tonitruorum strepitu, sine fulgorum interminatione, decreuit vt vulgaretur lex Euangelica. Vbi patria aderat suauitas, nullus poterat in familia subesse timor. Amari magis, quàm timeri, Pater cælestis desiderat. Eleganter S. Bernardus, cum Adamo loquens, hæc ait: *Noli fugere Adam, quia nobiscum Deus, ne timeas ô homo, nec audito Dei nomine terrearis, quia nobiscum Deus.* Facessat timor, vbi diuinitati adiuncta humanitas. Deus factus est homo, vt saluet, non vt iudicet Mundum. Angelus sanctissimæ Virgini salutem à Deo deferens, modum, quo nouus è cælo Rex foret moderaturus Ecclesiam, exposuit: *Regnabit*

Quàm fuerit Deus olim terribilis

Quàm benignus Deus, post Incarnationem.

Bern. serm. 2. de aduentu Domini.

Quare Ecclesia dicitur domus & regnum.

Luc.1.

gnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis. Quænam domus hæc? quæ simul Regnum est ingens, & immensum; quod nulli præscribent termini, nulli fines definient? Respondet Beda, *Domum Iacob Ecclesiam Angelus dicit.* Igitur Angelico ore Ecclesia, & Domus, & Regnum prædicitur. Etenim qui plenum in ea habiturus erat imperium, & Princeps esse debuerat, & Pater, eiúsque regimen, œconomico-politicum. A Chrysologo verè aurea traditur mixtæ gubernationis ratio. *Postquam Christus nostræ carnis suscepit onus, & Deus induit humanas exuuias; veraciter se Deus hominem vocat, Dominus Patrem se verè duorum nuncupat filiorum, quia humanitati permixta Deitas, Deitati cõsociata pietas, miscuit hominẽ, & Deum, quæ Dominũ vniuit in Patrem. Heloim,* hoc est, iudicis nomen sibi olim vendicauerat Numen, à sanctissimis viris interdum ille ita nominatus. Iacob à fraternis emergens insidiis accepti beneficij gratias Deo agit his verbis, *Nisi Deus Abraham, & Timor Isaac affuisset mihi.* Isaias de Diuino cultu ait, *Dominum exercituum sanctificate, ipse est pauor vester, ipse est terror vester.* Patris amor Principi accedens resarsit regimen, œconomiam politiæ iungens. Tunc verè & ex æquo regnãt, & in eadem sede morantur, Maiestas, & amor, quando idem est Princeps, & Pater. Deus, qui ab ipsis Mundi primordiis Mundum rexerat, prudentissimus princeps, descendit in terras, regnaturus optimus Pater. Proclamat Paulus: *Apparuit humanitas, & benignitas Saluatoris nostri.* Græcè est, philantropia, amor hominum. Ex alto cælo, iudex veniens, viscera matris intrans; viscera pietatis induit: Iudex, & Rex Orbis, fit Orbis misericors parens. Sacrosanctum Incarnationis mysterium, complurimi, ex doctissimis Græcorum Patribus, sanctam œconomiam dixère. Fortassis, vt innuerent Deum hominem factum, vt Mundum totum, veluti sub vna sibi congregaret familia, in medio terræ, inter domesticos suos regnaturum. Optimum tunc est Imperium, quando Principem habet Patrem. Recurrit ad sua principia gubernatio, cum œconomia politiæ iungitur, ideò perfectior, quia à suis non separatur principiis, & exordio hæret suo: Politia non aliam, quàm œconomiam parentem agnoscit. Filiam in

Beda Luc.1. Ecclesiæ regimen œconomico politicum.

Chrysologus serm.5.

Deus creauit cælum & terrã, in Hebræo Heloim, id est, Iudices.

Genes.31.

Isai.8.

Quando idẽ princeps, & pater, puta rex erga filiũ habet gubernationem œconomico-politicam.

Paulus 1. ad Tit.

Cur œconomia dicitur à Græcis mysterium Incarnationis.

Nazianzen. orat.42.

Iustin. Mart.

Chrysost.

Proclus.

in sinu matris cubantem aspicere; natam, ac parentem mutuis se blandientes deliciis inspicere quàm pulchrum! Tunc iustitia, & pax dulcissimis amplexibus se tenent: Tunc veritas orta de terra, & Iustitia prospecta de cælo.

Politia ab œconomia nata. Politia, & œconomia mutuis se fouent blanditiis.

Vrbis, & Orbis primordia, sic descripsit magnus ille Peripateticorum Princeps. A familia, vbi cum coniuge fœcunda viuit maritus, surgit domus, quæ pluribus nascentibus filiis, gliscente nepotum turba, cum illa infra vna mœnia compelli non possent, adiacentes excitantur ædes, quarum structura emergit Vicus (accommodatè ab Aristotele, *domorum vicinia dictus*) ex illo *Castrum*, ex Castro *Vrbes*; ex Vrbibus tandem *Regna*, & *Orbis*. Itaque si primo parenti par cum Mundo fuisset ætas, qui paruam fundauerat domum, Orbis totius temporum decursu extitisset domesticus princeps. Deus humanæ se attemperans conditioni, vt gentem sanctam, quæ æternam hæreditatem adipisceretur, in cælo formaret, non dedignatur ipse esse Ecclesiæ Christianæ prima domus. Adest generans Pater, genitus Filius, ab vtroque procedens Spiritus: æterna & sanctissima domus (parce Lector, si de diuinis humano more loquor) ab ipsa, & in se ipsa felix. A filio genita in terris familia, cui expansæ in Vicos, ampliatæ in Vrbes, in Regnum ter maximum protensæ, totus subiiceretur Orbis, & mortales omnes parerent. Sponsa itaque Christi, Ecclesia, non sterilis, sed fœcundissima, & læta tot filiorum parens, ad quorum multitudinem augusta ipsa imperia, angusta fuêre. Tunc & Sponsa, & Sancta parens, quando *Verbum caro factum, & habitans in nobis, dedit potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius.* Id eleganter obseruauit Beda, *Consideremus, fratres, quanta gratia Redemptoris? Vnicus ex patre natus est: noluit remanere vnus. Descendit ad terram, vbi fratres sint, quibus Regnum dare posit.* Quàm protensum regnum Christiana Ecclesia! de ea sub vineæ metaphora, Rex Hebræus, *Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.*

Vrbis, & Orbis quænam exordia. *Aristot.* Ciuitatum origo. *Arist. 2. Polit. cap. 1.* S. Trinitas prima domus, à qua deriuat Ecclesia. Ecclesia fœcunda, quando Verbum assumpsit carnem. *Ioan. 1.* *Beda hic.* *Psalm. 79.*

Prima tanti Regni origo, stabulum Betlhehemiticum fuit; ibi prima in terris Numinis domus: Inde tota deriuat Christiana Respublica, ibi agnoscenda erant regenerati

Primaria origo Ecclesiæ, stabulum Bethlehemiticum.

hominis exordia, vbi illum patrata scelera olim tumulauēre. Cum totus à Cæsare Augusto describeretur Orbis, tunc à Patre cælesti speciosissima hæc vinea plantatur: tunc fundatur sanctissima Domus; tunc œconomiæ longè antea ab Euangelico Vate prædictæ, felix faustúmque auspicium. *Hæc dicit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus in Ierusalem; quasi ciuis Hierosolymitanus*, ait Sancius, *qui ibi commodum, & gratum domicilium habet.* Cui expositioni fauet versio LXX. qui pro camino in Ierusalem, reddunt, *Beatus*, hoc est, *Deus, qui habet in Sion semen, & domesticos in Ierusalem.* Nec sine mysterio est, quod mixtus hominibus Dei focus annumeretur. Gaudet hic pater familias, exploratam mortalibus se excitasse in terris domum, quæ vt integra, & suis numeris absoluta foret, Pater, Mater, & natus puer adest: Ioseph, Maria, Iesus: in hac Orbis enumeratione, descriptum Virginis foculum, & in ea puerculum Iesum, egregiè probat Baronius, Nec seruus sanctæ familiæ deest: Bos, serui vicem implet, vt à pecore, Christi domus mendicaret seruitutem. Id paupercula in domo vsu esse, docet ex Hesiodo Aristoteles,

Isai. 31. LXX. interp. Sancius hic.

Versio LXX.

Baron Ann. 1. Arist. Hesiod.

Sit domus in primis, vxor, & taurus arator,
Bos namque tenuibus, serui est loco.

Ex hac Illustrissima domo, optima progenies, imperium ingens, infinita posteritas nata; quam prædicens Vates Hebræus, ait: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem, & possessionem tuam terminos terræ.* Rupertus premens Christi oraculum apocalypticum. *Ego sum Alpha, & Omega*, affirmat his verbis, innumeram filiorum Dei multitudinem, veluti sub latebra designatā, *Sciendum*, ait, *quòd Alpha vnum, & Omega apud Græcos octingentos significant, omnes enim literæ apud Græcos verba componunt, & numeros faciunt, & sicuti sunt quæque ordine posteriores, ita suis characteribus numeros titulant ampliores. Prima, vt iam dictum est litera, a, vnum; ω significat octingentos. Et in hoc nimirum, pulchritudo mysterij magna, & delectabilis est; quia is, qui vnus erat, filius vnigenitus, in fine sæculorum filios Dei secum, non quidem genitos, sed adoptatos habebit, quasi octingentos, id est innumerabiles, octo beatitudinibus, per diuersas mansiones dispertiendo*

Psalm 21.

Rupertus. Apocal.

Multitudo fidelium signata in illis verbis: *Ego sum Alpha, & Omega.*

do remuneratos, remunerando dispertitos. Domus Christiana Orientem, & Occidentem, Euangelij prædicatione iungens, Mundi terminos, suos constituit.

Fundat sanctam hanc œconomiam Christus Pontifex sanctus, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Tali Pontifici debebatur summa populi Christiani felicitas; ex eo causa gaudij ingens nobis infusa. Sanctissimus Præsul Ambrosius ait: *Considerate, Quis Pontifex est, & non habetis opus alio solatio.* Et maxima pax, & charitas summa, & spes certa, filiis sub tali parente, ac Pontifice natis allata est. Nullum discrimen, nullum dissidium erit, vbi omnia tranquillantur Christiana pace. Egregiè Augustinus, *Ad magnum*, ait, *genus pertinere cœpistis sub isto patre. Fratres sunt Imperator, & miles: Omnes Christiani in terra, diuersos habent patres, alij nobiles, alij ignobiles: vnum patrem vocant, qui in cælis est.*

Quod habeamus Christum Pontificem nostrum, lætari debemus.

Ambros. in hunc locum.

August. de Symb. ad cathec.

A Christo hausit Politia, quod non orba, & absque matre viuat. Cælestis hic Pater, matri suæ eam iunxit, ipse semper futurus Rex, & Pater. Separata quidem in aliis Principibus hæc fœlicitas, sed Ecclesiasticæ gubernationis propria, vt perpetuò, & sacro nexu Politia œconomiæ inhæreat, nulla futura in illa dominij, ac seruitutis fœda catastrophe, vt nimirum seruiant, qui olim fuerunt fratres, & dominij participes, & parêre cogantur, qui summum in alios habuere arbitrium. Heu! turpe hoc Politiæ ab œconomia dissidium, à peccato natum est. Sæua machæra pulcherrimum nodum præcidit. A peccato mors, à morte œconomici, & politici regiminis discrimen. Adam à Deo creatus, vt in homines, vsque dum cœlitibus associaretur, haberet imperium. Sed lethali noxâ infectus, factus mortalis, magno sui, ac totius naturæ humanæ dedecore, vnà vitam, & imperium posuit. An semper pertinaci odio dissident? nec erit, qui præcisas vnà iterum conflet. Surgit è cælo nouus Adam, mortem superans semper, & Pater, & Dominus; qui præcisam ab œconomia politiam solidè ferruminet. Eleganter D. Augustinus, *Duos parentes nos generarunt ad mortem, Adam, & Eua. Deus autem Parens, & Ecclesia mater, non ad hoc genuerunt, sed ad vitam æternam,* *quia,*

Sub Christo Patre, & Ecclesia matre, nõ est distinctio nobilis, & ignobilis omnes æquales.

Peccatũ Politiã ab œconomia diuisit.

August. serm. 46. in comm.

quia, & ipsi æterni sunt, & habemus hæreditatem à Christo promissam, vitam æternam. Dominium, & hæreditas felix vnio: Summus Pontifex, Christi in terris Vicarius, Princeps est,& parens. Sanctum Patrem illum dicimus, quem prostrati, vt ter maximum Principem adoramus. In sancta Petri Sede, Maiestas, & amor hac præcipuè tempestate moratur, qua Innocentius Ecclesiæ clauum tenet, qui moribus magis, quàm nomine ipso Innocentius est. Tanta in hoc Principe suauitas, vt nemo vnus, à sanctis illis pedibus discedat, qui post adoratam summi Præsulis Maiestatem, non suspiciat, non amet, non prædicet humanitatem. Cùm totus terrarum Orbis eius pedibus se prouoluet; tunc splendidissimus Sol fugabit nubes, quæ cælum nostrum deformant: tempora tranquillabit pugnacia felix oliuæ ramus, quem sacra hæc columba gestat ore suo. Turbæ non turbabunt Orbem, cum Principes omnes Innocentis, ac prudentis Columbæ arbitratu, regent suas vrbes.

CAPVT II.

OEconomia Politiæ, norma, ac idea.

DVm legis Deum sub patris familias nomine plantasse Ecclesiam, ne Euangelicam hanc vineam putes ruralem, aut agrestem, cui villicus vel plantandæ, vel custodiendæ iuxta Columellæ monitum præsit, *Villicus semper caueat, ne improuidus ab opere vincatur. Rus est rès agrestis, & insidiosa cunctanti.* Vinea hæc Ecclesiæ typus est: Qui plantat Deus, omni cura, cogitationéque in illam, non vt Princeps, & Dominus, sed vt pater incumbens. Sed quia Pater, Dominus, & Princeps optimus. Politici regiminis, œconomicum, idea, & exemplar est: tunc probus Princeps, quàndò bonus pater. Philo Iudæorum disertissimus affirmat; prudenti Numinis consilio factum, vt Ioseph Patriarcha haud foret in vrbe Princeps, priùs quàm domi præfectus; erat vtique in œconomia probandus, qui ad politicum

Columella.

Villici assiduitas in vinea.

Vinea Ecclesiæ typus.

Philo in vita Ioseph.

Ioseph in œconomia probatus, antequam destinaretur ad Politiam.

politicum destinabatur imperium *Oportebat*, ait, *futurum gubernatorem Reipublicæ, praexerceri in rebus œconomicis, nam & domus est parua ciuitas, & œconomia compendiaria Respublica, sicut etiã ciuitas magna domus est, & politia communis quadam œconomia.* Vnde facilè colligimus eundem idoneum esse administrationi politicæ, qui dispensationi domesticæ fuit, quamuis ea magnitudine differant. Sicut in picturâ quoque, aut sculpturâ vsuuenit, nam bonus statuarius, aut pictor, siue colossæas imagines faciat, siue pauca, paruáque opera, eandem artem monstrabit.

Sanctus Paulus potissimùm in Episcopo exigit, vt sit *domui suæ bene præpositus. Si enim domui suæ praeesse nescit, quomodò Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Ab idea ad ipsam rei extructionem, à principijs ad effecta, quæ inde sequuntur ducto argumento. Politia ab œconomia primùm defluxit: Qui in his principijs errat, in omnibus, quæ ad politiam pertinent iam errauit. Sanctus Bernardus acutè in homines inuehitur, qui consulere sibi nescientes, arbitrium tamen affectant in alios. *Miror*, ait, *audaciam plurimorũ, quos videmus de suis vineis non colligere nisi spinas, & tribulos, vineis etiam dominicis se ingerere non vereri. Fures sunt, & latrones, non custodes, atque cultores.* In exemplari peccantem, peccare in ipsâ excitatâ ædificij mole necesse est.

Ad Tim. 3. Bonus Episcopus priùs debet esse œconomus.

Bernardus serm. 30. in Cant.

Normáque si fallax rectis rationibus exit.
Omnia mendosa fieri, atque obstipa necesse est.

Lucret.

Corruit Politia, œconomia corrupta: hæc ab illa tanquam ab exemplari suo pendet. Rectè Socrates apud Xenophontem affirmat, *Bonos patres familias, bonos Imperatores futuros.*

Xenoph. lib. 3. memorab.

Qui architectonicam artem profitetur, magnificas constructurus ædes, haud manus ad opus mittit, quin miserit priùs oculos ad formam siuè ad ipsam ideam; quo pacto molem ædificij excitet, ac disponat, indè consilium accepturus. Rempublicam moderari volens, rem priuatam priùs, vt par est, studeat gerere: lumen illi ab hâc face, quo politicæ gubernationis tenebras illustret. Tunc enim optimus in Regno Imperator, cùm prudens in domo sua extiterit Pater.

Imitandi architecti in construendo politico regimine, in visendo propriè domus ideam.

Senec.ep.47. Non perperàm, mea quidem sententiâ loquutus est, qui domum *contractam quandam Rempublicam* nominauit. Seneca agens de diebus Saturnalibus, quibus seruis in Dominos erat iùs aliquod, ait, *Instituerunt diem sextum, non quo solùm cum seruis domini vescerentur, sed quo vtique honores illis in domo gerere, ius dicere permiserunt, & domum, pusillam Rempublicam indicauerunt.*

Innuêre hoc populi, quando suo abblandientes Principi, per summam laudem, *patrem patriæ* acclamabant, hoc est; Ducem sanctissimum, optimum Principem, prudentissimum, Reipublicæ moderatorem.

Pater patriæ cur tam honoratus titulus.

Plin. in Pan. ad Traian.

Hinc boni, ac modesti Principes, rati se tanto honore indignos, interdum nobilissimum titulum repudiauêre. De Traiano hæc Plinius iunior, *Quandiu appellationem patris patriæ tu recusasses.* Duplex in patris patriæ cognomento notabatur Principis præstantia; prudentia erga Vrbem vna, amoris altera erga Ciues. Sic Rempublicam moderari, vt minimè ab eius exemplari Princeps sit deuius, magna prudentia est. In omnes adeò incumbere, vt veluti ciues suos amet, & illis seu domui suæ, ac domesticis consulat, magnus amor. Chrysostomus putauit patrem familias in domo moderari vrbem. *Vniuscuiusque domus, ait, est Ciuitas: Vnusquisque est Princeps, & rector suæ domus. Et id quidem est euidens in domo diuitis, vbi sunt agri, & procuratores, & præfecti. Ego autem domum pauperum dicam esse Ciuitatem: sunt enim hic quoque principatus: vt pote maritus principatum obtinet in vxorem, vxor in seruos, serui in mulieres. Rursus viri, & mulieres in pueros, An non tibi Rex videtur quispiam, cùm tot habeat subiectos sibi Principes? Oportet & eum omnium esse peritissimum administrandæ domûs; nam qui scit variè, & diferenter his vti, scit aptos eligere principes, & eligit præclaros vtpote vxor erit domi Rex, aliàs dempto diademate. Qui scit hunc Regem eligere, alia omnia reget, & dispensabit.*

Chrysost. homil. 14. ad Ephes.

In vnaquaq; domo possumus vrbem reperire.

Paulus IV.

Pōtifices tūc Ecclesię bene prospiciunt, cum domum suam rectè gubernant.

In Pauli quarti ore Religionis meæ cū Beato Caietano Thienæo auctoris, ac parentis, mox ad Vniuersalis Ecclesiæ clauum euecti, hæc frequens sententia (vt mihi ex nostratibus fide dignissimi retulere) *Pontifex non malè Ecclesiam*

Dei

Dei moderabitur, cum domi sua bene prospiciet. Ad se flectebat sanctissimus senex, quod Rex Hebræus de se canit. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Sciebat domesticorum prudens moderatio quanti esset momenti in summo Præsulatu. Non rarò enim ex confusione Pontificiæ domus, Ecclesia ipsa damna multa perpessa est. Subditorum oculi perpetuò ad regnatrices ædes respiciunt, veluti ad cæterarum exemplar, indè tanquam ab idea suarum regimen exprimentes. Pontificale munus S. Augustinus domi reperiebat, ibíque modum quo quilibet eo rectè defungi posset. Pater familias, ait, *pro Christo, pro vitâ æternâ suos vnusquisque admoneat, doceat, hortetur, corripiat; impendat beneuolentiam, exerceat disciplinam; ita in domo sua Ecclesiasticum, ac quodammodo Episcopale implebit officium* Deus vt benè compositam familiam augeat, in medio domesticorum adest, vt illorum vnus, & ipse numeretur.

S.August. domi reperit quo pacto Episcopale munus exerceatur.

August. tractat. in Ioan.

Ad hunc sensum egregiè Clemens Alexand. sacrum effatum illustrat, *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Quinam*, ait, *sunt illi duo, & tres, qui congregantur in nomine Domini, in quorum medio est Dominus? An non virum, & mulierem, & filium tres dicit: quoniam mulier cum viro per Deum coniungitur.* Nobilior quali-bet Vrbe erit domus, quæ in familiâ Deum numerat. Quolibet Principe illustrior bonus pater, cuius familiam Numen ipsum tanquam domesticum implet. Est ergo domus, schola Principum, & Numinis habitatio.

Clem. Alex. lib. 3. strom.

Matth. 18.

Deus inter domesticos bonæ familiæ vult numerari.

Eò forsitan, veteres respexêre, qui domum veluti sacrum Templum dicabant Deo. Dauid pulchrum in suę domûs constructione composuit Canticū, cui titulus. *Psalmus cantici in dedicatione domûs Dauid.* Vbi id eruditè Vatablus in suis notis obseruat. *Pij homines dedicabant domus suas, consecrabant, & commendabant, custodia, & tuitioni Dei, cum solemni gratiarum actione, priusquam illis vterentur.* Dauid consecrando domum suam, modum, quo illam pater familias administrare debet, tradidit. Eusebius Cæsariensis acutè discrimen obseruat inter psalmos aliquot, qui inscribuntur, *Canticum*: & alios, quibus additur *Canticum psalmi.*

Antiquitus domus sacrabantur Deo, vt nunc templa.

Vatabl.

Euseb. Cæsar.

Discrimē inter psalmorū titulos.

B 2 Notat

Notat, primos tantum cantandos vocibus, alteros additis etiam instrumentis. *Tunc dicitur*, ait Eusebius, *Canticum psalmi, quando canticum, ad musicum canitur instrumentum: quando verò canitur vocibus, parcitur tamen instrumentis, tunc canticum tantummodo dicitur, non canticum psalmi.*

Euseb. Cas.

Pythagoras. Psalterium, exemplũ bene moderatæ domus.

Pythagoras affirmabat, vniuscuiusque domus, psalterium veluti exemplar, ac imaginem esse. Summa consonantia, & summa fidium concordia in psalterio reperitur. Quando vxor, liberi, serui concordant ad Patris familias pulsum, tunc suauissimum sonum, domesticum hoc psalterium edit, sacratæ, & benè administratæ domûs speciem exhibet, cum Deò ad vocum & psalterij sonitum, suam sacrauit domum; cuius bene administratæ, Deus, & ipsa pietas dicitur hospes. Rectè Cassiodorus ait, *Publici decoris mater est, mens regentis.* Deo, & hominibus placet bene composita domus. Huc refero, quæ Dauid de Hierosolymitano templo dixit, *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Decus totius vrbis domus est, suum seruans, decorem. Vt citharædus psalterium lepidè, & suauiter pulsans, singulari voluptate, & aures, & animos audientium mulcet; sic benè gubernata domus, non solùm Vrbem totam, ciues omnes lætitiâ afficit: verùm & exteros in amorem, admirationemque sui rapit. Regina Saba, non Hebræorum regni Politiâ, sed ad domus Salomonis œconomiam, obstupuit. *Videns autem Regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitationem seruorum, & ordinem ministrantium*, Vbi liquet, prudentissimam Heroinam, Salomonis domum magis quàm Regnum admiratam. Dauid vt benè regeret magnum illud Iudæorum Imperium, priùs domui consulere voluit, quam Vrbi. *Perambulabam*, ait, *in innocentiâ cordis mei in medio domus meæ.* In domo suâ veluti in centro positus, videns omnes, visus ab omnibus Rex perambulabat Vt ostenderet se non oscitantis, sed optimi, sedulique patris familiâs obire munus, lustrat omnia, prauos à familia eijcit, beneficiis fouet bonos, vt familiam probitate compleat. *Non proponebam ante oculos meos rem iniustam, facientes præuaricationes odiui.* Ostendit prudentissimus Rex summam bonæ

Cassiod. lib. 3. epist. 2.

Psalm. 17. Domus decora decus vrbis. Paterfamilias vt citharædo assimilatus. Regina Saba magis œconomiã, quàm politiam in Salomone admirata est. *3. Reg. 10.*

Dauid priùs suã composuit domum, vt posset regnum probè regere. *Psalm. 100.* Præcipuum munus patris familias, vt bona sit domus, & nulli in ea facinorosi.

bonæ gubernationis laudem esse, familiam à labe facinorosorum hominum defæcare. Ad extremum perorat ille. ***Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum; ambulans in viâ immaculatâ, hic mihi ministrabat.*** Tunc probus pater, cùm familiam suam vel seruat, vel facit probam. Sanctus Augustinus, illud Dauidis illustrans. Magnificate Dominũ mecum, ***Si amatis*, aït, *Deum, rapite omnes in amorem Dei, qui vobis iungantur, & omnibus qui sunt in domo vestra.***

Augustin. in Psalm. 33.

Aristot.

Incumbat sedulò pater in bene regenda familia, ipsa enim Regni forma, facies ac exemplar est. Aristoteles affirmat, ***primum in vnoquoque genere, esse causam cæterorum.*** Benè moderata domus, causa est, & idea Regni. Causa, quia ex domo vicus, ex vico Vrbs, ex Vrbe Regnum. Ideo dum peccat domus, labitur Regnum, tanquam vitiatâ formâ. Imperium totum à domo vitam, & spiritum haurit: sine his marcet Politia, & concidit fermè cadauer. Rectè Chrysostomus, ***Externæ Sapientiæ auctores aiunt, qui rem familiarem suam rectè administrauerit, reipublicæ prudenter poterit tractare negotia.*** Prauus parens, quando malis moribus suam corrumpit familiam, vnà, & Regnum ipsum venenis inficit, vtriusque factus pestifera lues. Ennodius in vitâ Epiphanij de prauo parente hęc ait, ***Vitia transmittit in posteros, qui præsentibus culpis ignoscit.*** Qui criminosos patitur, ad crimina hortatur insontes. Eleganter Saluianus, ***Parẽtibus filij non magis in patrimonia, quã in vitia succedũt, quod nõ magis facultates sumãt, quã prauitates.*** Corrigat itaq; se pater familiâs, obstructo malorum fonte, ad posteros nõ se expandant vitia. Cùm in se iudex, pater, & vindex; tunc erit & vltor, nedum suæ domûs, sed totius regni scelerum.

Domus causa & idea regni.

Subditorum oculi intenti ad domum regnantem.

Chrysost. homil. 10. ad Timoth.

Ennodius in vita Epiph.

Prauus parẽs, & domus, & regni totius pestis.

Saluian. ad Eccles. lib. 1.

Pœna patris familias malè moderãtis domum. Repentinus interitus mulcta patris familias.

Væ patrifamiliâs conniuenti in scelera, & minimè consulenti domui suæ, repentino occidet fato, in sepulchrum descendet mori nesciens. Eò Dauidicæ imprecationes tendunt, ***Nequitia in habitaculis eorum. Descendant in infernum viuentes***, Qui nequitias in domo sua fouet, inopinâ, & improuisâ morte absumetur. Vertunt alij, ***Exigat super illos***; Apparitores solutis virgis ad patrem familias pergunt, vt de malè administratâ domo, merita exigant supplicia; sic olim accidit stulto illi. ***Stulte hac nocte repetent animam***

Psalm. 54.

Luc. 12.

tuam. Pater itaque sit quolibet temporis momento ad rationem bene moderatæ domûs reddendam paratus, ab ipso enim, domui, vico, vrbi, Regno impendunt mala, vel bona. Cum sancto Asterio hanc notationem obsigno, & quod ille de œconomo iniquo, id ego de prauo patre familiâs affirmo. Premens verba, *Notum mihi fac numerum dierum meorum.* hæc ait, *Est vnius cuiusque nostrum exitus œconomi quadam, & dispensatoris effigies. Examinemus quid patitur, qui vitâ defungitur, & qui dispensatione abdicatur. Nam qui moritur, ad eundem planè modum administrationem tradit, atque œconomus; hic eijcitur ex agro: ille ex toto terrarum Orbe, tanquam ex aliquo fundo. Cedit œconomus labores suos, vineas, hortos, domus, mæstus inuitúsque relinquit: ille cui vita deserenda, quemadmodum affici tibi videtur? Nonne bona sua suspirat, & deplorat? Nonne Thesauros deamatos, suppellectilem miserabiliter circumspicit, ab his abstrahitur, & ad locum destinatum traducitur, talibus vocibus aures eius personant? Redde rationem villicationis tuæ.* De domo, de Vrbe, de Orbe rationem redditurus est prauus pater, fermè de malè administratâ domo corrupto politiæ exemplari.

Aster. hom. de œcon. iniq. OEconomus quàm strictè domus rationem reddat.

Luc. 16.

CAPVT III.

Domestica, & quotidiana Dei de Ecclesia sua cura.

SI Deum patrem familiâs, vel vineæ satorem consideres, in vtroque reperies perpetuam illius, & quotidianam de Ecclesiâ sua curam, quandoquidem vtrumque diurnam exigit sollicitudinem. Quis enim Pater, qui singulos dies domui suæ non prospiciat, ac prouidè non consulat? Aristot. 1. Politic. sic describit domus, ac familiæ gubernationem. *Societas illa, quæ omnium dierum est natura constituta.* Domus enim societate quadam constituitur in his, quibus diebus singulis familia indiget.

Communitas domus qualis.

Arist. 1. Polit.

Hinc diuersa ab Aristotele enumerata nomina, & voces, quibus à priscis philosophis olim domestici censebantur.

Charondas familiam vocat *homosipyos*, seu *penus socios.* Quos in vnam societatem cogit domus: rectè nominauit iuncto vocabulo *homosipyos*, quippe qui arca vna panaria viuuntur, quam Græci *sipya* dicunt. Epimenides *homocapnos*, seu *fumi socios* domesticos compellat: quasi eodem foco, & igne vtentes; sic enim hîc legendum ex veteribus libris puto, licèt quidam Codices habeant *homo-chypus*, doricè, idest, *eiusdem horti.* Vt vt se res habeat, his verbis, siue ad sui, siue ad veterum mentem loquatur Aristoteles, domesticos semper docet viuere vnà. Cæterùm, quæ ad domus definitionem pertinent, & quæ hîc ab Aristotele traduntur, optimè in Ecclesiam à Deo plantatam quadrant, & ad domesticam, & quotidianam operam, quâ Deus veluti Pater, domui suæ incumbit. Idcircò supra annuimus Ecclesiæ administrationem, & ipsum augustissimum Incarnationis mysterium, à quo sancta sua primordia sumpsit Ecclesia, interdum sub œconomiæ nomine insinuata: Vndè Basilius Seleuciensis ait, *Audiens quòd carnem accepisset, animatam œconomiam generis humani perfecerit.* Quod & nos supra cum Nazianzeno, Iustino, & cæteris doctissimis Græcorum Patribus firmauimus.

Charond.
Epimenid.
Dei cura œconomica de sua Ecclesia.
Incarnatio œconomia dicitur.
Basil. Seleuc. orat. 4. contra Arrium.

Cùm igitur de Ecclesiæ fundatione, ac satione sermo sit, Pater familias inducitur, veluti domum ædificans, vbi vna arca panaria est, ad fideles cunctos, domesticos Dei appellatos, qui præcipuè in Sanctissimo pane communicant, quasi ex vna panaria Cistula conuictores. Hinc filius Dei, noster factus parens, parentem suum orat, vt quotidianum filiis suis elargiatur panem. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Vbi Chrysologus inquit, *Qui patrem se nobis dedit, qui sibi nos adoptauit, qui rerum nos fecit heredes; ipse nos, vt panem quotidianum postulemus adduxit. Panem quotidianum.* Basilius vertit, substantiale hoc, inquit, ad quotidianam vitæ nostræ substantiam vtile. Theophyl. Qui substantiæ ac sustentationi vitæ nostræ cõducit. Syrus, *panem indigentiæ nostræ.* Vbi pater familiâs, ibi quoque sunt filij, qui vnà viuunt, quibus ex panaria cistulâ datur panis diurnus. Si verò domestici denominantur ex Epimenidis sententiâ, vnius foci, & homocapni, accommodatissimum est

Communis vnitas panis inter Dei domesticos.
Matth. 16.
Petr. Chrysol. serm. 67.
Basilius.
Theophyl.
Syrus.

est etiam Christianis nomen, quibus in eadem commorantibus domo, non modò idem baptisma, eadem fides, atque adeò idem ignis est, sed penè cor vnum, & anima vna in singulis, quales in primæuâ, ac sanctissima Ecclesia describit Lucas, *Omnium credentium erat cor vnum, & anima vna,* Vel si mauis homochypum dicere, domesticum, id est vnius horti. Et hoc optimè congruit, dum vna est, quam Pater familias plantat, vinea. Præclarè ad rem nostram sacer auctor, vt domesticam hanc, patriámque curam traderet, ait, *Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos.* Vbi Hugo. *Vt pater in domo, & vt hortulanus in horto, sic in nobis est Dominus.*

Act.4.

Idem hortus filiorũ Dei.

Ierem.4.
Hugo Card.

Sed, vt ad quotidianam, diurnámque curam redeamus, quam hic Pater de domesticis suis habet, testem, vt ita dicam, diuinæ sollicitudinis sanctissimum Iob aduoco, qui de Dei erga hominẽ amore hæc verissimè fatur, *Visitas eum diluculò & subitò probas illũ.* Hoc est, singulis diluculis, quotidie recentibus, & præclaris beneficiis hominem cumulas. Hæc te prima illius tuendi cura, & quotidie amplificandi, tangit: quæ adeò in immensum inoleuit, vt sapiens ille Idiota eam se posse dimetiri intellectu suo prorsus diffidat. *Non potest intellectus meus modicus capere, aut comprehendere infinitam misericordiam tuam mihi nequam peccatori exhibitam, quam etiam exhibes omni die.* Pende paternam illam, diurnámque curam, quæ Deo ne dum vt Principi, sed tanquam Patri est de suis.

Iob.7.

Sollicitudo Dei erga hominem inexplicabilis.

Idiota de vita cursu, cap.18.

Quæ omnia tradit egregiè Regius Vates affirmans Dei domesticos, de his, quæ exigit diurna hominis vita, securos fore cum prudentem, ac prouidum sortiti sint parentem. *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Experimento namque suo iubet Dauid vt Dei domestici, se, suáque Numini, vt parenti Sanctissimo credant. Iacta te igitur, ô qui domum Dei colis, quæ ad vitam tuam pertinent, in Dominum. In dies cura illi erit, cuncta tibi ministrandi. Hoc etiam Petrus, verè ciuis sanctorum & Dei domesticus suadet, *Omnem sollicitudinem vestram proÿcientes in eum, quia ipsi est cura de vobis;* Hanc, si ex tuis, in Patris familias humeros transtuleris, haud ad suam iniuriam factum putabit, sed

Psalm.54.

In Deo cura nostra proiicienda.

1.Petr.5.

ſed tanquam patrio onere grauatus, te enutriet. Pende cum noſtro Agellio Græcanicum verbum *Diatrepſi*, enutriet, quaſi per tempora, diéſque ſingulos ſubminiſtraturus taxatum ad menſuram diurnum cibum. Patrisfamilias hoc eſſe munus præcipuum patet ex Euangelico illo œconomo, de quo ſic Lucas, *Quis putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram?* Hoc eſt vt ait Cyrillus, *Opportuno tempore diſtribuens prudenter cibaria famulis.* Cæleſtis Pater nutriturum te, ſpondet: hoc eſt, ad diurnam menſuram daturum cibum, quem ſiuè ipſe, ſiuè per œconomum impartiatur; omnia à Patrisfamiliâs benignitate deriuant tanquam à fonte.

Agell.l.ſ.11.

Luc.12.

Cyrill.hic.

Si verò à domus curâ, ad illam tranſeamus, quæ de nouellâ vinea habenda erit, id exactiſſima ſolicitudo, quam pater adhibere debet in recens plantatâ vineâ, etiam ſuadet, de quâ ſic Columella. *Omne genus ruris, niſi diligenti curâ, ſcitéque exerceatur, fructuoſus eſſe non poteſt ager, tum vel maximè vinea: Res enim eſt tenera, infirma, iniuria maximè impatiens, quæ plerunque nimio labore, & vbertate conſumitur, perítque, ſi modum non adhibeas fœcunditati ſuæ.* Deſcendens ad vineam mox plantatam hæc addit. *Nouella verò dum adoleſcit, niſi omnia iuſta perceperit, ad vltimam reducitur maciem, & ſic intabeſcit, vt nullis deinde impenſis recreari poſſit. Igitur ſumma cura ponenda.* Sed quam præſcribit adhibendam curam Columella, nulla eſt, ſi cum illa, quam ſuæ exhibet vineæ hîc Pater familiâs componatur. Iſaias inducens Deum vineæ cuſtodem hæc inquit. *Ego Dominus, qui ſeruo eam, repentè propinabo ei.* Attende cum in ſeruando, tum in propinando, maximam vinitoris ſollicitudinem, *Seruo* more excubiarum, & cuſtodis perpetuò vigilantis, qui, vt exploratiſſimum vigiliarum indicium tribuat, ad ſingulas horas pulſat campanulam, qua arcis cuſtos ſingulis horis vigilans innoteſcat Vrbi: Sic Deus probatur vigil, horis ſingulis, ſeruans ſuam vineam. Subdit. *Repentè propinabo ei.* Repentè, actionis, ac officij repetitionem ſignat; ac ſi dicat, ſingulis penè momentis, ſuo nunquam interrupto officij curſu. Concinit textus linguæ ſanctæ, qui

Vinea, & maximè recens plãtata, ſumma cura cuſtodienda.

Columella.

Iſai.27.

Vineã Eccleſiæ ſuæ maxima ſollicitudine gubernat Deus.

accom

Hebr. accommodatè verti posset, in singula momenta. *Propinabo*, multi vertunt, *rigabo*. Opportunè Dei benignitati, & Patris familias prouidentiæ, qui in singula momenta irrigat illam, vt perpetuò vernet. Rectè conueniunt *propinabo*, & *rigabo*; qui enim vineam irrigat, pocula veluti sitienti propinat, illa reddìtura cum fœnore; nimirum pro aquâ vina optima. Sic Deus effundit gratiam, eámque propinat Christianis; vt sitim explcant, & vinea redundet vberrimis fructibus: id tunc potissimum erit, cùm defæcata vindemia colligetur fructuum mẽsura coagitata, & superfluens in cælo. Pero ro, Deo, quà Patri, quà Ecclesiæ Christianæ Satori, & Soteri, maximam esse, ac diurnam de eâ sollicitudinem, ad momenta penè singula.

Caput IV.

Humilitas vniuersalis Reipublicæ Christianæ character, præcipuè Præsulum.

VT inconcussum, ac firmum perpetuò staret Ecclesiæ regimen, ne in illam Tartareæ inferorum fores inualescerent, voluit Christus Rex regum Ecclesiæ suæ fastigium humilitate firmare. Constans est, & è Reginæ cælorum ore pronunciata lex, Deponatur de sede superbus, exaltetur humilis. Eleganter S. Bernardus, *Hoc primum, & maximum indicium, quod illa conscia secretorum aperuit Virgo Maria. Deposuit*, inquiens, *potentes de sede, & exaltauit humiles.* Deponatur superbus, indignus sede: ascendat humilis cui tantum Præsulatus, & infulæ adornantur. (Bern. ser. 17. in Cant.)

Præclarè Ambrosius, *Bona humilitas, quæ etiam in Christo laudem virtutis inuenit, hanc in illa plus veneror quàm creationem.* Adstruit omnia inductione pulcherrimâ Bernardus, quam Apostolorum Iacobi & Ioannis enumeratione eleganter clausit. *Moyses quoniam multum præsumebat, de gratia & familiaritate quã inuenerat apud Deum, aspirabat* (Ambros. in Psalm. 118.) (Bern. ibid.)

ad quandam visionem magnam, accepit pro eâ visionem longè inferiorem, ex quâ tamen aa ipsam, quam volebat, posset aliquando peruenire. Iob cum post insignem triumphum, tantam, & tam probatam patientiam largâ remunerandam benedictione censeret, prius in multis, & districtis percunctationibus humiliare curauit, & sic parauit viam benedictioni. De Apostolis sic perorat, *Filij quoque Zebedæi in simplicitate cordis sui ambulantes, magnum aliquid, & ipsi ausi sunt, sed ad gradum nihilominus sunt redacti, per quem fuerat ascendendum.* Si humiliter te demittis, pes tuus in gradu iam est, quo cælum ascendat. Ministret priùs, qui vult postea maior esse. Christus ab humilitate magis, quàm à creatione commendatus: Repeto Ambros. in Psalm. 118. *Bona humilitas, quæ etiam in Christo laudem virtutis inuenit. Hanc in illo plus veneror, quàm creationem.* Paucis interiectis. *Quanta fecit Dominus audeo dicere, non flexi genu, sed flexi ei, postquam se humiliauit;* Humilitas magis, quam sublimitas adoratur.

Ad maiora per minora paratur via.

Ambrosius Psalm. 118.

Suadebant discipuli Christum vt templum peteret vt ibi sua patesceret miraculorum gloria: Renuit ille, inquiens. *Tempus meum nondum aduenit.* ibi egregiè August in Gloss. ordinariâ. *Dabant enim illi consilium, de consequendâ gloriâ v lui seculariter; & terreno affectu monentes, ne esset ignorabilis, & latitaret Sed Dominus voluit ipsam celsitudinem, per humilitatis viam sternere.*

Idem Dominus Apostolis suis ad celsissimos thronos destinatis, amarissimum passionis calicem propinauit, quia stabile firmumque iter humilitate ad honores parabat. Humiliatio tuba est, quâ Christus homines ad dignitatum coronidem euocat. *Quoniam*, inquit Bernardus, *rem grandem postulare videntur, reprimuntur sane austeriori responsione, sed sanè vtili Oportet namque humiliter sentire de se, nitentem ad altiora: ne dum super se attollitur, cadat a se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus; & quia nisi humilitatis merito, maxima, minimè obtinentur, propterea, qui prouehendus est correptione humiliatur, humilitate meretur. Tu ergo cum te humiliari videris, habeto id signum in bonum, omnino argumentum gratiæ propinquantis: nam sicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur.*

Bernard.

tur. Bonum omen: Humilitas veniens è cælo, est dignitatis indicium.

Verùm, rationem adiicio, cur omnis Christi familia pęcipuè Pręsules oporteat, vt sint tam humiles. Ex Paulin. Oraculo Pręsul virtutum coronâ laureatus sedere debet in sua cathedra, *Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, modestũ, pudicum, hospitalem*, &c. Quippe Præsul non homo infimæ sortis, paruo contentus censu, humili lare, vnus è plebe viuet, sed vt princeps locuples, splendidus, diuitiarum plenus, apud quem non tantummodo virtutes, sed videatur ibi cælesti benignitate effusus virtutum omnium thesaurus. At nullus locuples virtutum census, nullus thesaurus sine humilitate reperitur. Hæc enim secum & attrahit virtutes, & fidelissimè custodit. Hinc humilitas vt *virtutum thesaurus* à sanctiss. Hipponensi Episcopo Augustino laudatur, *Redemptor mi expelle à me spiritum superbiæ, & concede propitius thesaurum humilitatis tuæ.* Virtutes cæteræ, ex Augustini placito, fulgentes sunt Margaritæ, humilitas præ cæteris sola thesaurus est.

1.Tim.4. Humilitatẽ, qui habet, virtutum habet thesaurũ.

Augustin. 1. medit.cap.1.

Hæc, virtutes omnes hospitio accipit; hæc fidelissimè, & secretò fouet. Mansuetudinem in primis, illius veluti carissimam sororem & ab eodem pectore sugentem vbera. Eleganter Bernard. ait, *Collactaneæ sunt, humilitas, & mansuetudo. In eo confæderatæ germanius, qui dicebat. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Spes, & fiducia in Deum, virtutes magnæ, sed depromptæ ex thesauro humilitatis, Mellitissimè idem. *Is verò fidelis, qui nec sibi credit, nec in spe sperat: factus tanquam vas perditum, sed sic perdet animam suam, vt in vitam æternam custodiat.* Charitas, & humilitas mutuis se fouent obsequiis. Redeat Bernardus, *Super hæc, Quæ de sociali vitâ, & fraterna dilectione, de bonis operibus, ac feruore sanctò dicta sunt; humilitatis virtus maxima, maximéque necessaria est: vt honore præueniamus inuicem. Nec modò priores, sed & ipsos iuniores sibi proponat, quæ nimirum humilitatis perfectio est, & iustitiæ plenitudo.* Castitas ab humilitate deriuat. Pulchrè Gregorius, *Sic elati iustâ fuerint retributione feriendi; vt qui superbiendo, se hominibus prætulerunt, luxuriando vsque ad iumentorum similitudinem*

Mãsuetudo, & humilitas collactanea.

Bern. serm. de Virg. ex verbis Apocal.

Fiducia in Deum cum humilitate coniungitur.

Bern. serm. de Purific. de ordine, ac modo processiõn.

Charitas ab humilitate est.

Gregor. lib. 27. mor. c. 1.

nem deuoluantur. Et paulò post. *Intus videt Deus, quod mentem eleuat, & idcircò permittit foris inualescere, quod deponat.* Ergo humilitas est, quæ candorem castitatis seruat. O magnum thesaurum virtutibus plenum Bernard. serm. 1. de Natiuit. *Studete humilitati, quæ fundamentum est, custósque virtutum. Sectamini illam, quæ sola potest seruare animas vestras.* Expende quod supra ipse Bernard. ait, *Humilitatis perfectio est, & iustitiæ plenitudo.* In humilitatis stat summa virtutũ coronide, hâc cæteras omnes dimetiri possumus. S. August. in Psal. 130. *Quandiu hîc viuitur, ipsa perfectio est humilitas.* Qui humilitate cæteros antecellit, iam sanctitate superauit. Quotusquisque verè humilis, qui virtutibus omnibus non sit ornatissimus? Bernard. *Omnis itaque virtus nostra, tam longè est à virtute, quàm longè fuerit à formâ, quæ est humilitas.* Præsul igitur verè humilis, implet Pauli legem, vt sit irreprehensibilis, modestus, pudicus &c. Omnes fermè virtutes, in vnâ humilitate tenens.

Bern. serm. 1. de Natiuit.

Perfectio in humilitate consistit.

Bernard.

August.

Bernard.

Verùm, Episcopus, qui superbè, & ambitiose ad Christi sedes ascensum suum tentat, ingenti sui damno experietur ruinam, ab ipsis pulsus sacrarum infularum ianuis. Cùm enim arctæ semitæ, & angustæ fores sint quâ ascendimus, & quâ intramus ad thronos, vix contendit superbus ad dignitatum fastigia, ac humilis ianuæ limiti impinget frontem; retrorsum cadens peribit percussus lethali ictu. Id eleganter Bernardus, *Est autem grande malum, horrendúmque periculum, si vel modicè, plus verò te extollas: quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare (vt ad intelligentiam loquar) nimiùm bassum sit, non nocet quantumcumque te inclinaueris: nocet autem, si vel transuersi digiti spatio, plusquã ostij patitur mensura, erexeris, ita vt impingas, & capite quassato collidaris: sic in animâ non est planè timenda quantalibet humiliatio: horrenda autẽ, nimiúmque pauenda, vel minima temerè præsumpta erectio.* Concludit, & rectè. *In nouissimo loco recumbendum, & omnibus cedendum.* Eò etiam tendunt Guerrici minæ. *Vos filij Adæ, qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in Gigantæam enormitatem, & superbiam excreuistis, nisi conuersi fueritis, effecti sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum*

Superbi à cathedris excludi debẽt, ne cadant.

Bern. ser. 17. in Cantic.

Guerr. ser. 1. de Natiuit.

calorum. Ego sum ostium regni, ait paruulus iste: nisi incuruetur altitudo virorum, non eos admittet humilitatis ianua. Ideo nimirum conquassabit capita in terra multorum: & qui elati accedunt, repulsi, capite illiso cadent retrorsum. Casus retrorsum occasus est: non manus, non pes adiumento erit quo suum temperet casum: cadens concidit ferme cadauer. Caueat itaque superbus ab humili, & demissæ ianuæ ingressu.

Qui humilior, ipse & dignior.

Quò humilius quis, eo dignius Præsulatum accipit. Christus in terrarum descendens Orbem, supremum regimen suscepturus; Mundum ingreditur iam super Sion montem sanctum Rex constitutus, vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Quis Præsul, vt gigas, humilem Ecclesiæ ianuam intrabit, ad quam Christus nonnisi paruulos vocat?

Humiliari debemus, post Deum humiliatum. *Guerric. ibid.*

In superbos, & ambitiosos inuehens Guerricus ait, *Adhuc magnus es in oculis tuis, postquam Deus paruulus factus est sub oculis suis. Ille semetipsum exinaniuit, vt penè videretur esse nihil, sine quo factum est nihil, & tu in immensum inflaris, & extolleris, existimans te aliquid esse, cum verè sis nihil.*

Christus non elatus mundano tumore, sed humilitate ac Cruce, ad sublimia euexit Ecclesiam suam. Hinc canit illa. *Deus, qui in filij tui humilitate iacentem Mundum erexisti.* Iacet ille, vt quomodò erigaris te doceat.

Virgo ad fastigium cognationis diuinæ elata, à Deo tantum secunda, creaturis omnibus præcellens, humili semitâ gradiens ad tam excelsum dignitatis thronum sublata est; humilitate enim, veluti itinere complanato, ad Dei parentis Maiestatem peruenit. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Fecit in me magna qui potens est.* Hinc Virgo, tantùm de humilitate pensum habuit, vt si quis de hac virtute, vel de puritate dubitare voluisset, hanc potiùs quàm illam sustinuisset adduci in discrimen. Puritatem tunc contegens magis, cum ipsa proderet se magis. Purificationis lex, erubescebat matrem Virginem interrogare, illam quippe parientem puritatem, quâ partâ, virgineus candor non minuitur, sed sacratur. Tamen Virgo sustinuit legem,

Humilitatē pluquā puritatem æstimauit Beata Virgo.

gem, vt celatâ puritate glisceret humilitas. D.Thomas, quamuis in ea fuisset sententiâ, quæ opinatur à principio non extinctum in Virgine fomitem, sed ligatum; tamen vix Virgine enixâ Deum, factâ iam Matre, vt adauctam demonstraret à partu puritatem, extinctum iam fomitem affirmauit. Etenim quando splendidius vibrabat puritatis candor, tunc potissimum tegebatur, vt clarescerer magis humilitas. Virgo, vt aliæ matres, nullo facto discrimine à cæteris, Templum petit, nè vt mulier diuinas leges contemnens haberetur. Id totum elegantissimè Guerricus, *Quid enim in ea verificandum esse potuit, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo permansit? Immò quæ in ipso conceptu planè purificata fuit, si quid fortè minus puritatis ante habuisset? Quid igitur mundanum habuit conceptus iste, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine? Qui fontem Domus Dauid, qui hodie patet, indefessè scatet in ablutionem peccatorum, & menstruatæ. Suscepit tamen viator totius puritatis purgationis legitimæ speciem, vt simul, & obedientissimæ humilitatis virtutem, & Euangelicæ purificationis insinuaret puritatem.*

D.Thom.

Guerr. ser. 1. de Purific.

Virgo cur purificari voluerit?

Sacris ac purissimis Matris Dei vestigiis inhæreat Præsul, si ambit vt pastor bonus, non fur, aut mercenarius dignitatis ianuam intrare. Episcopus Bracarensis vir singulari præditus virtute, sic eleganter Prælatos alloquitur, *Quid igitur aliud exemplar status vestri quæritis, ô Pastores, quàm Dominum Iesum? Cur putatis iam abrogatum esse illud, Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic*, &c. *Nulla consuetudo; nulla præscriptio potest abrogare hunc canonem diuinum. Ponderate verba Lucæ 16. Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.* Verbis sancti Bernardi notationem consigno, *Nulla igitur splendidior gemma in ornatu Pontificis humilitate. Quò enim cæteris celsior, eò humilitate appares illustrior.*

Parenesis ad Pastores vt sint humiliores.

Episcop. Bracar. de morib. prælat. par. 2. cap. 8.

Lucæ 16.

Bern. l. 2. de consid. cap. 6.

CAPVT

Capvt V.

Christiana seruitus omni dominio nobilior, ex quo Christus seruire incœpit.

Tantvm inter Ecclesiasticos interesse, & mundanos Principes, quantum inter morales, & naturales Philosophos, non immeritò dixerim; Cum vtraque Philosophorum turba ad entis, vt aiunt, considerationem tantundem conferat; sed vna exordia rerum, actiones, & quod existit, expendit. Altera finem, metaphoricam (quam dicunt) motionem, ac futura considerat. Sic Mundani, ac Ecclesiastici Principes respiciunt se ordine aduerso. Illi Regali Maiestate fulgentes frequenti stipati famulitio commeant ad munera sua peragenda. Isti amiculo induti, paucis, vel subsequentibus, vel præeuntibus seruulis, ambiunt munera gloriosissima implere seruili schemate & vt noua sydera, contrarium mundo iter intendere. Id cælesti oraculo ab ipso Numine præmonstratum est. *Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Quæ verba illustrans Caietanus, dictis rationem adiicit, *Quia magnitudo vestra erit ad exercendum ministerium. Magnitudo Mundi est ad exercendam potestatem.* Hoc mundanæ ac diuinæ diffidium magnitudinis præclarè ac aureis verbis expressit Chrysologus, *Magna relinquere, amare minora, Dei potestatis est, non est cupiditatis humanæ, quia Deus, quæ non sunt, facit esse.* Itaque mundana celsitudo à potestate; Ecclesiastica à demissione, & à seruitute pretiosior. Quod ex præcipuis Domini Nostri, Deiparæ Virginis, aliorúmque sanctorum gestis compertum habetur.

Magnitudo Christi ad seruiendum, Mundi ad imperādum.

Caietan. hic.

Chrysologus serm. 168.

Inter præcipua munera, quæ Numen hominibus Angelísque præstat; illud erit quod decretoriâ die implebit, vtramque naturam iudicaturus. Id describens Euangelista,

vt

vt opus Deo dignum indicaret adiicit, quod apparebit Christus in *Maiestate sua*. Basilius affirmat, Iudicis munus sublime esse, & Deo non indignum *Deos*, inquit, *Iudaeorum principes nominauit, quibus iudicandi potestas esset concredita; ita eos lex ipsa vocat. Dys tuis, inquit, non maledicas, & Principi populi tui ne detrahas, quoniam verè Deus Iudex est; Homines verò, & ipsi, qui administrationem iudicy administrarunt, appellati sunt Dy, tanquam Deum in hâc re imitati* Cur itaque Christus terrarum ac cælorum Orbes iudicaturus, filius hominis, & non Dei indigitatur? Gemina in illo natura est. Cur ad duplicem Creaturam iudicandam, vt homo magis, quam vt Deus accedit? *Cùm venerit filius hominis in sede maiestatis suæ?* Voluit Christus, quod in maiestate peragit, seruili magis, quam regio indumento definire. In habitu vili plus lucet, quam in pretioso maiestas Christiana. Rectè August. *Nisi tamen ipse esset filius hominis propter formam serui, quam accepit, qui est filius Dei, propter Dei formam, in qua est, non diceret Apostolus Paulus de Principibus huius seculi. Si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent; ex formâ enim serui crucifixus est; talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Nam ecce diximus, quia secundum id, quod Deus glorificat suos, secundùm hoc vtique, quod Dominus gloriæ est, & tamen Dominus gloriæ crucifixus est, non ex virtute Diuinitatis, sed in infirmitate carnis: sicut dicimus, quia secundùm id, quod Deus iudicat, &c. hoc est ex potestate Diuinâ, non humanâ, & tamen ipse homo iudicaturus est: sicut Dominus gloriæ crucifixus est; ità enim apertè ait. Cùm venerit filius hominis in gloria sua.* Præclarè Augustinus ait Ex potestate Diuinâ; idest Numen formâ seruili adornatum decretoriâ die, in Angelum, ac in hominem vibrabit nouissimam iram. Rectè Caietanus, *Magnitudo Christiana est ad exercendum ministerium.* Tunc enim magni sumus, quando vt serui ministramus.

Basilius in Psalm. 81.

Cur in humana natura iudicaturus sit Christus?

Philipp. 4.

August. lib. 1. de Trinit.

Non minus patuit Christi magnificentia in procœnio gloriosissimo parando, & in mystico, ac sacratissimo porrigendo pane, quippè vt Christus mortalibus tale appo- *Ioan. 17.*

Institutio Eucharistiæ, in seruili habitu ob humilitatem.

neret epulum, *Pater omnia dedit illi in manus.* Miraculis penè infinitis in tam arcano cibo latentibus; At quonam habitu, quauè actione adornatus, talia patrat? linteo, & pedum lotione: linteo, vt seruorum indumentum; lotione pedum, vt actionem seruilem, eámque ad infimæ sortis homines pertinentem ostentaret. His infulis laureatus, ad Sanctissimi ferculi institutionem processit. Proclus ait, *Discipulorum pedes, vt expeditos, promptósque redderet ad cursum, in seruili schemate lauit:* Ad linteum allusio quo præcinctus, discipulorum pedes lauit, nobilissimum munus seruili schemate honestans magis. Mos erat seruis, proprijs vestimentis positis, sumere linteum. Quò etiam Seneca allusit, *Conuiuia mehercle eorum, non posuerim inter vacantia tempora: cùm videam, quàm sollicitè argentum ordinant: quàm diligentes exoletorum suorum tunicas succingant: quantâ diligentiâ, signo dato glabri ad ministeria discurrant.* Ministerio habitúque seruili ornatur auctor Sacramenti mirabilis vt demonstraret fecisse magna. Quia: *Magnitudo vestra in exercendo ministerio.*

Proclus orat. 10.

Senec. lib. de benef. c. 12.

Gloriā præbet Deus in seruili habitu.

Cæterum si ex his, quæ Christus sanctissimè in terris gessit, ad ea ascendamus, quæ in cælis, vt pote in aula Princeps, splendidissimè agit, & ad conuiuiū, vbi Numen cibus non velatus sub panis, & vini specie, sed reuelatus & beans, comedentes. Quo pacto dispensat cibaria diuina architriclinus. Profectò vt seruus. Lucas augustissimam gloriæ cælestis cœnam describens ait de Christo Rege, *Transiens ministrabat illis.* Metaphorâ ductâ à seruis, hâc, illácque per conclaue discurrentibus, ne quid desideraretur conuiuis. Id obseruauit Caietanus, *Ministrare transeunter dicitur, ad differentiam fixorum ad ministrandum: Describitur enim Dominus, tanquam super intendens ministerio, quod fit transeundo de mensâ ad mensam, ne aliquid alicui desit, Quantum verò ad sensum internum, significatur æternum conuiuium, quo discumbent electi, ad quod ipse Iesus se præcinxit immortalitatis corporalis gloriâ, & super intendens ministrat omnibus beatitudinem.*

Luc. 10.

Caietanus.

Heu! Deus homini ministrat id ipsum admirationi magno

gno

gno Chrysologo fuit. *Discumbenti homini Deus adstat! & adstat in calestibus: Epulanti seruo, seruit Dominus, & seruit accinctus. Pueris suis ministerium facit Christus, & facit in Patris iam gloriâ constitutus.* Paucis interiectis addit, *Qui tibi in terra lauando pedes, extremum repræsentauit obsequium, & promisit in cælestibus nouissimam seruitutem, ille in Cælestibus parat conuiuium se ministro.* Cæterum non mirabitur talia obsequia qui solemnem aulæ cælestis morem nouit; ibi seruitus, dominio nobilior est. Quia *Magnitudo Mundi est ad exercendam potestatem: Magnitudo vestra est ad exercendum ministerium.* Concludo, quæ de Domino Nostro diximus, aureâ, & cedro dignissimâ Doctoris Angelici sententiâ. *Deus Omnipotens, singulis sanctisque animabus in tantum se subijcit, quasi sit seruus emptitius singulorum, & quilibet ipsorum sit Deus suus. Ad hoc innuendum dixit. Transiens ministrabat illis: & Psal. 81. Ego dixi Dij estis. Summè perfectus Deus sibi complebit, quod docuit. Quantò maior es, humilia te in omnibus: qui quamuis præsit omnibus dignitate, & Diuinâ maiestate, omnibus tamen subijcitur humilitate.* Concinit D. Thom. Guerric. Abbas, expendens Pauli oraculũ, *Deus cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Affirmat neminem seruorum tam sedulò, tam fideliter sui Domini obijsse munera; vt Christus hominis. Impigrè euolans ad data imperia in cunctis; quorum indiget. *Seruisti nos tepidè, quia exultasti vt gigas ad currendam viam obedientiæ, seruus est conuiualis: Si esuris, aut sitis, & ad manum fortè nil melius habes, nec alter tibi vitulus aequè saginarius tibi præsto est; ecce ego paratus immolari, vt carnes meas comedas, & sanguinem bibas.* Ne suspiceris conuersum in cibum seruum, periisse. Idem Guerr. *Ne verearis ex morte serui, damna seruitij eius pati; etiam comestus, & bibitus, manebo tibi integer, & viuus, seruiámque vt prius.* Si infirmaris, adest, vt tibi ægroto, ex sanguine suo, medicamina paret. *Si infirmaris, & mori times, ego moriar pro te, vt de sanguine meo tibi conficias medicamina vitæ.* Si audet quis in tuũ caput aliquid moliri, pro te erit ipse victima succedanea. *Dorsum posuit ad flagella, & plagis vapulauit non paucis.* Quid plura

Deũ fieri in patria seruũ, mirandum valdè!

Chrys. ser. 24.

Deus in cælo se gerit, vt humilis, hominis seruus.

D. Thom. opusc. 63.

Psalm. 81.

Guerr. ser. 1. in ram palm.

plura? Muniis domesticis strenuè vnus ille sufficit, vt tibi in omnibus morem gerat. *Te recumbente, ego ministrabo: Ego tibi pedes lauabo.. Tu quiesce, ego languores tuos feram, & infirmitates portabo. Vtere me, vt libet in omni necessitate tuâ, non modo vt seruo tuo, sed vt iumento tuo.* Iumentum, vel bouem, vicariam seruitutem præstare in paupercula domo affirmauit Aristoteles. Tandem si ex seruo pretium amas, vt tibi seni conditorium adornes. Vende mancipium, triginta non deerunt argentei pretium sepulturæ tuæ sufficiens. *Si vile quidem Mancipium videor, sed si noctu, & clanculò distrahar quasi res furtiua, & si ab amarissimis Iudæorum Sacerdotibus emar, attamen saltem hoc pretio mei, poterit emi sepultura. Tandem dicit hic seruus. Quid potui facere, & non feci? Benè omnia fecit, clamat qui eius facta obseruat.* Hem! quanta in Deo humilitas, quanta in homine superbia! O dignissimum seruitutis trophæum! Quis non seruire ambiat? Quis talibus hærens vestigiis, dominium non fastidiat? Meritò ait Bernardus: *Magna humilitatis virtus, cui etiam Deitatis Maiestas tam facilè se inclinat.* Rectè igitur, magnitudinem, quam mundani à potestate, Cœlites à seruitute metiuntur, Origenes affirmare ausus est, maiorem nobis eluxisse diuinæ bonitatis præstantiam cùm Deus factus homo formam seruilem assumpsit; quam cum ipsi summo parenti æqualem se esse non rapinam arbitratus est, eò trahens Paulinam sententiam. *Qui cùm in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Audendum est dicere*, ait, *maiorem, diuiniorémque bonitatem Christi apparere, quando humilem præbuit seipsum, factus obediens vsque ad mortem, quàm curam pinam arbitratus esset, esse se æqualem Deo.*

Arist. 3. Eth. cap. 2.

Bernardus serm. 160.

Origenes.

Demum, dignum Deo opus misericordia est. Decantatissimum est oraculum. *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere:* hanc Christus seruiens perhibet. Eleganter, & acutè Chrysolog. *Nescit lassescere baiulus misericordiæ, misericordiæ pietatis vector.* Baiulat misericordiam, vt seruilem ostentet in tanto opere personam. Baiulus iumenti vicarius

Chrysologus [illegible]m. 160. [illegible]tus misericordiæ [illegible]

rius est: Misericordiam portat, qui vt subueniret miseris fert alaphas, sputa, flagella, vulnera, crucem, mortem ipsam. Misericordiæ baiulus, quia meritam à nobis crucem ipse baiulauit. *Vtere Christo, vt libet in omni necessitate tuâ, non modò, vt seruo tuo, sed vt iumento tuo.*

Ad hoc Principis ingenium, & ad aulæ morem, quid mirum si componatur Angelorum Regina, & cæteri magnæ illius Regiæ Proceres?

Beatissima Virgo cùm surgit ad cæleste fastigium, Dei effecta Parens, tunc habitu seruili succincta, verbis, factisque se seruam exhibens, ad montana pergit Elisabethæ ministratura. Rectè Ambrosius. *Vide humilitatem, vide deuotionem, ancillam se dicit Domini, quæ Mater eligitur, nec repentino exultata promisso est.* Et cùm illo Bernardus. *Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloriâ nescit? Mater Dei eligitur, & Ancillam se nominat. Non mediocris re verâ humilitatis insigne, nec oblatâ tantâ gloriâ, obliuisci humilitatem. Magna prorsus, & rara virtus humilitas honorata.* Hâc ratione in præclaris actionibus sanctissimi viri honorem ambiêre seruitutis. Tunc enim *Magna, & prorsus rara virtus, humilitas honorata.* Meritò Bernardinus Senensis, vt dignitate, primam à Filio recenset Matrem, ita & humilitate *Sicut nulla creatura post Filium tantam ascendit in gratiæ dignitatem: sic nec descendit in abyssum humilitatis profundum.* Tanta humilitas in Virgine vt vix esset cognita Deo. Ad quē sensum idem Sanctus sacra verba flectit. *Abyssum terræ penetraui.* Hinc Beatissima Virgo descendendo, ascendit, & seruiendo dominatur. Cælo hæc, non Mundo conueniunt *Quia magnitudo Mundi est ad exercendam potestatem: magnitudo vestra ad exercendum ministerium:*

Celsitudo itaque in humilitate, imperium in seruitute stat firmum, tunc enim nobiliùs homo dominatur, cum ei *nulla dominatur iniquitas.* Id perfecit Virgo supergressa naturæ confinia, & sine labe, quia omnium humillima. Vt nunquam peccatum à superbia disiungitur, ita absque ipsa

Maria in maiori dignitate sua, humilior gestit apparere.

Ambrosius in Luc. cap 2.

Bern. hom 4. super missus est.

Virgo dignitate, & humilitate prima à Filio.

Bernard Sen. hom 2 ser. 52. art. 3. ad 2.

Virginis humilitas abyssalis,

In humilitate celsitudo, in dominio seruitus reperitur.

nullibi reperitur. Communis Theologorum sententia, Virginis puritatem ab omni labe, à maternitate deriuat. Dicam ipse, emanâsse primum ab humilitate, à quâ & maternitas profluit. Id Sanctissima mulier Brigitta contestata est. *In omnibus, humilitate inexcogitabili iugiter seipsam respexit, quod certissimè Dei filio sic placuit, quod ex eius corpore humillimo, venerabile suum corpus dignatus est sumere.*

Humilitas impeccabilitatis est fundamentum.

S.Brigit.c.2.

Expende, Verbum diuinum, carnem, ex submississimo, quamuis nobilissimo corpore Mariæ Virginis, eo potissimum momento accepisse, quo Virginis ad humilitatem cor pronum, ea protulit verba, *Ecce ancilla Domini.* Tunc perfectissimè compactum emersit diuinum corpusculum; tunc gratiâ, & naturâ vrgente, humillimus omnium clamat Christus: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Tunc etiam Christo in humiles insinuata propensio. Aurea Paulini verba, *Omnis anima fidelis, ex Deo est: & humilis corde, cor Christi est.* Peroro, cum Bernardino Senensi in Marianæ humilitatis laudem, qui Virginem sic loquentem inducit, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, propterea dignatus est, vt efficiar Dei Mater.*

Incarnatus Deus ex humilitate.

Paulin. epist. 12. ad Seuer.

Virgo mater Dei quia humilis.

Bern. Senens. serm. de sam. ser. 11.

Post hominum, Angelorúmque Reginam recenseo, inter primarios cælestis regni Proceres, Apostolum Petrum, cui tunc Ecclesiæ militantis regimen demandatum, cùm ad id indignum se putaret; cùm enim copiosam, & omnino supra naturæ leges, piscium capturam inspiceret, id totum miraculo tribuens, ad Christi pedes prouoluens se in illa prorumpit verba, *Exi à me Domine, quia homo peccator ego sum.* Petro itaque tam demissè ad Christi pedes accidenti, totius gregis Christiani cura demandata est. Hûc enim tendit illatiua particula, *Ex hoc eris homines capiens.* Ab humilitatis merito, agnosce supremi Præsulatus infulas Petre. Ita Dionysius Carthusianus, *Ex hoc, id est, huius stuporis, & humilitatis merito eris capiens homines.* Igitur homines, ad Ecclesiæ vnitatem, veluti ad sagenam pisces humilitas congregauit. Petro post trinam amoris confessionem, Ecclesiastici gregis Pastori designato,

Luc. 5.

Carthus.

Amoris & humilitatis coniunctio.

ſignato, humilitas tribuit dignitatis meritum. Iure itaque aulæ diuinæ Proceres ex curiæ ingenio, ſeruire malunt, quàm dominari. *Quia magnitudo ſæculi eſt ad exercendam poteſtatem : magnitudo veſtrà ad exercendum miniſterium.* Rem.5.

Ab Apoſtolis ad Martyres tranſeo : tunc illi miraculis cohoneſtati, tunc cæleſtis Curiæ candidati : cum ſordidis induti veſtibus ferrum iugulo, collis gladius immineret; ſic inter magnos cæleſtis aulæ Principes annumerantur, ad miracula facienda inſinuati ; miſſi ad illos aduolant Angeli. Numen ipſum occurrit cæleſtem Patriam intraturis. Perſpicuum hoc in Stephano fuit, cui inter crepitantium lapidum turbinem, aperitur cælum, fermè illum humaniſſimè accepturus Ieſus ſtans apparet. Quis igitur non maximi faciet ſchemata ſeruilia? Agatha lectiſſima virgo, Quintiano his verbis exprobranti ſeruitutem. *Non te pudet nobili genere natam, humilem, & ſeruilem Christianorum vitam agere?* Reſpondit, *Multò præstantior eſt Christiana humilitas, & ſeruitus, Regum opibus, ac ſuperbiâ.* O reſponſum æternitate dignum! Non dedignata eſt nobiliſſima fœmina ſeruitutem, modò oſtenderet illam ipſis Regum opibus, & dominio, præſtantiorem. Optimè quidem. Nam, *Magnitudo Christiana eſt ad exhibendum miniſterium.*

Martyres honorati magis à Deo fuere, cum viliores apparuerunt.

Hanc generis huius orationem ſic claudo. Humilitatem, & ſeruitutem Chriſtianis omnibus, ne dum fore vtilem, ſed neceſſariam, quia ſi beatitudo peccatoribus à pœnitentiâ, eadem ab humilitate deriuat, iuſtis. Vgo Carenſis verba Iſaiæ 48. *Manus mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cælos*, ad myſticum ſenſum flectens ait : *Ecce Dominus terrenis, id eſt peccatoribus, ponit fundamentum per pœnitentiam. Sed cælis, id eſt cæleſtibus ponit menſuram per humilitatem.* Ad Architectonicam artem alluſio eſt, quæ laxa exigit ſpatia, vt Palatia magnificentiſſimè conſtruantur. Dominus, humilitatem in homine iubet; vt vaſtiſsima faciat diuina

Iuſti per humilitatem gloriam aſſequuntur.

Iſai.48. Vgo Card.

diuinarum ædium fundamenta. Rectè sanctus Gregorius Pontifex: *Qui magnam extruere fabricam molitur, de fundamento prius cogitat humilitatis.* Spatia nulla virtuti supersunt, quæ non illi ab humilitate tribuantur. Meritò cælestis aula magnitudinem sacram, à seruitute, non à dominio metitur.

Humilitas spatiū vastū amplissimi cælestis Palatij.

Gregor. hom. in breuia.

Humilitas homini Christiano verum nobilitatis decus attribuit. Basilius Seleuciensis ait, *Virtutibus omnibus humilitatis ornamentum conuenit: ea comite continentia in admiratione est, & fides fit amabilior, iustitia purgatior, & verior misericordiæ fructus, & pœnitentia tunc creditur, quando cum humilitate coniugata est.* Eò allusit etiam Bernardus, iubens virtutes omnes aspergendas sancto humilitatis puluere, vt sponsæ cubiculum inhalaret suauissimo odore. *Continentiæ myrrha, orationis thus, & in puluere pigmentario omnis humilis conscientiæ virtus.*

Basil. Seleuc. orat. 29.

Bern. ser. 15. in Cant.

In opibus, & potentia, laruatus, & commentitius honor, in humilitate verus, ac firmus. Variis exemplis id præclarè probauit Basilius de sancto Patriarcha Abrahamo hæc fatus, *Congressa igitur aliquando cum Deo creatura colloquebatur, & vicissim ab vtrisque sine honoris discrimine ferebatur, ac cernere erat, rem inusitatam. Linguam è luto, ausam cælestia loqui, & Deum impigrè respondentem homini terreno.*

Basilius. Abrahā honoratus, quia humilis.

Id totum Basilius humilitati tribuit: *Hæc parta ab humilitate lucra, homines in altum euehunt, & Deo persuadent, vt verba cum hominibus faciat. Quando igitur Abraham suo illud sermoni prætexuit. Sum puluis & cinis, tunc naturæ agnitione, naturæ terminos est meritò supergressus.* Firmat idem exemplo Domini nostri, Moysis, & Sanctorum. Perorat tandem, expendens Matthæi oraculum. *Beati pauperes spiritu. His, qui morum fastum oderunt, fructum eiusmodi paupertatis, cæli diuitias pollicitus.*

Matth. 5.

Quò Cyprianus alludit, Prouerb. premens verba, *Est quasi Diues nihil habens, & est quasi pauper, cùm in*

Veræ, & fallaces diuitiæ quæ sint.

multis

multis diuitijs sit. Quasi pauper ergo in multis diuitijs, inquit, est diues humilis spiritu. Nobilis ergo inopia, mentis humilitas, & inepta diuitia sunt animorum enormitates. Seruitus dignitati non derogat, nobilis inopia, mentis humilitas: dominium ac diuitiæ aduersantur cælesti regimini, quia ineptæ sunt animorum enormitates. Verum quia hæc catastrophe mundanis, ardua, ac difficilis; Age, tempus expendamus quo seruitus euecta ad cacumen dignitatis, ipsam dominantem felicissimè elusit. *Prouerb.13. Cyprianus de abus.seculi.*

Cùm Deus homo factus, seruire incœpit; tunc honoribus maximis seruitus cumulata; diuinum aliquid lucrata est. Chrysologus, *Quid est magis tremendum, quòd ipse in vestram nascitur seruitutem, aut quòd vos sibi gignat in liberos? Quòd suscipit paupertatem vestram, aut quòd vos sibi faciat hæredes, sui vnici cohæredes? Est vtique terribiliùs, quòd terra transfertur in cælum: Homo deitate mutatus, seruitutis sors dominationis iura sortitur.* O auream perorationem, & Chrysologo dignam; Ex Deo hausit seruitus dominationis iura. Seruiente Deo, despexit seruitus imperij coronidem, irrisit fasces, & purpuram. Ipsa instrumenta seruitutis, momento quo Deum attigêre, adornata sunt in pompam triumphi. Crucem, olim seruorum infame patibulum, inuerso ordine Petrus ascendit, ex Christi enim amplexu triumphalis currus euaserat. Acutè Augustinus de Petro loquens, *In illâ Cruce, imitari metuens sacrificium Redemptoris, capite in terram demergi elegit. O virtus humilitatis ingenita! honorari etiam supplicij genere pertimescit, & qui non recusat Domini tormenta patibuli, similitudinem expauescit triumphi.* Crux seruorum designata supplicium, à Christi membris decorem hausit, facta est character Christianæ dignitatis. Gregorius ait, *Summa viuendi ars est, culmen tenere, & gloriam spernere.* Pontifex ter maximus qui ad totius Ecclesiæ clauum sedet, vt om-

Quando nobilitas hæc cõparata seruienti, dominio præstaret, & præcelleret.

Chrysologus serm.67.

Idem.

Gregorius

nium se demonstret Principem, seruum seruorum omnium se profitetur, vt hunc primum gradum ad maximum dominium ostendat.

LIBER

LIBER SECVNDVS
DE
ORDINATA,
ET SECVNDARIA
Christi familia.

Indiculus Capitum huius libri.

LIBER SECVNDVS,

DE ORDINATA,
& secundaria Christi familia.

CAPVT PRIMVM.

Quanta sit Sacerdotis dignitas; & quis sit illi in Christi familia locus.

SACERDOTIS dignitas summa est (vt ex hac enarrare incipiam Christi familiæ maiestatem) in veri Christi corporis potestate, ac in sacra, & panaria cistula Episcopis pares: in mystici tamen, ac in aperiendis Cæli foribus longè illis inferiores; Pastoribus enim præcipuè Dominici gregis cura demandata est. Cæterùm presbyteri Christi familiam mirum quantùm, & numero, & decore augent. In his, vt aiebat sanctus Ambrosius, *Nil plebeium reperitur, nil populare, nil commune cum studio, vsu, ac moribus incondita multitudinis; sobriam à turbis grauitatem, certam vitam & singulare pondus dignitas sibi vendicat Sacerdotalis.* Quàm concinnè S Ambrosius aureo suo penicillo, quis esse debeat Sacerdos picturauit. Plebeios exhorrere mores decet, quos dignitas tanta per varios gradus, ordinésque ad fastigium subuexit diuinum. Tanta maiestas in Christi sacerdote refulget, vt præ illâ pallescat purpura regalis, & submisso genu, quem Christus chara-

Sacerdotes Episcopis quo pacto inferiores, & pares.

S. Ambrosius de Sacerd. Quale pondus sibi vendicat dignitas sacerdotalis?

Pallescit purpura regalis præ dignitate Sacerdotis.

 ctere

Seuer. Sulp. in vita S. Martin. cap. 23.

ctere suo adornauit, adoret. Hinc à Turonensium Præsule Martino per summum honorem, Sacerdoti, non Imperatori, calix, vel in ipso regali procenio propinatus est, vt ex eo quantum Sacerdotalis dignitas Regiæ excelleret, omnibus foret exploratissimum. Rectè Chrysostomus affirmat, *Sacerdotium esse ipso etiam regio Principatu venerabilius.* Concinit de eadem dignitate Ambrosius, *Si Regum fulgori compares & Principum diademati, longè erit inferius, quasi plumbi metallum ad auri fulgorem comparatum. Quippè cùm videas Regum colla, ac Principum submitti genibus Sacerdotum, osculatis eorum dextris, orationibus eorum se credunt communiri.* Inconditam multitudinem meritò stomachatur qui ad condiendum Christianum orbem sale suo, à Numine datus est terris. Sobria grauitas, seria vita, singulare pondus ab eo exigitur, à quo ore sacro, verbis diuinis Christi corpus efficitur, cuius sanctam vocem audit, & obaudit Omnipotens, cuius veneranda manus Deum tenet, porrigit, dispensat. Quamobrem egregiè Ioannes Apostolus, altè diuinæ pondera dignitatis expendens præcepit, vt sacerdotem pedem è sacrario efferentem sacra facturum, minister præcederet, qui grandi, & clarâ voce detonaret. *Sileat omnis mortalis, & humilis caro, quia egreditur Rex Regum, & Dominus dominantium, & Angelorum chori antecedunt.* Meritò S. Ioannes Chrysostomus illum numerandum in terris negat, ad cuius voluntatem cælestes fores clauduntur, & recluduntur; quippè terram incolens dominatur cælo: *Sacerdotium in terra peragitur, sed in calorum aciem, classémque reponendum est:* liberè sic ille; ad quem sancto Nilo teste, sacris operantem, *delapsa è calo veniebant, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronè altari magno cum silentio, & veneratione circumstabant.* Gratulor humanæ naturæ, quod diuinâ suffragante gratiâ illam nacta est dignitatem, quæ ex Ephrem Syri oraculo *virtutibus incorporeis coæquatur.* Cæterùm inspiciamus sedulò ex eiusdem sancti monitis locupletem hunc sacerdotis thesaurum; qui tot virtutum margaritis, tot diuitiis cælestibus, tot meritis copiosè abundat, vt cùm hæc considerem, non possum, quin cum eodem sancto voce grandi exclamem:

Ambrosius de dign. Sacerd.

In liturgia Ioan. Apost. in Bibl. PP.

Io. Chrysost. de Sacerd. Sacerdotium quamuis in terra peragitur, reponendum tamen in cælo.

S. Nilus affirmat Angelos assistentes Ioãni Chrysostomo celebranti.

mem: *Excedit quidem intellectum, & orationem meam, omnémque cogitationem donum altitudinis dignitatis sacerdotalis; & sicut arbitror, hoc est, quod Paulus, quasi in stuporem mentis actus, innuit exclamans. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei incomprehensibiles!* (id adiecit *supra vulgatam*) *quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Pulchrè altitudinem diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei delitescentem in hac dignitate affirmat Ephrem Syrus. Deus enim ignorare illum dicitur, in quem effundere gratias dedignatur. Nescit fatuas virgines Numen, quas furor ad olei adegit inopiam. Opulenta est notio diuina: diuitiis cumulat quos cognoscit. Cæterum in huiuscemodi dignitate tot bona, tot arcana, tot sacramenta, tot miracula reperiuntur, vt in illâ omnino altitudo diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei elucescat. Cuncta, quæ Pater in manu filij patriâ fermè prodigalitate posuit, ipse in hominis sinum pari liberalitate exposuit, vt nimirum Dei vicarius in opere diuino foret, & sacro imperio accedente perennaret homo, quod Christus sanctissimè inceperat. *Inuestigabiles viæ eius.* Quis semitas poterit vestigare, quibus Deus ad terras, & in terris toties vel adducitur, vel producitur? *Inuestigabiles viæ.* si egressum, si regressum consideres, quà perueniat ad mortales, quà redeat in Cælum, quà pateat ad hominum pectora; quà gratiam in mortalium visceribus diffundat, quà seipsum quantus est Deus homo in sinum hominis sub panis, & vini speciebus effundat. Hæ semitæ prorsus inuestigabiles sunt. Verum & verba, quæ Ephrem adiicit, dignissima censeo, quæ seriò expendantur, *Palmes, & frumentum sunt velut pedissequæ; at sacerdocium est natura liberum.* Seruiunt hæc elementa Sacerdoti, ad eius nutum accedunt, & recedunt, ductu illius vel deflectunt in terras, vel eniuntur in Cælum. Intueamur mirabilem pedissequarum ambitum, Palmitis nimirum, & frumenti. Occidit frumenti granulum, & in terrâ marcescit, terræ tributum pendens, oritur, è tellure erumpens, herbescit seges, repullulat, exit in spicam, multiplicatur in grana, & ex vno prodeunt plura: hæc pedissequa inuestigabiles naturæ semitas felicibus vestigiis emetitur:

De Sacerdotis dignitate, explicat S. Ephrē Syrus. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.

Quot bona celantur in dignitate sacerdotali.

Quomodo inuestigabiles Dei viæ sint in Sacerdote.

Palmes & frumentum, quomodo ministræ Sacerdotum.

Gradus, quo fruméti granulũ ad culmen honorũ gradiatur.

titur: multiplicatis granis accedente humanâ industriâ conficitur panis: adolescit hæc pedissequa, & idonea est, quæ Sacerdotis seruitiui deputetur; vt per nobiliores, ac sublimiores gradiatur vias. Seruire cum incipit, & verba imperantis audire, calcat naturam, quam vt vilem aspernatur, ad gratiæ fastigium euolat, efficitur Sacramentum, non ampliùs hominum, sed Angelorum euadit panis. Ad maiora contendit granulum famulans sacerdoti, hypostaticam vnionem attingit, caro Christi factus. Per eosdem, naturæ, gratiæ, & vnionis hypostaticæ gradus incedit & vuæ botrus. Macte virtute, pedissequæ, per quas nobiles scalas vos sacerdos adduxit, sub specie vestri Deum, naturæ, gratiæ, vnionisque hypostaticæ auctorem agnosco, in vobis quantùm polleat diuina Omnipotentia, Charitas, scientia, exploratum habeo, adeò in vno frumenti granulo innotescit magnitudo diuina, vt exclamare cum Hebræo Rege possim. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius?* Sub vnius granuli specie, Auctorem naturæ, gratiæ, vnionis hypostaticæ: Christi carnem, sanguinem, animam, Verbum, diuinitatem, Patrem, Spiritum sanctum, flexo genu adoro. Nil talium pedissequarum dominis laudis adiicere audeo, cum tam magna de eorum seruulis dixerim. Miror dignitatem Sacerdotum, tam nobiles qui nacti pedissequas, quæ inuestigabiles vias ad Sacerdotis iussa explorare queant. Nunc ad Sacerdotum schemata, ad vestes, ad nomina, quæ tantam ambiunt dignitatem descendam calamo.

Per eosdem graditur, & vitis.

*Psalm.*91.

Deus sub vno fruméti grano cognosci potest auctor naturæ, gratiæ, & vnionis.

Intueor igitur sacras vestes, quas venerari debeo, dum sacro oleo aspersas in Aaron lego. De his sanctus Dauid: *Sicut vnguentum, quod descendit in oram vestimenti eius.* Has odoratas in Iacob reminiscor, qui ob earum fragrantiam Isaacum sensit, ac diuinauit primogenitum, & sacerdotem. Hæc sacerdotalia indumenta non modò odori, fragrantiæ, & suauitati mortalibus fuêre, sed ipsi Numini venerationi, vt aduertit Rex Hebræus, qui cùm in magno vitæ discrimine esset (ad necem enim à Saule quærebatur) & Ceilæ se abdidisset, dubitans ne illos experiretur hostes, apud quos hospes erat: ad hos timores vt absconditus humani

Vestes in Sacerdotibus sacræ, quia vnctæ sacro oleo, *Psalm.*132.

Primogeniti olim Sacerdotes fragrantibus, & odoratis vestibus induti.

mani pectoris reseraret latebras. Ephod sacerdotale applicandum iubet, existimans ad tantæ lucis conspectum, nil obscurum, vel tenebrosum fore ipsum Deum illustrans omnia, affuturum, vbi sacerdotale adhiberetur iudumentum: nec fallitur: ad sacram vestem proditio statim prodiit, feliciter hac luce obscuros hostium astus elusit, omnia reuelante Deo cognita. Præclarè Abulensis, petitionem expendens, quâ Deum pro suo capite supplex Propheta orabat: *Loquebatur*, ait, *Dauid ad Deum tanquam esset præsens, qui nulli loco abest, cum sit infinitus, ibi tamen speciali modo erat propter præsentiam Ephot quod erat sacrum, & Deus, illo præsente, respondebat. Si in figurâ obseruantia tanta*, ait Ambrosius, *quid in veritate?* Adiice, si in veteri lege indumenta sacra alliciebant Deum, vt fauens adesset oranti, quid in nouâ facturus erit. Adde, quod in veteri etiam lege, sacra indumenta nequis scinderet quolibet iræ, vel doloris impetu percitus, lege diuinâ præcautum erat, vbi veteres consuebant prophanas vestes ad dolorem maximum, ad iras, ad alias animi perturbationes demonstrandas in diuersas partes lacerare, sacra tamen attingere omninò piaculum. Inter multa Caiphæ scelera, & hoc numeratur ab auctoribus sacris, quòd ad Christi responsa vestimenta sacerdotalia scidit. Cuncta hæc, quantus debeatur vel ipsis vestibus cultus perspicuum faciunt.

> Vestimenta Sacerdotis ipsi Deo venerationi.
> 1.*Regum.*
> *Abul.*
> *Ambr. lib.* 1. *off. cap.*
> Scindere vestimenta sacerdotalia, piaculũ erat.
> *Baron. ann. Christi* 86.

Sed ad aliud sacerdotale schema deuenio, nimirum ad ipsum Presbyteri nomen. Schemata enim rerum appellauit nomina Sanctus Antonius, inuehens in homines sanctum nomen ferentes à sanctis moribus omninò degeneres: hinc suasum ignauo militi, vel mores assumere, vel nomen Magni Alexandri omninò mutare.

> *S. Athanas. in vita S. Ant.*
> Schemata hominũ nomina, appellata ab Antonio.

Sacerdos nominatur *presbyter*, hoc est, *Senior*: nulla enim probo viro dignitas maior, quàm ipsa ætas longior; merita enim illi, & anni, vnà gliscunt, & pari passu procedunt. De Christo iustorum omnium exemplari scribit Lucas: *Proficiebat sapientia, & ætate.* De Beatissimâ Virgine, cui haud labebatur momentum temporis, quod non ingentia merita implerent. Hæc Ambrosius, *Non tam vestigium*

> Ætas lõgior probo viro, magna laus.
> Nullum momentum in Virgine, sine merito.

gium pedis tollebat, quàm virtutis gradum attollebat. Anni in probo viro, meritis, non mensibus mensurantur. *Senectus illa venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit*, aiebat idem Sanctus. Viuit tunc homo probus, quando ad lucrum, & ad laudem quotidie surgit. Qui per inertiam suæ vitæ spatium exegit, nō vixit, sed in vita dumtaxat moratus est. Perperàm se habet senex, qui præteritæ vitæ annos tantùm testes adhibere potest, non merita. Per metonymiam igitur vir probus dicitur senex; & sacerdos, presbyter. Anni numerantur pro meritis, quia numquam sine meritis dilabuntur: ipsum primum Mobile, quo verè annos dimetiri possumus, probi virtus est, ex ipsius multiplicatis actibus, & dies, & anni numerantur: *Merita enim ipsa ætatem habent.* Natura pilis senum candorem tribuit, vt vitæ futuræ, ac patriæ candidatos proferret. In limine senex est; expectat in singula momenta à Deo vocem, quâ euocetur ad Cælum. Sacerdotes itaque morum maturitate presbyteri audiunt. Sacerdos orans; & sacrificans cælestes spiritus, & sanctos prensat, Angelus ipse iam designatus; Non secus, ac olim Consules designati, Senatores prensabant. Presbyteri meritò ad Angelorum candorem aspirant, ipsi moribus etiam cani. Sicut ex eorum munere panem Angelorum efficiunt, ita candidos virtutum habitus gestant. Ex Ambrosij oraculo senes isti non absimiles Olympo sunt, cum in illis sileant animi perturbationes, quæ solùm nubes humanum cælum exasperant. Hac ratione contendit Nyssenus Sacerdotes presbyteros vocandos: *Quia ætatis insolentia perturbationem animi excesserunt.* Cæterùm gloriosissima senectus plus meritorum numero, quàm annorum pondere incuruata aspirat ad cælum. Nulla ætas, nulla natio, populus nullus, maiores natu non veneratur; ita etiam & presbyteros, quos merita magis, quàm ætas canos fecit, Romani summum regimen apud Senatum posuere. Hebræi apud Scribas, & seniores. Itali dominos etiam seniorum corrupto vocabulo *signori* titulo dignantur. Itaque cum nobilior titulus desideraretur, quo Sacerdos honestandus foret, per summum honorem, presbyteri appellantur: in optimis enim viris, vt diximus, dignitas magna; gran

Idem ep.22.

Qui verè viuat.

Ambros.

Senes probi in limine sūt Paradisi.

Pilos natura candidos facit vt ostēdat æternitatis candidatos.

Ambros.

Cur Sacerdotes dicti Presbyteri similes Olympo.

Honor ab omnibus.

grandis ætas eſt. Sed de ſacerdotali faſtigio, eiuſque ſchemate dicta ſint ſatis.

Ad nobiliſſima munera, ad quæ deſignata eſt dignitas ſacerdotalis, tranſeo. Munera Sacerdotũ Præſulum Conſiliarij,& adiutores.

Primò, ad graue Præſulatûs portandum onus deſtinatur, id eo à Clemẽte Pontifice Epiſcoporum adiutores appellati ſacerdotes *Conſiliarij, & Eccleſiæ corona.* Ambroſius, *Præſul esolim ſine presbyte orum conſenſu nil decreuiſſe* affirmat. Martyr Ignatius Sacerdotes *Conſiſtorium, ac ſacrum ſenatum* dixit. Presbyteri à ſacris Paſtoribus in miniſterij diuini partem, & in piam ſollicitudinem ad ſciti, ſacro accedente famulatu mirificè Dei familiam numero, ac decore augentes Eccleſiaſticam Hyerarchiam, & ſacrum principatum exornant. Bernardus Sacerdotes laquearia cypreſſima cõtignationem domus Dei firmantia ingenioſe nominauit. Numquam labans Dei Eccleſia, ſemperfirma, quia ſemper fuit ſacerdotalibus infulis adornata, Deus in ipſis Mũdi primordiis minimè paſſus eſt, humanã naturã diuino cultu, ac ſacerdotio ad momẽtũ deſtitui. Nondũ formatus, ac è puluere emerſus Adam, nondum è terra compoſitus homo, carne & oſſibus compactus, in arterias, muſculos, & venas diſtinctus, cũ ſacerdotali dignitate honeſtatus priùs fermè Sacerdos factus, quàm homo. Moyſes Barcepha affirmat, quòd adhuc ſub manu artificis ſummi erat opus, & ſtructura noſtri primi parentis, cùm in ſacerdotem Adamus inſinuatur: eò eleganter flectens Regis Hebræi verba. *Ex Pſalmiſta*, ait, *cognoſcitur colloquentem cum Deo Adamum, inducens; finxiſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam: Sacerdotium enim manuum impoſitione confertur.* Adde quòd Deus ſpirans in parentem noſtrum ſpiraculum vitæ, vnà animam, & Sacerdotis dignitatem inſufflauit. Cæterum aucta dignitas, vbi inſinuata ſacramento, nobilitata Chriſti charactere, ſublimata arcanâ Chriſti præſentiâ in Euchariſtico pane. Accedit quòd ipſe ſacrificiorum maximus miniſter, quibus Deo dignus honor exhibetur. Presbyteri igitur, qui tantâ dignitate pollent, meritò ſocij à Paſtoribus ad Præſulatus munus, ad ſacrum regimen, ad curam animarum adſciſcuntur.

Clem. Pontif. in Conſt.

Bernard. ſer. in Cant.

Sacerdotes appellat laquearia cypreſſina.

Adam ferè priùs Sacerdos, quàm homo.

Moſ. Barcep.

Aſciſcuntur preſbyteri in partem piæ ſollicitudinis.

Cur Sacerdos Episcoporũ adiutor.

Verùm eâ ratione sacerdos est Præsulatûs adiutor, quâ totius Christianæ plebis minister, quâ mediator apud Deum de summâ rerum, de Dei cultu, de hominum salute, de præmiis, de pœnis, de gratiâ, de gloriâ pertractat, quod vt agat congruentius, ad Dei familiaritatem admittitur, cælestium spirituum fermè contubernalis effectus, & in aula cælesti palatinus. Ephrem Syrus sic de sacerdotio loquitur: *Sacerdos, ipsos cælos cælorum sine impedimento, atque labore ascendit, & in medio Angelorum simul cum spiritibus incorporeis facilè cursatur, & cum ipso Angelorum Domino, atque creatore, datoréq; luminum familiariter agit, & quantùm vult, confestim, quæ postulat facilè, & suo iure, quodammodo impetrat. Suo iure* Sacerdos orans exigit, quod petit; illum Deus respuere non potest, ne rupti pacti habeatur fermè reus; nil illi denegabit, quem ad tantæ dignitatis fastigium euexit. Rectè Sacerdos, & *scutum refulgens; & turris firma; & murus indiuisibilis; & fundamentũ solidum, ac stabile à terra ad axem vsque cæli pertingens,* ab eodem Ephremo dicitur. *Si militia est vita hominis super terram*, scutum Sacerdos, quo confligens cum dæmone homo, ignea valeat nequissimi hostis tela retundere: Si mutabilis est, inconstans, numquam in eodem statu permanens: turris Sacerdos, cui inhærens, minimè spiritûs nequam timebit impetum. Si omnes in eum impetant Tartareæ legiones. Sacerdos murus, & munimentum illius, quo tutus ab hostili dæmonum insultu erit. Tandem si domus est in arena excitata, pauens à spiritibus immundis, qui eum à quatuor angulis velut Iobi ædem concutiant; præsto Sacerdos erit, illum firmans, ad cælum vsque erigens, à ruina impauidum, à procellarum impetu omninò securum reddens. Perorat egregiè S. Ephrem: *Amemus igitur Sacerdotes, si quidem amici sunt boni, pro nobis, ac Mundo deprecantur.* Et iure amandi, nam eorum oratione *impietas è terrâ sublata est, ipsa maledictio Adæ exterminata, atque soluta, & cælestis thalamus apertus est.* Culpâ tuâ in te regnat impietas: tu illam paucis verbulis Sacerdotis poteris profligare. *Exterminata tibi maledictio sit*, cùm panis cælestis vltrò tibi datur, quando terrenus fronte sudore madida, variisque laboribus

Sacerdos cõtubernalis Angelorum, & aulæ cælestis palatinus.

Ephrem Syr.

Sacerdos scutũ, murus, fundamentũ dicitur ab Ephrem.

Iob. 3.

Amandi Sacerdotes propter lucrum, quod afferũt humano generi.

A Sacerdote nobis maledictio exterminata, & quomodo.

bus tibi comparandus erat. *Exterminata maledictio*, quia cælestis thalamus apertus, à quo benedictio defluxit. Ita Regius Vates: *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob.* Amandus itaque Sacerdos, cuius ministerio tot bona Mundo liberalissimâ Numinis manu conceduntur. *Psalm.* 22.

Sacerdos soluit nos à vinculis Satanæ.

At quàm magnum est beneficium? quod à Sacerdote impenditur Christianæ plebi, cum illam Satanæ loris alligatam soluat, cælo, ac Deo reddat, ab his omnibus iam deuiam. Eò fortassis mater Ecclesia respexit, cùm solemnem diem magnâ deuotione recenset, quo Petrus supernâ virtute à vinculis solutus Christianæ plebi restituitur pro illo in preces effusæ. Par erat, vt cuncti fideles gratularentur Petro à ferreis Hebræorum vinculis liberato, qui mortales omnes à Satanæ nexibus continenter soluit. Quapropter in perpetuum gratiarum monumentum submisso cultu sic Deum precatur Ecclesia. *Deus, qui Petrum illæsum à vinculis abire fecisti, nostrorum absolue vincula peccatorum.*

Cur tanta solemnitate celebrentur Petri soluta vincula.

Sacerdos facit, ne mundus Deo non sit ingratus, & referat pro infinitis beneficiis gratias.

Tandem, nè morosus sim, cùm in tam claris, ac magnis beneficiis, quæ in humanum genus confert Sacerdos, enarrandis diù moror, ad postremum deuenio munus, ad quod à Numine Sacerdotes vocati, nimirum, vt pro innumeris humano generi collatis beneficiis gratias non modo agant sed referant. Deus enim modum, quo referre possimus, tunc dedit, cum Sacerdotium tradidit, cum Eucharisticum panem instituit. Id à Rege Hebræo longe ante præuisum fuit; Fortassis diù angustiatus animo fixus in ea vergebat cogitatione, se ingratum erga Numen moriturum, cum nil haberet, quo gratias pro tot beneficiis impensis redderet. *Quid retribuam Domino*, ait, *pro omnibus quæ retribuit mihi?* At voti compos iam factus, lætabundus supernâ luce lustratus exclamat: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Iam teneo, quod dignum Deo offeram, in calice salutari habeo, quod Deo retribuam munus ipso non indignum, quippè Deum sub his speciebus celatum Deo offeram, Parenti filium, Numen tradam Numini. Hinc Eucharisticum nomen sortitus hic panis, panis enim *Psalm.*

gratiarum est. Nos Domino agamus gratias, qui in fastigiosissimâ dignitate, & quomodo colamus, & quo pacto illi gratias referre possimus, vnà dedit.

Capvt II.

De reliqua, & ordinata domus Dei familia.

Clerici in sorte diuina nominati. Quale eorũ munus.

IN tam splendidâ, nobilique familiâ post celsissimam sacerdotij dignitatem, etiam alia seruitus numeranda, quæ ex impertitâ sorte diuinâ Cleri venerandum nomen accepit. Omnis enim Ecclesiastica seruitus dominicæ cœnæ ministrat, sacrum altare mirâ deuotione, non minori obsequio circundat: Sacerdoti sacris operanti præstò adest, vt sacrificium diuinum maiestate regali, & sacra pompâ perficiatur. Cæterùm, Ecclesiasticæ hæ functiones tam benè distinctæ, tam sanctè ordinatæ, vt earum nulla sit quæ suo non emineat sacramento. Omnes enim, qui diuino officio adstant ministraturi, præcipuo, ac distincto charactere decorantur, ob spiritualem potestatem, quâ insigniti, ne dum toti terrarum Orbi, sed etiam cælo venerationi sunt, ac honori. Mirum quantùm hâc sacris infulis laureâta seruitute, hâc variâta seruorum coronâ, pulchra, ac veneranda redditur mater Ecclesia. Sanctus hic ordo, qui in omnibus Ecclesiæ liturgiis reperitur, Simphonia Ecclesiastica in ipsis Ecclesiasticis constitutionibus nominatur. Nulla cithara suauiorem reddet sonum, vt Ecclesiastica hæc simphonia, quæ tam dulciter animos, & corda mulcet, tam suauiter allicit, tam concordes habet fides suas, vt medulata sacri citharædi manu, nedum supernæ, ac cælestis melodiæ imaginem referat, sed in terris mortales ad immortalis Dei cultum excitet. Meritò Martyr Ignatius sacrum, ac sanctum Clerum citharæ composuit, cuius citharædus pulsans Christus Dominus sit. *Vestrum collegium, ait, dignum Deo est coaptatum, consentitque Episcopo, vt chordæ ipsæ citharæ ita colligatæ concordi sunt charitate, cuius*

Propter charactere͂ Clerici omnibus venerationi, & honori sũt.

Clerus totus citharę comparatur.

S. Ignatius in epist. ad Trall.

ius est Dux , & custos Iesus Christus. Adiice citharæ huius melodiam dignam,quę in terris pulsata exaudiatur in cælo, nam *Clericalis professio vita cælestis est* , vt affirmat Cassiodorus. Hinc chorus castrorum,& acies ordinata à Sanctis Patribus Ecclesiastica hæc Christi familia dicitur. *Chorus*, vt suauitas cœlitibus allata cantu suo. *Acies*, vt terror Tartareis legionibus incussus horrore suo simul demonstretur: Vna vox , & citharæ , & tonitrui similitudinem exprimit, quâ placet Angelis,quâ terret dæmones.Ecclesiastica melodia forsitan fuit apocalypticus ille cantus ; qui vnis apparebat tonitru,aliis dulcissimus citharæ sonus, & *Audiui vocem de cælo tamquam vocem tonitrui magni , & vocem , quam audiui sicut cytharædorum citharizantium in cytharis suis* : eadem vox , quæ stygiis vallibus detonabat,vt tonitru, audiebatur vt citharæ sonitus in cælo.

Cassiod. Clericalis professio est vita cælestis.

Melodia Ecclesiastica quomodo tonitru , & cantus.

Apocalyp.14.

Hæc itaque tam sancta , tam benè consonans familia, tam harmonicè ordinata , dulcissimè mortales omnes impellit, vt agnoscatur,vt prædicetur Numinis æterna gloria, ac maiestas: Maximum enim est aulæ cælestis decus , hæc Christi ordinata familia. Ambrosius ait , *Qui videt ministrum Altaris congruis ornatum virtutibus , auctorem prædicat , & Dominum veneratur , qui tales seruulos habeat : laus enim Domini,vbi munda possessio,& innocens disciplina.* Tunc non vituperatur , sed laudatur ministerium , cùm pura , & sancta est familia.

Familia bona cælestis aulæ decus.

l. offic cap.

Propterea tam scrupulosus censor Ecclesiasticæ domûs sanctus Præsul Ambrosius,vt minimè pateretur in Clerum eos numerari , quos idonei testes,& morum integritas non probâssent tali functione dignos. Duos in sanctum clericorum cœtum admittere noluit , quorum vnus ad hanc felicem sortem haud adscriptus, alter ab ipsa cecidit iam enumeratus sorte. His verbis ipse de vtrisque loquitur : *Meministis filij , quemdam amicum cùm sedulis videretur commendare officijs , hoc solo tamen in Clerum à me non receptum, quòd gestus eius plurimum dedeceret. Alterum quoque cum in Clero reperissem , iussisse me , ne vnquam præiret mihi , quia velut quodam insolentis excessus verbere oculos feriret meos.*

Ambros.censor diligentissimus Ecclesiasticæ familiæ.

S. Ambros. lib.1.offic. cap.14.

Quàm munda erit , quàm sancta,illa familia , quam vel incon

incongruus deturpat gestus, vel insolens excessus defœdat, S. Hilarius infectos clericos suos, putauit quoties illos sæcularia negotia implicâssent. De Clericis loquitur: *Quamuis ad ipsa ferant secum religiosam voluntatem, tamen necesse est eorum, in quibus diuersabuntur negotiorum quodam pestilenti contagio polluantur.* Impossibile ferè est ex Hilarij placito, vt clericus negotiis sæcularibus irretitus, ab illis pestilenti contagio non fœdetur. Quippè tantummodo ad Dei laudem canendam, ad Ecclesiasticas functiones exercendas deputatur sors diuina, Quò respexit lumine prophetico Rex Hebræus ex Agellij interpretatione. *Populus, qui creabitur, laudabit Dominum* Et Isaias cùm dixit: *Populum istum firmaui mihi, laudem meam narrabit.* Clericum decet terrena agitare, deputatum cælo. De hac seruitute tam honorificè loquitur Apostolus Petrus Pontificum vertex. *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum.* Caueat vocatus ad lumen, ne iterum se inuoluat tricarum sæcularium tenebris.

Clerici non implicandi negotiis sæcularibus.

Hilar. ps. 1.

Clericorum munus perpetua Dei laus, & Ecclesiasticus chorus.

Porrò ab ipso suo venerando nomine habet Clericus, vnde maximi se æstimet, & parem tantæ dignitati, ac Sacris functionibus vitam suam ducat. Hieron. elegantissimè Nepotianum Clericum sic monet: *Clericus, qui Christi seruit Ecclesiæ interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolatâ notatur esse quod dicitur. Si enim. κλῆρος Græcè, Sors latinè appellatur, quia vel de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est*, respuat terrena, ad Dei sortem vocatus, & tamquam è cælo ortus, nesciat terrenam generationem, qui agnouit cælestem. Ecclesia ipsa Cælum est, & similis regno Cælorum ex ipso diuino oraculo perhibetur. Hinc tanta puritas in Christi familiâ, vt etiam generatio carnalis sancta in Clero desideretur. Quem sibi parit, vt filium mater Ecclesia, indignatur patre, vel matre degenerem: itaque iubet quos sibi asciscit in filios, non impari parente natos, sed sacro coniugio, accedente sacramento ortos exigit, ne puritas Clericalis patrio offuscetur delicto, & nigrore auitæ generationis

Clericus à nomine habet, quo pacto se gerat.

tionis offendatur. Quod Ambrosius de Christo Domino dixit, petens cur Lucas parentes fœdatos peccatis in Christi generatione prætererit silentio, cum illos Matthæus pleno ore narrauerit. *Peccatores quoque inter maiores Dominici generis computatos, quorum commemorationem sanctus Lucas declinare desiderans, alium quemdam successionis ordinem tenuit. Neque enim Achab, neque Ieconiam, neque vxorem Vriæ nominat, vt immaculatam sacerdotalis generis seriem delararet.* Ecclesia ad Clericos omnes extendit: Patriam hanc puritatem in familiâ suâ desiderans iubet, vt nemo sanctis initietur ordinibus parente impuro genitus, & vbi Sacerdos Melchisedech sine patre, & sine matre, & sine genealogiâ legitur quasi è cælo descendens minimè foret Clericus, qui ab Orco natalitia sua referret. Stupro, vel adulterio natos parens sancta detestatur. Prauum consortium probo, puram generationem impuræ non miscens. Clericus in partem diuinam transiens, est quasi de nouo ortus in meliorem sortem, ideò à deteriori, & peccatrice conuenit, vt sit omninò alienus.

Cur Christi generatio diuerso modo à Luca, quàm à Matthæo narretur.

Cur Clerici nothi esse nō possint.

Tantam igitur puritatem in illius animâ esse decet, vt illam ad suum corpus deriuet. Quare minimè in Clericalem ordinem asciscitur, qui non integro, sed trunco corpore, vel qui captis membris deformati, vel forma ita deformes sint, vt in horrorem impellāt aspicientes. Cæterùm integer vitæ, & purus sceleris Christi minister esse debet, vt corpore, & animâ pollens, Deo, & hominibus sit gratus.

Cur esse debeāt integro corpore, nec nimium deformes.

Hæc puritas præcipuè in sacris Subdiaconatus & Diaconatus ordinibus desideratur; eapropter, Ordinis sacri epitheton hi potissimum sortiti sunt, cùm cæteri inferiores sacri etiam dici possunt, quos sacer character, & sacramentum nobilitat. Verum quia hi proximè ad sacra accedunt Sacerdoti propiùs ministraturi, non modo diuino præcepto ad puritatem se adigunt, sed etiam religione. Ideo in illis & spiritualis, & corporalis puritas exigitur. Splendor in Diacono, & candor elucere debent, quia dignitas maior, & ad Sacram operationem propior accessus. In primo illo, ac sancto Apostolorum æuo inuenio strenuè hunc Leuita-

Quare duo ordines Diaconatus, & Subdiaconatus dicuntur sacri.

rum ordinem commendatum. In illo excelluêre duo præclara Ecclesiæ militantis lumina Stephanus, & Laurentius. Vnus Romæ laureatus; alter in Hierosolymis coronatus. Sanctus Ignatius affirmat Diaconos esse *imitatores Angelicarum potestatum*. Et rectè his spiritibus comparandi sunt, qui in supremâ hierarchiâ fixi adstant Deo, dum Sacerdoti ministranti (qui in sanctissimâ illa functione Dei vicem exhibet) assistunt. Diaconos fermè superiores Mundo constituit Petrus Blesensis, & quasi Olympo pares, quò nulla peruenit nubes, suauissimum aërem fœdans, ac deformans. *Leuitici ordinis gradus*, ait, *non solùm extraordinarias abdicat vanitates, sed etiam exterminat naturales affectus, vt non præsumat in eo ministrare, nisi in ipso prorsus extincta sit affectio parentelæ. Locutus est enim Dominus ad Mosem, dicens: Non seruiat mihi Sacerdos, aut Leuita, nisi priùs dixerit patri suo, & matri, non noui vos. Quâ igitur conscientia se præsumat lucris emergere damnabilibus, & inextricabili sollicitudinum labyrintho, qui à carnalium parentum curâ diuinitus prohibetur.* Inspice quò efferat Diaconatus dignitatem Petrus Blesensis, vt nesciat humanos affectus: nesciat terrena negotia: ipsam humanitatem fermè repudiet, dum vtrumque parentem ignorare cogitur. Id etiam oraculo suo comprobauit Christus; cùm enim in Templo doceret ministeriorũ Dei Magister, dulciter indignatus de maternâ inquisitione ait, *Quid est, quòd me quærebatis, nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Qui in templo est, illa tantummodò procuret, quæ ad cælestem Patrem pertinent, ignorans ea, quæ ad carnales parentes, vel ad alia negotia faciunt. Ideò olim Diaconis duo hæc demandata, vt erogata nimirum fidelium bona, ad pauperum alimoniam, & Dominici sanguinis dispensatio. De Stephano Lucas in Actis Apostolorum: de Laurentio tota canit Ecclesia: *Quod dispersit dedit pauperibus.* Ipse clamat post sancta Xisti Pontificis vestigia: *Noli me derelinquere Pater sancte, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Sine animaduersione prætermittendum non est, quod eidem ordini, & sanguinis Christi & eleemosynarum dispensatio creditur. eadem enim Christo Domino de pauperibus,

Epist. 31.
Leuitarũ dignitas quæ,

Diaconi fermè superiores mundo.

De Diacono Petr. Bles.

Petr. Bles.
Quàm probus debet esse Diaconus.

Diaconis cõmissæ eleemosynæ pauperum, & dispensatio sacramentorũ.

peribus,

peribus, ac de suo Sanguine cura est, ipse enim in sua pauperum personam expressit.

Tandem missis cæteris huiusce sancti Ordinis præclarissimis functionibus, illa potissimùm eminet, quòd totus in preces fusus Diaconus, perpetuò pro sancta Dei plebe orare debet. Cùm ad Leuitarum ordinem insinuatur, tunc illi infusus spiritus precum, & miserationis. Sacerdoti sacrum facienti fermè hominum apud Deum interpreti, diaconus orator perpetuus astat. Hinc in Missarum solemnis, vbi Diaconus iubet, vt omnes in genua prouoluti suppliciter cum ipso orent: solus presbyter stat, vt etiam in hoc regalem ostentet dignitatem, quæ vel in diuino cultu seruatur. Ita in Isaia legimus. *Reges videbunt, & consurgent: Principes & adorabunt.* Facto discrimine inter Reges, & Principes, dum illi surgunt, isti adorant, vt olim eruditè annotauit noster Agellius. Ita Diaconus velut Princeps flexo genu adorat, quem stans Sacerdos ceu regali fulgens Maiestate reueretur. Presbyter porrigit pro noxiis mortalium supplices libellos, quos Diaconus lacrymis suis exarauit. De Sacerdote hæc Nyssenus: *Quomodo natura mutabili, & immutabili confinis est; mediúsque intercedit conuenienter extremis, Deo quidem preces, & supplicationes offerens pro noxijs; potentia verò illius misericordiam, quasi dimittens, & deriuans ad illos, qui misericordiæ indigent.* Theophylactus putat inter charismata, & sancti Spiritus dona fuisse olim numeratum spiritum precum, eò trahens, quòd Apostolus Rom. 8. ait: *Spiritus pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus.* Quem Spiritum ad Diaconi munus pertinere idem Doctor censuit: *Stabat enim*, ait, *spiritualis vir ille timebundus, & dolens, cuius hoc tempore Diaconus præfert figuram, & assiduus pro populo preces fundebat.*

Cęterùm ne in clarissimâ Ordinum dignitate diutiùs immorer, exploratissimum est vnicuique Ordini suum non deesse decorem, ac fermè maiestatem quibus pars diuina aureo funiculo, & Angelicâ manu tunc attributa, quando initiatorum auribus insonuêre verba: *Dominus pars hæreditatis tuæ, & calicis, ipse est, qui restituet hæreditatem tuam tibi.*

In Diacono effusus spiritus precum, & miserationis.

Illustiatus Isaias.

Agellius.

Nyssen. tract. 1. in Psalm.

Rom. 8.

Theoph. hic.

Diaconi munus orare gemitibus inenarrabilibus.

Omnes, & singulos ordines Christus exercuit. S. Ambrosius.

Tandem vel ex hoc conspicua, & etiam adoranda dignitas clericalis, quòd omnes ordines Deus ipse in terris homo factus, non dedignatus est exercere. Præclarè S. Ambrosius: *Ita ad omnia se curuauit obsequia, vt ne lectoris quidem aspernaretur officium.* Id etiam cum à sacro templo indignos eiecit; cùm ex obsessis corporibus dæmones expulerit; cùm vasa, atque necessaria ad diuinas functiones aptarit: omnes sacros ordines diuina manus sacrauit, cùm exercuit.

Cur presbyterià septum cancellis.

Hinc dum astat sacro altari Clerus circumseptum cancellis presbyteriũ est, vt innotescat omnibus, quod solummodo Clericis calcanda tellus sancta nudis vestigiis, hoc est à sæcularibus curis immunes, cæteris omninò interdictum. S. Ambrosius iussit *Theodosium Imperatorem ad cancellos manere.* Gregorius Nazianzenus cancellos vocat *Diuorum, hominúmque limen certum.* Diuos illos dicit, qui in sortem diuinam assumpti Clerici nominantur; cęteri communi vocabulo homines indigitati; cancelli ad aram maximam positi, vt discant diuos ab hominibus separare. Et numero, & loco discretos illos esse conuenit, quos militia cælestis tamquam auxiliarem copiam sibi adiunxit. Clericalis enim professio vt supra diximus *vita cælestis est.*

S. Ambrosius Imperatoré extra cancellos iussit manere. Gr g. Nyss.

Tandem Clerus non modò laicis omnibus venerationi esse debet, sed ex Hieronymi monitis ipsis Episcopis honori. *Episcopi Sacerdotes se meminerint, non dominos: honorent Clericos, quasi Clericos, vt & ipsis à Clericis quasi Episcopis honor reddatur. Scitum est illud Oratoris Domitij. Cur ego se habeam, vt Principem cum nõ me habeas vt Senatorem,* Mutuus, ac reciprocus (seruatâ tamen proportione) erit & Episcopi erga Clerum, & Cleri erga Episcopum honos.

Epist. ad Nepot.

Honor, qui ordinibus istis debetur, quando Clerici compositi moribus, quando iuxtà sanctos canones, quando digni functionibus Ecclesiasticis viuant; si exleges, & sine ordine vixerint, in horrorem vertetur. Egregiè sanctus Bernardus, Stygium horrorem interminatur Clerico inordinatè viuenti. *Restat vt illum locum sortiantur, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: & sint in laboribus dæmonum, qui in laboribus hominum non sunt.* Et hic de Clero gene

Psalm. 73.

generatim fileo, cui ex Augustini sententiâ suadeo, vt placidissimo, & sacro somno dormiat, tunc enim benè cõsultum erit Christi familiæ quando Clericus dormiat inter medios Cleros. Audiamus Augustinum aureis suis verbis huic annotationi imponentem finem. *Quando dormitur inter duos cleros, idest Regni terreni felicitatem contemnentes: & Regni cælorum æternitatem sperantes: Tunc Ecclesia quasi quibusdam pennis excelsa laudis attollitur.* *Augustin. in Psalm. 61.*

CAPVT III.

Quantus decor à Clericorum Regularium Religione accedat Christi familiæ.

INTER Clericos, Regulares eminent sacræ functiones, & spiritalis character omnes æquauit, Religiosus tamen status, & viuendi forma hos nobiliores reddidit; illum à Christo Domino sacramentorum omnium auctore Clerici omnes habuêre, qui eos sacrâ notâ signatos voluit, quos ad maximam dignitatem, fælicissimámque sortem euexit: hunc Regulares adiiciunt à sacrâ Petri Sede firmatum, vt faciliùs respondere possint sorti, quam nacti sunt diuinæ. Vt enim summa Christianæ vitæ, potissimùm ex Diui Thomæ oraculo, in præceptis à Christo traditis posita est, accedunt tamen Euangelica consilia, vt per præcepta, tutâ, ac explanatâ, viâ Christi serui incedant; ita & ipsa Clericalis dignitas, tunc illibatum suum seruabit candorem, cùm Clerici abrenunciatis Mundi bonis, contemptis carnis illecebris, ipsa repudiatâ voluntate, Christo Domino, sorti suæ, ac suo prædio inhærentes, succollatâ Cruce per laborum senticeta, ac spineta alacres incedent. Philippus Abbas bonæ Spei rationem assignans, cur Clericorum alteri sæculares, alteri Regulares dicantur, ait: *Propter quandam solutam viuendi licentiam sæculares consuetudo voluit appellare.* De Regularibus verò subdit: *Quoniam*

Discrimen inter Clericos regulares, & sæculares.

Philip. Abb. bonæ Spei de dignit. Cler.

Quando incœpit Regularium à sæcularibus separatio.

niam solutam viuendi regulam religâsse arctiùs existimantur: Religiosi, vel Regulares speciali vocabulo prædicantur. Ab ipsamet nascente Ecclesiâ, ab ipso sanctorum Apostolorum æuo ex variis in Orbe Christiano viuendi formis ipsa sæcularium, & Regularium separatio emersit. Quidam nuncupatis Deo votis, distractis patrimoniis, abiectis omnibus, Apostolicis inhærentes vestigiis vnà sanctissimè vixêre. Alij amplectentes Christianam fidem de bonis suis, ac de suo penu viuere placuit. Idem etiam succedentium temporum vitio Clericis funestè accidit. Sæculares charactere, ac dignitate laureati absque religiosâ votorum obligatione diuinis parentes præceptis, sanctisque Pontificum sanctionibus, vitam ducunt. Regulares verò Apostolicam viuendi formam diuinis vallatam consiliis, adauctam Religionis sacramento ad se deriuârunt. A sancto Præsule Ambrosio Eusebius Vercellensis miris encomiis celebratur, quòd in Occidentalem Ecclesiam regularem viuendi formam primus Pastor inuexit, & ab eodem ex Sancti Dionysij mente infelicissima ætas deplorata, quâ pene horrebat Clerus sæculi moribus infectus. *Denique*, ait ille, *Dionysius exegit votis, vt in exilio vitam poneret, nè regressus confusa institutis, & vsu fidelium, studia plebis, aut Cleri inueniret. Eusebius sanctus prior leuauit vexillum confessionis. Hæc igitur patientia in sancto Eusebio monasterij coaluit vsu, & durioris obseruantiæ consuetudine hausit laborum tolerantiam.*

Coincidit cũ superiore.

S. Ambrosius lib.3. epistol. epist.23.

Dionys. plorat mistos Clericis mores sæculi.

Euseb. Vercell. primus institutor Clericorum Regularium in Occidẽte.

Eruditus ex nostratibus auctor Antonius Caracciolus egregiè genus nostrum ab Apostolorum ætate duxit, vt exploratum omnibus foret non nouitium illum esse Ordinem, quem primùm Apostolorum ætas, posteà sanctum doctissimorum Patrum Ambrosij, Hieronymi, Augustini æuum probâsset. Nostri parentes viuendi instituta ex Actis Apostolorum petiêre. Bona nostra omnia communia sunt, & vt Augustinus loquitur *de vno Cellario, & de vno vestiario viuimus omnes*, Apostolicam vitam iuxtà sacras Canonum sanctiones profitemur. Gloriatur Ordo noster Clerici Regulares audire, quia primi fatiscentem Clerum, diù sæcularibus moribus liberum, iterùm Religionis suauissimis

Ant. Caracc. in not. ad nostras Constit.

Quam antiquus Clericorũ Regularium ordo.

Modus viuẽdi nostri Ordinis ab Apostolis.

mis vinculis obstrinxerunt, glorioso titulo mox ex imperito vulgo ad noua imponenda nomina prono additum *Theatini* ex Theate vrbe, cui præfuit olim Ioannes Petrus Caraffa; qui posteà ad fastigium Ecclesiasticæ dignitatis adscitus addidit veteri nouum Præsuli nomen. Cæterùm sacri hi latices ab Apostolorum pectoribus defluentes quandiù puri decurrebant, Clerici, & Sorti suæ, & nomini egregiè respondebant; cum impuri, & sæculi vndis immisti, penè & sortem ipsam, & nomen infelicissimè amisêre. Rectè Alcuinus, *Clerici dicti, eò quod de sorte Dei, & hereditate sint; si regulariter viuant: si autem non viuant regulariter, & laicalem habitum sequantur, isti non sunt Clerici.*

Cur Clerici Regulares dicitur, Ordo noster? Cur Theatini?

Alcuinus.

Has impuras vndas purisfidate Congregatio nostra præsidiis Ecclesiasticæ Sedis munita studuit. Hoc præcipuum fuit sacris nostris parentibus consilium, vt Apostolicas institutiones in Clerum infunderent, & ad sancti Eusebij Vercellensis exemplum reuocarent à fœdis sæculi moribus ad meliorem viuendi formam iam labantem Clerum. Clerici Regulares primi antiquatum peruersis moribus terrarum Orbem sanctissimis institutis innouare aggressi sunt. Ab illis prima Religiosæ vitæ lux mortalium oculis illuxit, ab ipsis primæ super Ecclesiæ candelabrum inflammatæ lampades, quæ fugarent funestam vitiorum noctem. Ipsi imaginem Christianæ vitæ à Christo Domino verbo, ac exemplo viuis coloribus picturatam, ab Apostolis acceptam, expresêre in fidelium pectoribus.

Quã mẽtem in nostro fundando ordine habuerũt Clericorum Regularium fundatores.

Quæso te, lector, Mundum inspice; qualis erat veteri æuo antequam Christus suam fundaret Ecclesiam, qualis postea illa firmissimè excitata fuit, in quam nobilem formam à Christo Domino, & ab Apostolis redactus Christianus Orbis, à qua desciscens iterum à Clericis Regularibus ad meliorem frugem reuocatur: Id totum Saluianus aureo suo penicillo basilicè expressit; operæ pretium erit illius verba quamuis longiuscula hîc referre, vt vnà intuearis Orbem veterem, ac nouum, gentilem, & Christianum, hæc ille: *Plus tunc indulgentia erat, & plus licentia, tunc ætas carnium prædicabatur: nunc abstinentia: tunc in omni vitâ ieiuniorum paucissimi; nunc quasi vnum ieiunium vita*

Mundus qualis ante Christi prædicationem, qualis postea.

Saluianus.

omnis:

omnis: tunc læsis vltio suppetebat: nunc patientia; tunc irascentibus lex ministra erat, tunc aduersaria accusatori gladium porrigebat; nunc charitatem: tunc carnali illecebræ lex indulgebat: nunc Euangelium nec aspectui: tunc corporeæ voluptates habebant quandam indulgentiam: nunc iubemur etiam oculi custodire censuram: tunc ad multas vxores recipiendas vnius mariti thorum lex dilatabat: nunc etiam ad vnam excludendam casti affectûs deuotione constringit. Superest, inquit Apostolus, vt qui habent vxores tamquàm non habentes sint. Videte quantus missus à Deo doctor cuncta moderatus sit, inter vnam perfectionem vniuersa concluserat, non illicita solùm interdicendo, sed licita coarctando.

Hanc perorationem à Christo hausêre Apostoli, ab Apostolis Clerici Regulares. Hanc Eusebius Vercellensis Præsul, vt diximus ex Ambrosio, in Occidentalem Ecclesiam ingessit, sed decurrentium temporum malitiâ iterùm fracti Clericorum mores, immisti sæculo Nostrates restaurantes antiquatas Cleri vires, primi noua monasteriâ, ac ædes ad eorum subsidium excitârunt.

Vota ex D. Thoma dant statum Religionis.

Antiqui dicebant fortunæ rotam æneo clauo sistendam.

Ceterùm fluxam, ac labilem nostram voluntatem, vt stare illa posset, firmamus nuncupatis Deo votis. Hæc statum mortalibus tribuunt, qui inconstantissimâ conditionis suæ indole nunquam permanerent in statu suo. Quidam per iocum suasêrunt homini fortunato, vt ex antiquo adagio volubilem fortunę rotam ab inquieto ambitu æneo apposito clauo sisteret. Nos felicitatem nostram conditione suæ firmissimam (quippè Deus ipse ex Augustini sententiâ, & Sors, & Prædium nostrum est) inconstantiâ nostrâ fugacem, & penè volaticam, tribus votis, ceù clauis æneis, clauatâ voluntate, ipsam Deo obsequentes, & proximorum saluti sistimus.

August. serm. ad Clericos.

Primus æneus clauus, quo sors nostra configitur numquam discessura Obedientia est. Hæc mortalium voluntatem genio suo inconstantissimam in obsequium Dei, & cuiuscumque qui vicariam numinis gerit vicem, captiuat. Hinc orta nobilissima illa Ecclesiæ primæuæ, & cordis, & animarum vnio: *Credentium erat cor vnum, & anima vna.* Charitas fideles ad vnitatem adegit. Obedientia accedens

Ab obediẽtia fuit quod fidelium cor vnũ, & anima vna erat.

nouis loris, arctiorique nexu illos vinciens, fermè in cor vnum, & in vnam animam omnes conflauit. Idem Clericis Regularibus accidit, qui in sodalitium diuini amoris charitate insinuati, Religionem nostram fundantes obedientiæ vinculis arctiùs obstricti in vnum corpus sub vno capite, veluti tot membra coaluerunt. Nil facere, nil cogitare absque superioris sui licentiâ cuique licet; Vnusquisque propriâ abdicatâ voluntate de sui superioris placito viuit. Itaque tot voluntatibus, mentibúsque abnegatis, cor vnum in omnibus, vna voluntas emergit, vt verè de his etiam dici possit: *Credentium erat cor vnum, & anima vna.* Id elegantissima pictorum similitudine ad vnum respicientium exemplar illustrauit Basilius Magnus. *Vt enim si plures pictores omnes, separatim quisque, vnius oris alicuius formam effingant, effictæ illæ omnes imagines similes inter se sint: eodem modo si multiplicia multorum ingenia animi vnius, alicuius constantes mores sibi imitandos proposuerint, præclara in cunctis vitæ forma eluceat necesse est. Delatâ igitur ad vnum quempiam de communi omnium consensu, potestate, priuatas vniuscuiusq. facessere voluntates debere, se seq. cunctos deinceps, ad magistri sui mentem conformare, & præcepto Apostoli obtemperare, qui excellentioribus potestatibus subiectos nos omnes iubet.*

Viget obedientia in Clericis Regularibus.

S. Basil. de inst. Monach.

En quàm bellè ex obedientia innouatur aurea Apostolorum ætas, quando absque litibus, iurgiis, odiis, in omnibus vna erat characterizata voluntas. Cæterùm in Clericis Regularibus, quibus impressus ex sacro ordine in intellectu spiritualis character, accedit alter in voluntate ex obedientiâ mysticus, qui hanc facultatem typis informat diuinis, qui enim superiori paret, in se diuinam exprimit voluntatem. Præclarè Sanctus Athanasius: *Assistere quid est, quàm typis diuinis voluntatem informare.* Ita loquitur Athanasius potissimùm ad promptam sanctorum Angelorum obedientiam significandam Adiice ex Clemente Alexandrino rationem; cùm enim superior iubet, tunc fermè obediendi characterem insinuat, & facultatem, vt iubenti pareat. De summo nostro Pædagogo hæc ille: *Simul cum mandat mandatorum characteres ita imprimit, vt perficere*

Innouata aurea Apostolorũ ætas per obedientiã.

Obedientia character diuinus in voluntate.

S. Athanas. in catena contuli.

Clem. Alex.

possit. Ab obedientiæ igitur voto habet Clericus Regularis characterizatam voluntatem, qui priùs ab ordine habuerat mentem. Vt ab vtroque habeat & religiosè, & sanctè viuere, & indissolubili nexu forti suæ inhærere. Si primus maiestatem attulit Clerico; Secundus regalem affert dignitatem Regulari. *Seruire enim Deo, regnare est*: imò diuinam; Christus enim seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, vt obediens vsque ad mortem, hanc virtutem faceret Deo dignam. Eleganter Origenes, *Vnigenitus Dei filius, qui est Verbum, & sapientia Patris, cùm esset in eâ gloriâ apud Patrem, quam habuit antequam Mundus esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, efficitur obediens vsque ad mortem, vt obedientiam doceret eos, qui non aliter, quàm per obedientiam salutem consequi possunt.*

Obedientia virtus Deo digna.

Origenes.

Obedientiam perpetuam profiteturClericus Regularis, quam nulla dignitas, nulla ætas, nulli fines definiant. Mors quæ adimit vitam, ipsa imponit obedientiæ terminum. Hinc ex sacro Clericorum Regularium ritu præscribitur, vt tunica talaris Clericum contegat, qua perpetua obedientia ex sancti Bernardi sententia exprimitur. *Obedientia*, ait, *talaris est tunica, quam Ioseph, quod sonat accrescens, singulariter induit.* O quam benè, Ioseph accrescens Clerici Regularis personam innuit, qui perpetuò ad perfectionem tendens semper gliscere debet incrementis virtutum. Hic clauus securam nostram sortem reddit, quia illa in manu superioris sistit. *Ipsi enim inuigilant rationem reddituri pro nobis.*

Obedientia vsq; ad mortẽ in Clerico Regulari.

Quid significat tunica talaris in Clerico.

S.Bernard.

Petr.1.

Obedientiam Clerici Regulares vt suauissimum impositum collis suis iugum gestant fermè contrà mala omnia incursantia probatissimum amuletum, non superstitiosum, vt finxit antiquitas, sed verum; *Vir* enim *obediens loquetur victorias.* De sorte suâ securus est Clericus Regularis, cùm de ipso Numine fermè triumphet Egregiè Augustinus vel quisquis ille sit ad Fratres in Eremo: *Sciendum Fratres, quòd quanto modo erimus obedientes Superioribus nostris, tantò Deus erit obediens orationibus nostris.* Quis erit de sorte suâ sollicitus, quando illam habet in manu suâ, ac sibi obsequentem?

Clauũ æneũ gestabant in collo veteres tanquã amuletum malorũ omnium.

Pierius Valerianus de clauo æneo.

Aug. serm. 6. ad Fratres.

Sed

Sed ad alterum transeo clauum, quo nostram sortem firmamus. Omnia habet, qui nihil possidet; tunc Deus est sors nostra,& nostrum prædium quando calcamus terrena. Quando pauperes spiritu,tunc beati: quia Deus tunc possessio nostra erit: *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.* Paupertatem itaque nos Clerici profitemur summam: contenti sorte nostrâ, aliam non quærimus; modus hic viuendi antiquus est, & ab Apostolis ductus. Luculenter de Clericis Regularibus Beatus Laurentius Iustinianus. *Ibi paupertas voluntaria primatum tenet, atque perfectionis Ecclesiæ, quam in suo exordio actitabat, præbet imaginem.* Hæc imago exemplar nostrum, à quo nostram expressimus paupertatem, hanc exhibuit in nostris constitutionibus sanctissimus Parens noster Beatus Caietanus, qui non stipe coactitiâ, sed ex vltrò à fidelibus oblatis iussit nos viuere: Ipse vixit adeo paupertatis amans, vt moriens voueret precariò humari Conditorio, Franciscum Seraphicum imitatus in cinere, & cilicio oppetentem, vt toti Christiano Orbi præberet iuxtà humilitatis, & paupertatis exemplar.

Paupertas summa conuenit Clericis Regularibus.

Laurent. Iustin. de conuers. monast.

Paupertas nostra Apostolica.

Paupertatem tam sanctè Clerici Regulares colunt, vt etiam ad voces, quæ illi officere possint, tanquam ad piaculum paueant, ab Apostolis ipsis desumpto in verba, quæ proprietatem aliquam innuunt horrore. Sic Augustinus. *Non dicatis aliquid proprium, sed sint omnia communia.* Paupertati derogat qui aliquid sibi si non re, vel bis arrogat. Manus, & lingua sint à proprietate immunes: candor paupertatis etiam à cordis cogitatione læditur, cor vnum, & anima vna renuit propria possidere. Præclarè Basilius: *Meum, & tuum in vniuersum à Fratribus vsurpari ratio vetat, erat enim credentium cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum aliquid possidebat, nec suum dicebat.* Non esset cor vnum, vbi non vnum votum, nec vna cogitatio.

Voces ipsæ lædunt paupertatem in nostro ordine.

Etiam cogitatione læditur.

Basilius vbi suprà.

In Chronicis Fratrum Prædicatorum notatur Diui Thomæ Doctoris Angelici blanda monitio, quâ monitus Frater, qui in in Choro canens, mente inhiabat in epulum à deuoto quodam viro allatum. Duplicis criminis reus ille à Diuo Thoma factus, & quòd auerteret à Deo mentem illam conuertens ad patinas; & quòd solus quamuis mente

D.Thom arguit proprietatis cogitâtê ante alios comedere epulum pr[æ]paratum omnibus.

edere tentaret commune pabulum. Horrebat Sanctus Doctor, vel mente ipsa violatam paupertatem, hortatur, vt mente solus non deuoraret cibum, quo omnes erant stato tempore reficiendi.

Custodienda igitur summo studio paupertas à nostratibus est. Rimæ sarciendæ, quas decursu temporis ædes faciunt. Peculia dico, quæ Religiosi interdum sibi honesto lenocinante prætextu arrogant. Heu quæ lues! Si Religionem inuadit, totam, quanta quanta est inficit. Parua, & vt videntur honesta peculia, adolescunt in maiora, tandem in censum, & in diuitias terminant. Mala innumera, quæ à venenato hoc fonte scaturiunt. Audi à Dionysio Chartusiensi; *Viri prudentes, & sancti Religionum institutores ex proprietate, seu peculio multa mala prouenire didicerunt, vt contumaciam, superbiam, contentionem, factionem, auaritiam, inanem gloriam, inuidiam, mendacium, luxuriam, occupationem infructuosam, curam superuacaneam, dissolutionem variam, mentis distractionem, accidiam; negligentem diuini officij persolutionem. Abundantes enim peculio ad resistendum suis superioribus, fiunt audaces, disciplinam, & correctionem agrè ferunt, & excutiunt, factiones cogitant, rebelliones fouent. commessationibus, & ebrietatibus vacant, ex quibus in vitia carnis labuntur, & quotidie magis excæcantur, & obdurantur.* Heu claudite Religiosi omnes tot malis irruentibus ostium, cauete à peculiis. Peculium, & Pars Clerico Regulari solus Deus, vt cum Rege Hebræo canat. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.*

Peculia Religionis pestes.

Mala inde prouenientia. *Dion. Carth.*

Nil possideat, contemnat omnia futurus mortalium omnium decretoria die iudex, Clericis dictum est: *Vos, qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* Luculenter de Clericis Regularibus loquens Philippus Abbas bonæ Spei. *Non enim nisi pauperibus potestas conceditur iudicandi, licèt multis ex populo diuitibus gratia concedatur saluandi. Denique tanta perfectionis est, paupertatisque cognatio, vt sine paupertate perfectionem illam Euangelicam non possit quis habere quam Christus Apostolicum, idest Clericalem ordinem voluit obtinere,*

Matth.

obtinere; quia enim magnum erat eos tenere apicem Ecclesiastica dignitatis, voluit vt eor ă vita esset perfecta sanctitatis, vt perfecto ordine vita perfectio conueniret, ne propter vitam dissonă erubescens dignitas obmutiret. Muta dignitas est Clericorum non vocalis, quă praua dedecorauit vita, dignitas voluntariâ paupertate, non diuitiis augetur. Egregiè igitur nos & sortem, & dignitatem nostram æneo paupertatis clauo firmamus.

Vltimum sorti nostræ clauum figit Puritas, quâ Clerici carnem suam affigunt Cruci. Hæc benè custodita non vacat suo martyrio. Rubescit ebur antiquum. Cùm enim puritas iuit ad canos, veluti tacta meta, & reportato brauio, purpuram induit, vel ambitiosa de triumpho, vel gloriosa de martyrio. At pudor silentium amat: rubescit interdum cùm laudatur, & ad cor redit, vt se celet in suo cælo, ibi ex Christi oraculo sedens quiescit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi mundum videbunt*; à corde & beata audit, & Dei visionem operitur. Inde in mentem sanctissimæ cogitationes, & recta consilia, inde custoditæ oculorum fenestræ, & petulans lingua cohibita. Quilibet curiosus aspectus, quodlibet procax verbulum, quælibet immunda cogitatio sanctam puritatem potest fœdare. Ne dum videre, sed vel ipsum velle videri ad confinia libidinis damnauit Tertullianus. Scrupulosè tractanda sancta hæc nix, quæ statim vel defluit, vel saltem fœdatur.

Puritas quã magna debeat esse in Religiosis.

Quæ puritas vera.

Matth.

Nix puritatis facilè fœdatur.

Tertull. de orn. mulier.

His itaque clauis firmatâ Clericorum sorte eleuemus securi Religionis nostræ vexillum, Crucem nimirum in tricipiti monte sitam, quia sanctum hoc labarum tunc nobis propitium, cùm tria vota suppedanea illi sternimus. Gaudet sanctissimum signum in horum montium fastigio collocari, vt omnibus se ostentet Religiosæ vitæ triumphum. Hanc tesseram habemus, quâ terris, quâ cęlo dignoscamur. Maiores nostri crucem sibi vindicarunt, hac enim vterque Orbis & terrarum, & cæli innouatus est. Ita Ambrosius. *Erit enim beneficio crucis, quâ innouantur vniuersa, Sol nouus, & terra noua.* Putarunt Clericorum Regularium auctores inueteratum sceleribus sæculum, offuscatum nubibus Ecclesiasticum cælum posse eodem signo, vtrumque iterum

Vexillum, & tessera Clericorum Regularium Crux.

Cur Crux nostra tessera.

S. Ambros.

Spes nostra in Cruce.

innouari. Tota eorum spes ad tantum patrandum opus non sapientia verbi, non sanguinis splendor, non diuitiæ, sed virtus sanctissimæ crucis fuit, quâ & Dæmones, & Mundum, & carnem impetere ausi sunt. Accedebat, quod paruula nostra vinea, & in ea recens plantatæ vites, nisi tali innixæ statumini, nec subsistere, nec ad perfectionis fastigium extolli in vuam poterant, ab hoc enim fulcro, & vitium fœcunditas, & tutamen vineæ ab incursantium vulpecularum insidiis. Rectè idem Ambrosius: *Crux non esurit aliena merita, sed fæcundat: meritò scriptum est in canticis canticorum. Prendite nobis vulpes pusillas exterminantes vineas, vt vinea non floreat* Quo ostenditur, *vel quòd Dominus Iesus, vel Ecclesia fraudulentorum dolos in vinea nostra exterminandos esse præcipiat, vt pusillis vineis non noceant.* Quot dolos, quot fraudes, quot machinamenta dæmonum sustinent Religiosi viri, & contemplationi, & actioni operam suam nauantes? Munus Clericorum vtramque vitam complectitur, ita Mariæ adhæret vt non sit sine Marthæ sancta sollicitudine. In hoc enim potissimùm diuersi ex Ambrosij oraculo nos Clerici Regulares à monachis sumus. *Nam hæc duo*, aït ille, *in attentionem Christianorum deuotione præstantiora esse quis ambigat Clericorum officia, & monachorum instituta? Ista ad comitatum, & moralitatem disciplina, illa ab abstinentiam assuefacta, ac patientiam. Hæc velut in quodam theatro, illa in secreto. Spectatur ista, absconditur illa. Ideo bonus athleta ait. Spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis. Hæc ergo vita in stadio, illa in spelunca. Hæc aduersum confusionem sæculi, illa aduersus carnis appetentiam. Hæc subijciens, illa refugiens corporis voluptates. Hæc gratior, illa tutior. Hæc seipsam regens, illa seipsam coercens. Vtraque tamen se abnegans vt fiat Christi quia perfectis dictum est: Qui vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Nos, qui aliorum saluti incumbimus, geminam crucem nostram, & proximorum interdum ferre debemus, ideò illud vexillum à nobis electum, sub cuius felici auspicio pugnamus.

Clericorum Regularium vita ex sancto Ambros. & contemplatiua, & actiua. *Ambr. lib. 3. epist. epist. 25.*

Tandem, vt tuta foret Religionis nostræ cymbula, dum prædicationi, aut proximorum saluti vacamus, à sæculi vndis,

Crux in naui seu arbor, vt secura appellet portum.

viridis, à fluctuante hoc Oceano, à prauorum spirituum incursu, Crucem veluti in naui Religionis nostræ arborem figimus, ex eiusdem sanctissimi Præsulis monitis, vt securi appellamus portum. Luculentissimè sic ille, cum quo huic annotationi finis *Benè autem nauigant, qui in nauibus Christi Crucem sicut arborem præferunt; atque inde explorant flabrosa ventorum, vt corpora sua dirigant ad sancti Spiritus gratiam, in ligno Domini* tuti, atque securi. Nec permittant naues suas vago fluctu errare per maria, sed ad portum salutis, & ad communem gratiæ cursus sui directionem contendant, vbi naufragia timere non possint. In Cruce itaque, velut in latebra Religionis Clericorum Regularium, & munus signatum, & scopus habetur.

CAPVT IV.

Religiosorum familiæ pars præcipua amplissimæ Christi domus.

RELIGIOSORVM hominum cœtum amplissimæ Christi familiæ annumerare ipse me cogit decor Virtutis, quo Sanctissimi Viri præstare cæteris mortalibus student; summâ enim ope nituntur, vt ætatem, quam & Numinis comtemplationi, & sanctæ actioni impendunt, ita transigant, vt Deo gloriam, Christi Ecclesiæ laudem, fidelibus admirationem pariat; Igitur Cænobitæ assiduæ Dei contemplationi incumbentes in cælestem Vitam fermè transeunt, Cælo mente inhærentes, faciliùs, quàm terris corpore, ex perpetuis enim Deo fusis precibus scalam sibi faciunt, quâ impetraturi à Deo gratias cælum fæliciter ascendunt, descendunt ad terras, vt reportent mortalibus iam exoratas.

Quem locũ religiosi sortiantur in Christi familia.

Cænobitæ magis in cælo mẽte quàm corpore in terris sunt.

Id aliquando futurum Iacobæa scala prædixit, factum cum cæteris religiosæ vitæ alumnis, sancti Romoaldi monachi expressêre; de singulis enim ascetarum cellulis loquens

Iacobea scala symbolũ religiosorum.

quens

Basilius de laud. eremi.

quens magnus ille Basilius ait, *Tu scala Iacob quæ homines vehis ad Cœlum, & Angelos ad humanum deponis auxilium.*

Monachi mundo superiores, & quomodo.

Ad terras remeant Monachi assueti cœli delicijs, vt opitulantes mortalibus ostendant se viuere in Mundo posse Mundo superiores, quippe non illis insolens (omnia domante Virtute) voluptatum impetum reprimere, delicias contemnere, cœlum petere, dæmones superare. Monachis id totum tribuit sub gnosticorum nomine Clemens Alexandrinus: *Qui sunt voluptate superiores, qui vincunt animi motus, qui sunt gnostici, cognoscendi potestate præditi, Mundo sunt maiores.*

Clem. lib. 2. stromat.

Monachi suspiciuntur à mortalibus, vt astra cælo affixa.

Ephrem Syr. serm. 1. de sacerd. dign.

Orbis non capit, nec sustinet ima Tellus Cœnobitarum Maiestatem; meritò suspiciuntur à mortalibus, quos Virtutum fastigium supra mortales euexit. Cæterùm dum homines inspiciunt ascetas in terris luce sua omnia illustrare calore fouere, exemplo, & sancta Politia implere, illos admirantur, vt sidera affixa cælo, prona mundo, fauentia terris. Egregiè Ephrem Syrus: *Non desisto fratres laudare & glorificare illius dignitatis profunditatem, quam nobis Adæ filijs Sancta largita est Trinitas, per quam Mundus saluatus est & creatura illuminata, per quam Montes, & Colles, Rupes, & Valles illustri, ac veneranda politiâ, sanctorum inquam monachorum impleta sunt.*

Cur Religiosi annumerati inter astra.

Lubens lucentibus astris ascisco monachos, & Mundo maiores, quos Gratianopolitanus Antistes inter resplendentia sydera vidit: Mysticum enim Religionis cælum suam habet societatem cum vero; Hinc inclusos religiosis familiis, mortalium nobilissimos censeo, quia cognati cælitibus ac Dei filij; De his etiam impletur Saluatoris oraculum quo minimus in Regno cælorum illi præfertur, qui existimatione maxima in terris viuit; *Qui minimus est in Regno cælorum, maior est illo*; Chrysostomus integro sermone ostendit monachum Rege nobiliorem.

Religiosi quolibet Principe nobiliores.

Non defuere, ex mundi Proceribus, qui abiectâ purpura, & regali Maiestate, cui dominabantur terra relicta, ambierunt nomina sua in hoc mystico cælo priùs describere, quæ postea exarata inuenirent in vero: Ex his fuere Anastasius, Theodosius, Michael, Isacius, Carolus, Lotharius,

charius, Hugo, Rachisius, Pipinus, Bamba, Ramirus: piget innumeros Reges, Dynastas, Principes, nobilissimis ortos nata'ibus recensere, qui contempto sæculari nomine, nomen suum Religioni dederunt. His flosculis vernat fertilis Ecclesiæ ager, his margaritis nitet sanctissima Christi domus; his astris fulget Ecclesiasticum cælum.

Cæterùm quamuis Cœnobitæ Olympo insinuati, & cælari in Cellulæ suæ cælo, non desistunt tamen fauere terris benignissimo radiorum afflatu; dum enim flagrant vitæ probitate, dum moribus suauissimis spargunt odorem sanctitatis, Orbem totum inhalant odore suo, & languentem Ecclesiam Christi sponsam suauissimis vnguentis, floribus, malis reficiunt; Voces Ecclesiæ illæ sunt, suppetias à Religiosis viris petentis. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Ibi eleganter clamat Nyssenus; *ô admirabiles Columnas & noua fulcra; Quemadmodum fiunt vnguenta (sic ipse vertit) columnæ domus: Quemadmodum sanctissima tecti constructio nititur benè spiranti odori?* Columnæ & fulcra militantis Ecclesiæ Religiosorum est bonus odor, per totum terrarum Orbem spirans. Eò fortassis & Basilius magnus allusit Religiosos spirantes Columnas nominans. Sustinent Ecclesiam hæ Columnæ, dum suauitatem odoris spirant; Felices Atlantes, qui non humeris, sed eorũ sanctissimo vitæ odore fulciunt labantem Orbem ac firmant à facinorosorum hominum prauis moribus, à falsis hæreticorum dogmatibus fermè nutantem Ecclesiam. Arietabat olim in illam eloquentiâ (veriùs dicam) loquacitate suâ Faustus Manichæorum Princeps, sperans Christianæ Ecclesiæ ruinam. At illi Augustinus opposuit Monachos, terapeutas Religiosos, vt hostilem hæreticorum impetum reprimeret, & ignea tela, quæ parauerant Dæmonis satellites, extingueret: *Iam accipite*, ait ille, *Manichæi perfectorum Christianorum, quibus summa castitas non laudanda tantum sed capessenda visa est, mores & continentiam singularem, hi secretissimi penitus ab omni hominum conspectu desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest.*

[Margin notes:]
Religiosi odore sanctitatis Ecclesiam Dei fulciunt.
Cant. 4.
Nyssen.
Basilius magnus ibid.
Religiosi Columnæ spirantes.
Religiosi oppositi ab Augustino Manichæis de Dei Ecclesia malè loquentibus
Augustinus de moribus Ecclesiæ.
Religiosi separati ab hominibus perfruuntur Dei colloquio, cui puris mentibus inhærent.

Religiosi quo pacto castrum & castra.

B. Thomas à Villa noua castrum Religiosos dicit.

Basilius de const. monachor. Turris Dauid Religiosorum symbolum.

Religiosorum Choros, & Castra Dei dici possunt quibus tutatur Iacob à fraternis insidiis, & Castrum, quo à portis Inferi, & ab hæreticorum phalange redditur secura Ecclesia. Basilius magnus affirmauit Religiosos turris Dauidicæ in media Ecclesia excitatæ imaginem expressisse. *O Turris Dauid*, ait ille, *quæ ædificata est cum propugnaculis ad auxilium hominum descendens.* Quadrat egregiè monachis esse & sponsæ collum, & Dauidicam turrem. Primùm, quia contemplationi incumbentes, dum sursum spectant, erigunt, ac fulciunt, mysticum Caput. Superiores dico omnes, vt liberius aëre perfruantur, & cælum aspiciant. A capite per collum attracti spiritus in cætera diffunduntur corporis membra; Quot gratiæ, quot beneficia exorata à Monachis? qui ea per Orbem Christianum charitate flagrantes fermè effundunt, verè Ecclesiæ collum, nam ab eorum orationibus interdum putrida, ac separata membra sanctissimo Capiti adhærent. Quot hæretici eorum auxilio detestatâ hæresi adhæserunt Ecclesiæ? Quot facinorosi homines ad sanctissimam vitam conuersi? quoties iratum, & ab humano genere auersum Numen conciliârunt mortalibus? Bernardus affirmat *eos constitutos orare pro Corpore Ecclesiæ, tam pro viuis, quàm pro defunctis.* Nazianzenus ait, *Religiosorum lacrymas esse peccati diluuium, & Mundi expiamentum.* Eusebius, *eos esse* (ait) *summo Deo consecratos pro Vniuerso genere*, Collum sunt quo adhærent membra capiti, sed collum ad instar Dauidicæ turris, à quâ pendent mille clypei & omnis armatura fortium. Quot peccatores à venenatis Dæmonum telis, his clypeis tuti? Quot fideles in tentationum pugnâ dedissent dæmoni, carni, mundo, manus, nisi Religiosi accurrissent, tegentes clypeo, auxiliantes fortibus armis? Ipsi sunt, qui Dæmones frænant, ne lupinâ rabie in Christi gregem debacchentur; eorum perpetuis orationibus, ac sanctissimis exemplis munitur Ecclesia ab ingruentibus inimicorum insidiis, semper vigiles, semper prompti ad auxilium, & ad iuuamen, ad præsidium animarum; Ideo legis perpetuò & clypeos, & arma pendere ab hac sanctissima turri. Meritò Chrysostomus hortabatur Antiochenum populum

Religiosi quomodo sponsæ collum.

Religiosi per Orbem christianum effundentes gratias.

Religiosi constituti orare pro Ecclesia. ser. par. 63.

Orat. 1. in Iulianum.

Religiosorũ lacrymę peccati diluuiũ, & Mundi expiamentũ.

Quo pacto ab hoc collo pendent clypei, & omnis armatura fortium.

Religiosi Dæmones cohibent, nę debacchētur in Mundum.

Chrysosto-

lum vt Religiosorum ædes, ac monasteria adirent, quò certatim inde referrẽt ad se tuẽdos clypeos, ad impugnandos hostes fortia arma; Cæterùm Religiosi Portus sunt, quo securi appellunt naufragantes in hoc sæculo fratres: Hæc turris peccatoribus excitata est veluti pharus ad naufragantium lumen: Hæc egregio opere constructa & à peritissimo artifice, vt moliendarũ rerũ extaret probatissimum exemplar. Religiosi à Deo instituti, vt ad frugem meliorem, & Vrbes & Orbem totum componant exemplo suo. De Monachis clamat Basilius magnus; *Turris, quæ ædificata est, cum propugnaculis* ad auxilium hominum.

mus Populũ Antiochen. exhortatur vt adeat Religiosorũ monasteria. Religiosi portus, ac pharus naufragantibus peccatoribus.

Verùm, cui fastigium eminentissimæ turris emetiri animus est, adeat sanctissimum Hipponensem Episcopum Augustinum; audiat illum sic egregiè de monachis declamantem: *Videtur nonnullis monachos res humanas plusquàm oportet deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non sinimur. Nam hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum, & honorandum videtur oratione nostra videri, quî potest? tantum isti admonendi sunt, qui se inaniter iactant in tantum processisse temperantiam, & continentiam sanctissimorũ catholicæ fidei Christianorum, vt restringenda nonnullis, & quasi ad humanos fines reuocanda videatur.* Excessit humana confinia hæc turris, hæretici, veluti minuti canes latrant ad incognitæ virtutis occursum, quod non possunt suspicere, despiciunt; Quî enim fastigia sanctitatis intueri valeant, cœno, & fæce flagitiorum pœnâ obruti? aliena virtus illorum delictorum exprobratio est. *Fastigia sanctitatis Religiosi audiunt* à sanctissimo Præsule Augustino, cùm perpetuò ad perfectionem collimant, contemptis Mundi, & carnis illecebris: his exonerati impedimentis ad sublime hoc sanctitatis fastigium euolarunt, *contemptis enim voluptatibus*, vt inquiebat de martyribus Tertullianus, *erudiuntur ad optatam, contemnendam mortem*: Quidni dicamus sanctitatis fastigium monachorum aciem? quam vocat *Plenitudinem Euãgelij* Paulinus, cæteri probi viri adhuc degentes in sæculo, Euangelij mandatis parent, illud tamen omnino non im-

Monachi fastigium sanctitatis, & fermè excedens humanæ naturæ confinia.

August. ibid.

Cur latrant hæretici in Religiosos.

Cur Religiosi dicti fastigia sanctitatis.

Tertullianus. Paulinus epist. appellat Religiosos plenitudinem Euangelij, & cur

I 2 plent

Religiosi implēt Euāgelium seruantes præcepta & consilia.

plent cùm se non abnegent, suam crucem non sustineant, non sint pauperes spiritu, cætera Christi consilia prætermittant. Religiosis viris datum, vt Euangelium impleant, vt ad perfectionem nuncupatis Deo votis tendant, vt sint fastigia sanctitatis.

Quomodo Religiosi se habeant, vt iuuent proximos.

Non tamen ita affixa polo hæc sidera, ita sedent in cælesti solio, hæc fastigia sanctitatis, quin interdum ad proximorum iuuamina, & oratione, & exemplo, & actione descendant, præcipuè, qui non solùm contemplationi, sed etiam actiuæ vitæ operam suam nauant. Gregorius Nazianzenus Theologorum Princeps affirmat, Religiosos à Deo positos *Vniuersi Orbis supplementum*, fatiscenti terræ, & facienti rimas à graui mundanorum scelerum pondere. Quis accurret tales rimas impleturus nisi Religiosorum sacer Senatus; Quis accurrit deficienti Orbi, cum elementa penè illum destituunt, aquarum penuriâ sterilescente tellure, & apertis vndique rimis vndas exorante, quis orat, vt cælum benignè in illum influat? Religiosi, quos Deus posuit Orbis supplementum. Quis furente pestiferâ lue, & veluti dirâ falce dimetente mortalium manipulos illam cohibet? Religiosi, qui & Numen orant, & sacram exomologesim suadent, vt crimina, quæ prohibent cælestem benignitatem omninò submoueant, & Vrbes ab his flagellis vindicent. Ipsi veluti tot Moses se irato Deo opponunt, & quamuis à Numine dati legislatores, & superiores Orbis minimè sint, data tamen sunt supplementa Mundo deficienti.

Greg Nazianzen. Religiosos appellat vniuersi Orbis supplementum, & cur?

Religiosi veluti Moses placantes Dei iram.

Sed ad ea veniamus munera, quæ non terrarum orbi tantum, sed præcipuè ipsi sanctæ Matri Ecclesiæ Religiosi filiis impēdunt post Christi Domini Apostolos, ipsi sacram fidem succolantes, ex Christiano Orbe ad nouum vsque inuexêre, Euangelicam veritatem, sacra dogmata Ethnicorum & hæreticorum pectoribus insinuantes; Baiulos fidei appellauit D. Thomas Apostolos fortassis, quia pauperes nudis pedibus, afflicti, angustiati, fidem gentibus importàrunt. Modò Præsules, Episcopi, Primates, optimè suo defungentes munere, tamen temporalibus affluentes bonis portantur à fide magis, quam portant. Contra Religiosi

Baiuli fidei Apostoli, & cur? D. Thomas.

giosi in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, baiulant fidem, & ceruicibus suis ad Indos vsque, ad Caucasi montes, ad remotissimas cæli plagas ferunt. Verùm de hoc suus non deerit locus, cum de Ecclesiasticis expeditionibus sermo inciderit.

Ad ipsam Ecclesiam deuenio, & Petri nauiculam quæ à Iudæ proditoris sceleribus primùm, tum verò ab ipsis hæreticorum, ac prauorum hominum flagitiis penè fecit naufragium, Religiosi Apostolicam succolantes vitam, laborantes in remigando, voce, calamo, doctrina, exemplo illam in tutissimum portum conantur deferre. Adiice sanctissimi Pontificis Innocentij III. attestationem, qua fermè labantem Lateranensem Ecclesiam, pauperis cuiusdam, ac ignoti hominis ceruicibus sustentatam se vidisse retulit: mox de facie cognitum Franciscum, hunc fuisse inclinatæ Ecclesiasticæ molis fulcrum, compertum omnibus fecit; sic etiam continenter, & reliquos sanctarum familiarum authores, suos humeros sacro huic oneri (vt stet in hæreticorum tela robustius) submittere coniecturam facio; Augustini, Benedicti, Bernardi, Dominici, Francisci, Caietani, Ignatij sunt illi Atlantes, qui humeris suis post sanctissimos Præsules sustinent Ecclesiasticum hoc cælum; Id suadet mihi ipsa Iacobæa scala, quam Religiosarum familiarum expressisse imaginem supra ex Basilio probauimus; ibi legitur, quòd scala Numini, Numen ipsi scalæ innitebantur. Erat & Dominus innixus scalæ, sic se Religiosæ familiæ, & sancta Ecclesia veluti amantissima parens, & natæ se fouent mutuis officiis beneficiisque, firmat enim sanctissima Petri Sedes religiosas familias (sine cuius authoritate forent nullæ) & in partem sacri Ministerij illas asciscit; Ipsæ vicissim sanctissimæ Sedis fulcra sunt & vt supra diximus, *spirantes columnæ*; ab ipsis enim profligati hæretici, & fusi, impetentes sanctissimam Sedem eorum calamis detectæ primum, tum deletæ perniciosissimæ hæreses; ab ipsis correcti praui mortalium mores; ab ipsis frequens Sacramentorum vsus diu intermissus; ab ipsis lux cæcutientibus peccatoribus versantibus in vitiis; ab hoc sale penè marcescentes mortales in peccatis condiuntur, ne putre-

Religiosi nautæ laborantes in remigando vt Petri nauiculam ducant in portum.

Lateranensis Ecclesia humeris D. Francisci sustentata.

Authores Religionum humeros supponunt Ecclesiæ laboranti.

Ecclesia innititur Religiosis. Religiosi, eo magis innituntur S. Romanæ sedi sine qua nulli forent.

Religiosi sal quo condiuntur homines, ne in sceleribus marcescant.

ſcant; ab ipſis tandem Dei nomen expanſum, & gloria Domini diffuſa, in remotiſſimas cæli plagas; *Et ecce gloria Domini ſtabat ſuper ſcalam*; Ita paraphraſis Chaldæa ſubdit, *In Religioſis familijs (præcipuè ſi in publica, ac magna exiſtimatione habeantur) & eorum ædibus, ac templis ſplendet Dei gloria*, & vt dicebat Ambroſ. *Qui videt miniſtrum altaris, congruis ornatum virtutibus, auctorem prædicat & Dominum veneratur, qui tales ſeruulos habeat. Laus enim Domini vbi munda poſſeſſio & innocens familia diſciplina.*

Splendet Dei gloria in Religioſorum ædibus.

Ambr. lib. 1. off. cap. vlt.

CAPVT V.

Virginum chorus quo pacto augeat, & ornet Christi familiam.

Cur numerandæ virgines in Christi familia.

Apoc. ſ qui ſequuntur Agnum quocumque ierit.

Alluditur ad orationem.

Ora pro Clero, intercede pro deuoto fœmineo ſexu.

NOBILISSIMVM hoc domeſticorum Dei agmen, ſanctámque familiam, Virginum Chorus claudat pudore ſuo; Virgines enim Agni immaculati, & ſtipantes latera, & ſequentes veſtigia in cælo, non recenſere in terris, ceu Chriſti domeſticas turpe foret. Domus Dei delicium, Virginum candor eſt, ſparſis his liliis nitet fertilis Eccleſiæ ager, his floſculis æmula ſtellarum picturata fulget Dei tellus. Læta parens Eccleſia poſt clerum, quaſi maſculam prolem Deiparæ commendatam offert ſequiorem ſexum, Virgines ſacras, ac Deo deuotas, ita ſummo parenti ſiſtit fertilis hæc parens vtramque prolem, alteram ſacri characteris maieſtate pollentem, alteram præſtantem Virginitatis candore.

Eccleſiaſticũ cælũ ornatur ſydere virginis?

Cur regnum cęlorũ etiam virgini fatuę comparatur, exemplo Eccleſiæ explicatur.

Sanctimoniales nuncupatis Deo votis ornant myſticum Eccleſiæ cælum lucidiſſimo virginis ſidere; Nec Chriſtus dedignatur ex clariſſimâ virginum ſimilitudine illuſtrare cælorum Regnum in quo ſi errans, & fatua ſtellula reperitur, non derogat lucidiſſimo ſideris fulgori; digna etiam fatua, quia Virgo, vt annumeretur aſtris. In Eccleſiæ nobiliſſimo cælo celati facinoroſi homines & abſconditi in ampliſſi-

amplissimâ suâ luce nihil sanctæ Maiestati detrahunt, quia illa dicatur ciuitas sancta, vinea fructifera, Mons excelsus, directa via, columba vnica, sponsa, corpus Christi, firmamentum verum: sic illibatus pudor nullâ fatuitate fœdatur, semper nobilis, & gloriosa Virginitas, quamuis in cœno, ac luto reperiatur, diuino ore non indigna dicitur quæ componatur cælo.

Apoc. 21. *Psalm. 79.* *Isai. 55.* *Cant. 6.* *Ephes. 1.*

Virginalis hic candor in terram ab ipso diuinitatis fonte deriuat. Gregorius Nazianzenus Theologorum apex affirmat *Prima Trias virgo*, splenduit in cęlo virginitas, cùm Parens summus genuit filium, sine matre; splenduit in terris cùm sine patre, mater in antro Bethlemitico, filium suum primogenitum enixa est; Nescit Virginitas, vel in cælo, vel in terris posita parere nisi Deum.

Origo virginitatis ab ipso fonte diuinitatis. Primatrias Virgo. Virginitas nescit parere nisi Deum.

Hinc ambiunt Angeli, & æmulari virginale decus; quod primum inspexerunt in cælo; & custodire in terris, ne agrestis, & rustica manus audeat præcidere illibatum Deo florem; Sanctus Ambrosius illud Canticorum *Mille tui pacifici & ducenti his qui custodiunt fructus eius*; illustrans ait, *Vobis Virgines spirituale præsidium est: nec mirum si pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis:* Angelorum militiæ accensæ Virgines, Angelorum more pugnant, candore nimirum ac luce; his munita præsidiis Cæcilia Valerianum sponsum expugnauit, *Ego Valeriane in Angeli tutelâ sum, qui Virginitatem meam custodit, quarè ne quid in me committas quo ira Dei in te concitetur.* datâ, ac acceptâ fide si Angelum vidisset, se nomen Christo daturum, vidit sanctissimum militem fulgentem diuino splendore, Valerianus, & dedit continuò manus Virginem venerans, quam vt sponsam acceperat; sic Angeli pro Virginibus strenuè militant, earum ad spirituale præsidium destinati, veluti rem suam agunt, florem incælitum ortum solo, impensè hîc custodiunt.

Angeli ambiunt custodire virginalem pudorem. *S. Ambrosius de virginib.*

Virgines in dæmones pugnāt luce, & candore sicut & Angeli. Cæcilia quo pacto Valerianum spōsum superauit.

At quis pulcherrimum hunc cælestem florem ad terras detulit nisi cælestis ille qui ad nos descendit Adam? Noluit, seruitutem deesse terris quæ ad cælestis aulæ morem nosceret Deo seruire, Ambrosius affirmat, *Fluxisse hanc Vitam de cælo, quam non facilè inuenimus in terris nisi*

Virginitatē Christus à cælo detulit in terras, & cur? *S. Ambrosius de virginib.*

postquam

postquam Deus in terrena corporis membra descendit. Meritò postquam cælorum Rex terras petiit, terrestres Angelos suo deputauit obsequio.

Et odor & virginus candor Christi secessus à fœtido carnis fœtore.

Fortassis etiam; vt ab illecebrarum illuuie, quibus noster Orbis abundat, Numen inueniret locum; casta,& innocua pectora selegit in quibus ab illucido, ac fœtido carnis odore actus secederet; sic Ciuitas refugij Christo, virgineus pudor fuit, & à fœtido carnalium illecebrarum horrore secessus; Huc respexit Hieronymi oraculum: *Qui ab Angelis adoratur in cælo, haberet Angelos idest Virgines in terris.*

Hieron. epist. ad.

Christus voluit, virgines in mundo vt esset ipse virginũ sponsus.

Voluit præterea Christus, vt essent in Mundo Virgines, quibus cum, veluti gentilibus suis, & ipse diuino non violato decore, purissima inire posset connubia, vt natus in cælo, & in terris, ab vtroque parente virgo; etiam virginum sponsus diceretur, Hinc laudata legis in Sponsa non capitis capillamenta sed colli crines. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerâsti cor meum in vno crine colli tui:* Vnde & capilli collo? Iniuria hæc capiti est, capillos & re, & nomine suos, alteri tribuere, An sponsa nuda colli, adinstar supplantati Iacobi hœdinis pelliculis contexit, vt Sponsum falleret? Crines propenduli, anteuentuli, tricæ, sparsi capilli, cincinni, hæc muliebris capitis, non colli ornamenta sunt Verùm acutè, & festiuè Sponsam suam à colli capillitio, non à capitis crine laudat sponsus. Sine capite erat sponsa, quia Virgo, & sine viro, caput enim mulieris vir est. tunc desideratur caput, tunc colli crines miris laudibus celebrantur à sponso, cùm adest religionis Sacramentum., & Virginitatis votum. Egregiè ad hunc sensum Rupertus, *Iste est enim crinis colli, caput non habentis, neque habere volentis: Nam caput mulieris vir, tu capite isto te indignum indicâsti, quia votum egregium vouisti, Voto virginitatis;* Vetuit Christus, ne vllus mortalium, vel parentis, vel magistri, nomen audiret; hoc enim attributo homini nomine, Numinis derogatur Maiestas, qui & magistri & parentis nomen solus omnino implet; sic nulla in Virgine de capite fiat mentio, id tantùm sponso virginum tribuatur; qui illam sibi tanquam collum iunxit, sic de

Cant. 8,

Cur crines attributi collo?

Rupertus hic. Sãctimoniales sunt quorum crines laudantur, nõ capitis, sed colli, & cur?

Cur Christus voluit vt nullus vel magistri vel patris nomine nominaretur.

de virgine ait Cyprianus. *Hac commendat & connectit Christo Virgines.*

Cyprian. de virg.

Læta igitur sancta parens Ecclesia, Virgines, & sanctimoniales Christi sponsas tenet fouétque sinu suo: His enim officiis, & Virgines colit, & Deo magnum præstat obsequium, illas magni pendens, quas Deus sibi in sponsas delegit. Augustinus ait: *Quæ virginitatem Deo vouent sine nuptiis non sunt, quibus sponsus est Christus*; Hinc Virgini priuilegium vt non velata, sed veluti de dæmone triumphans, aperto capite intret Ecclesiam. Isidorus ait; *Quia Virgo est & carnem suam sanctificare proposuit, idcircò velaminis venia fit illi; vt Ecclesiam notabilis, vel insignis introeat, & honorem sanctificati corporis in libertate capitis ostendat; atque mitram, quasi Coronam Virginalis gloriæ in vertice proferat*; Hinc fortassis vsus, vt in funere suo Virgines vultu detectæ, & coronato capite conditoria sua petant, ornatæ enim ad sponsi thalamum procedunt, Clerus illarũ funus vt Domini sui sponsas venerabundus prosequitur.

August. lib. 2. de Eccles. offic. cap. 18.

Virgines nõ sunt sine nuptiis cum Christus sit earum sponsus.

Cur Virgini conceditur vt sine velo intret Ecclesiam.

Isidorus.

Cur virgines coronatæ in funere

Nec ad decorem tantummodo Christianæ familiæ gloriosissimum virginum agmen recensendum erit, sed ad iuuamen, ad præsidium, ad militiam; iuuant exemplo suo naufragantes sæculi vndis, ne pereant, carnalium illecebrarum oblectamentis penè obruti, sed enatent à pelago libidinis, & securi castitatis portum appellant; Appinxit lampades virginitati Christus, quia illa semper lucida est, vndique suum diffundens splendorem illustrat Virgo mortales, vt conculcent carnis illecebras tanto exemplo perculsi; Aldhelm ad has sensualitatis Syrtes, & vortices alludens in quæ impingere assolent proiecti ad eiusmodi illecebras, virginitatem pharum appellat. *Laudanda virginitatis sublimitas, quæ quasi præcelsa pharus in edito rupis promontorio posita splendescit.* Rectè Athanasius ait *in virginitate exemplum habemus Angelicæ sanctitatis.* Mirantur Angelicam puritatem homines, cùm in Angelis eam inspiciant; indignantur, cum in fœminâ expressam se imitari non posse animaduertunt. Augustinus festiuè ait: *Aperiebatur ab eâ parte quâ intenderam faciem, & quâ transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena, & non dissolu-*

Tria Virginũ munera.

Cur Virgines cum lãpadibus.

Aldhelm. de virginitate.

Virginitas pharus.

In virginitate habetur exemplum Angelicæ sãctitatis.

August. in lib. conf.

tè hilaris, honestè blandiens, vt venirem, neque dubitarem, extendens ad me amplectendum, & suscipiendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum, ibi tot pueri, & puellæ, ibi iuuentus multa, omnis ætas, viduæ, & virgines irridebant; me irrisione hortatoriâ, quasi dicerent; tu non poteris quod isti & istæ?

Hoc homo non potest quod fœmina efficit.

Lactantius Firmianus de virginali contin.

Lactantius Firmianus de virginali continentiâ ait, *Hoc continentiæ genus quasi fastigium esse & consummationem virtutum, ad quas si eniti & eleuari poterit, hunc seruum Dominus, hunc discipulum magister agnoscit, hic terram triumphabit, hic erit consimilis Deo, qui virtutem Dei capit.*

Ecclesia etiã in fœminis agnoscit fastigia sanctitatis.

O sublimem, ac cælestem virtutem! in quâ vna, adorant mortales fœminam attingentem fastigia virtutum, de terra, ac de cælo triumphantem; illam calcans, hoc possidens, facta Dei similis, dum in terris posita Deus fermè esse cœpit; Ecclesiastica tellus hoc nobilitata sydere, non modo in planitiem vulgaris probitatis se explicat, verùm in rupes virtutum, & in fastigia sanctitatis se attollit, virgines enumerans in familia sua. Vsque adeò eminet hoc virtutum cacumen, vt qui ad hoc ascendat, mira & fermè cælestia reperiat bona; sic Cyprianus de pudicitiâ loquens. *Est honor corporum ornamentum virtutum, sanctitas sexuum, vinculum pudoris, pax domûs:* Ipsamet animalia ferocitatis oblita, ne dum lædunt, sed adorant Virginitatem. S. Gregorius Nazianzenus, Leones ante Teclæ pedes virginea lambentes vestigia sic eleganter canit.

Virginitas honor corporis, ornamentum virtutum, &c.

Virginitas, ô res mirabilis æuo!
Virginitas potuit sopire Leones,
Dente ne impuro generosos virginis artus
Ausi sint premere, & rigido discerpere morsu.

Non feros Leones timet virginitas.

Non dæmonem.

Est etiam Ecclesiæ præsidium virginitas: His liliis circumsepta, ac munita Christi vinea, singularem ferum depascentem vitium palmites non formidat, etenim, vt Cyprianus ait. *Ipsa & murus rigoris, & lorica pudoris & stolum probositatis, & libidinis carcer, & puritatis culmen.* Arcet iræ Dei pluuiam, accersit eluuionem gratiarũ Quoties diuinum furorem extinxit sacra Virgo oratione sua? Quot bonorum sacros partus virginalis pudor, Dei Ecclesiæ enixus:

Virginitas murus rigoris, lorica pudoris &c.

Virginitas placat Deum iratum.

xus: Testis fuit, vt remotiores ætates omittam, sanctissima Virgo Catharina Senẽsis Gregorio, & Vrbano gratissima, sæpiùs legationibus sacris ad maxima & grauissima Ecclesiæ negotia functa. Hæc sanctissimum Pontificem Gregorium adiuit, vt ad Vrbem remigraret, suasit, obtinuit, præsentia sua summo Pastore exhilarante Romam, diu absentiâ illius mœstam; Testis est Teresia virgo diuino ardens amore, & in hæreticos ardentissimo zelo flagrans, sanctissimæ Discalceatorum familiæ, si non auctrix, extitit restauratrix, & parens: docens, quo pacto sancta Tellus discalceato pede calcanda foret: Fœcunda Virgo, Christi familiam auxit religioso partu. Testis etiam nostro æuo lectissima Virgo Vrsula Benincalia ex eadem quâ Catharina Senensis familia, eodem penè afflata Spiritu Gregorium Pontificem decimumtertium adiit, hortatur, vt imminentibus Orbis malis Pontificiâ authoritate prospiceret, diuino consilio hanc legationem iniisse, perpetua virginis cestasis cõprobauit; sublimem Vrsulæ spiritum, ac lectissimos mores diu examinatos, miris encomiis extulit magnus ille Philippus Nerius, Congregationis Oratorij parens, qui Vrsulam bireto suo donatam (fermè hoc insigni prædicens virginem eiusque alumnas sub Clericorum Regularium ditione aliquando futuras) dimisit, vt in patriam rediens Congregationis lectarum virginum primùm foret fundatrix, mox sanctimonialium eremitarum constitutiones, vt à Numine acceperat, describeret, quas sanctissimus Pontifex Gregorius XV. sacro diplomate firmauit; mirum quantùm senescentem Orbem inhalabunt hæc Eremi lilia, quantum iuuabunt hæc Heliotropia, quæ despicientes curas sæculi perpetuò solem suum aspicient optimam partem electa. De his Paschasius. *Heliotropij flores qui nesciunt aspicere nisi solem Christum, nesciunt gaudere nisi de claritate & calore verbi, ita vt videas in meridie eiusdem floris orbiculos extentos & dilatatos intantum, vt gyrus eiusdem latior in orbe quam sit, præ gaudio videatur, expansis flosculis putes dissentire, ac lætari præ claritate luminis.* Reperit Vrsula, quo pacto sequior sexus in vrbe populatissimâ Eremum inueniret; Vbi virgines separatæ omninò ab hominum con-

Catharina Senensis cur ad Gregoriũ Pontificem missa.

S. Teresiæ amor in Deum.

Vrsula Benincalia laudata, quæ de ipsa dicũtur tanquam ab historico adhibenda illis fides, nondũ enim approbata ac recognita illa à sacra Sede Apostolica sunt.

Eius spiritus à Philippo probatus.

Aliẽna Clericorum Regularium.

Ad Gregoriũ XIII. mittitur.

Eius missio extasi comprobata.

Paschasius ibidem.

Inuenit Vrsula quo pacto in vrbe populatissima fundaret Eremum.

ſortio perpetuò pro Eccleſiâ Dei, ac Neapolitanâ vrbe fundentes preces Angelicam æmularentur vitam.

Virgines quo pacto dæmonis robur infringunt.

Ad ſacram militiam etiam iuuant virgines militantis Eccleſiæ fermè auxiliares copiæ. Dæmone in carnis illecebris aciem ſuam, ac ſtationem parante, ipſæ integritate vitæ, candore virgineo Stygium robur frangunt, Tartareas dæmonum phalanges fugant, de dæmone feliciſsimè triumphant vt dici optimè queat, *Mulier vna fecit confuſionem magnam in domo Nabuchodonoſor*: Virginis de carne triumphus, ipſius Eccleſiæ, capitis Christi, roſeum ſertum eſt expungens ſpinarum aculeos. Paſchaſius ſic virgines alloquitur. *Vos eſtis, quæ ſecundùm nobilitatem generis flos eſtis Eccleſiæ, quæ virore pudicitiæ, & caſtæ dilectionis ſplendore ſponſo ſerta componitis & coronam ſpineam mutatis quotidie in gloriam triumphantis.*

Iudith. cap.

Paſchaſius. in Pſalm. 44. in principio expoſitionis. Virgines ſpineã Christi coronam mutant in gloriã triũphantis.

Vbi peccatores ſanctiſsimum Christi caput transfigunt ſpinis, virgines coronant roſis. Triumphat quotidie de dæmone Christus in virgine, abiicit ſpineam coronam, vt tempora ſua floreo, ac nobili ſerto cingat.

Tunc enim & ſpinæ vertuntur in roſas, cùm carnales homines virginalis pudoris exemplo puncti à carnis illecebris caſti ſunt; tunc glorioſiſsimè triumphat Imperator noſter, cùm pudicitia nobile liliorum ſertum illi componit.

Virgines chorus caſtrorum.

Sunamitis eſt virginum chorus de quo ſponſus ait. *Quid videbitis in Sunamitide niſi Choros caſtrorum?* De virginibus loqui ſponſum affirmat Theodoretus: *Tunc*, inquit, *ſimile eſt Regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiàm ſponſo, iure igitur ſponſus ait, quid videbitis in Sunamitide niſi Choros caſtrorũ.* Regnant illæ, vt olim de Gedeone legimus, lampade, & candoris ſui lumine. Optimè virginibus Deo ſacris quadrat Ambroſij de Debborâ encomium *Fœmina indicauit, fœmina diſpoſuit, fœmina prophetauit, fœmina triumphauit, & prælantibus intermixta copiis imperio viros docuit militare fœmineo.* Tunc imperio fœmineo virgo præeſt hominibus, cùm illi præſtare diffidunt, quod iſtæ glorioſiſsimè gerunt; Hinc veteres ſophi, vt inditum animi vigorem in virginibus exprimerent, pingebant ac fingebant illas armatas; Vnde Hieronymus

Virgines Gedeonis æmulæ lampade pugnant, & luce.

Ambroſ. l. de viduis. Virgo homines docet militare.

rony mus

ronymus ad Principiam ait, *Vt ſcias ſemper virginitatem gladium habere pudicitiæ; gentilis quoque error Deas virgines finxit armatas.* Ad militiam virginalem etiam ſpectant præciſi illarum crines, nam Abantes olim capillorum mole ſe exonerabant, ne hoſtili furori ſuccumberent, illos capillamento attrahentes ad prædam; Clauditur à virgine dæmoni aditus præciſo capillo, ſecuræ illæ deſcēdunt ad prælium, vt militent in dæmones, adſcriptæ militiæ cæleſti, ſacrâ religione, fermè decaluatæ. Sic enim ſacer pudor, exemplo, præſidio, militia, opitulatur Eccleſiæ: igitur meritò à nobis familiæ Chriſti virgines fermè, vt viragines annumerantur.

Hieronym. Virgines olim, cur depictæ armatæ?

Præciſus capillus cur in virgine?

Capvt VI.

Sacra doctrina quàm neceſſaria Chriſti familiæ, & à quo nam fonte hauriendæ.

Paterfamilias domum, non modò moribus probam, ſed ſacris adornatā literis iubet, vt domeſtici ſui, vita iuxta, ac exemplo, virtutibus, ac eruditione, affectu ac mente polleant in Orbe Chriſtiano. Nemo audeat nomen in ſacrâ familiâ percenſere, qui vel horrens moribus; vel incultus ingenio, vel ſtertens otio ætatem ſuam per ſummam ignauiam, ac per infamem ſocordiam fœdè traducat. Sanctus Thomas Eccleſiaſticis viris vltrà phyſicas diſciplinas, ſacram doctrinam vt neceſſariam præſcripſit, ne Chriſtiani proceres veſtigiis cæcis, facti duces cæcorum, ipſi, eorumque aſſeclæ in foueam, ac in præcipitia ruant. Ad Deum rectà, niſi lumen adſit humana ratione ſuperius, nemo iuit, nemo ibit. Rationis noſtræ faculam (quæcumque illa nobis de Numine ſit) niſi fidei lampas, & ſacræ doctrinæ lumen inflammet; ſubobſcura erit, imbecilla, infirma, non valens ad verum tramitem mortales ducere. Martyribus cruore ſuo ſacra conteſtantibus, Doctores acceſsêre, qui fidem ferro, & ſanguine

Chriſti familia proba moribus, & præſtans doctrina eſſe debet.

D. Thom. in proœm. ad ſummam.

In Eccleſia ſacra doctrina neceſſaria eſt, & cur?

Cur poſt Martyres, Doctores Dei in Eccleſia?

ſanguine exaratam; atramento, & calamo illuſtrarent.

Cur Deus permiſit hæreſes in mũdo?

Igitur ſuſtinuit Numen æternæ mentis ſuæ conſilio, vt in Eccleſiaſtico ſolo, ac in medio tritici iacta hæreſum zizania pullularent, quò præſtò eſſent, qui prauas ſtirpes, & infecta venenis gramina conuellerent; ipſis ſacrum triticum in Eccleſiaſtica area excutientibus, puluis reliquus nullus foret, quo ſordeſcerent ſacræ familiæ, religioſæ mentes. Ipſa itaque hæreſum obſcuritas, ſacræ veritatis lumini, etiam nocens famulata eſt.

Quæ prima doctrinæ ſacræ exordia.

Verùm decurrentibus ſæculis, ex ſententiis, quas ſancti Patres, & Romani Pontifices, viríque doctiſſimi, varias nacti occaſiones, modò Eccleſiaſticas adſtruentes ſanctiones, modò componentes marcentes mundanis illecebris mores, modò exarata ab hæreticis praua dogmata eradicantes, tradidêre; veluti in falcem redactis, ac diſpoſitis, excitata eſt Theologica moles, à Petro Lombardo, qui ex illuſtri patrato opere Magiſtri ſententiarum nomen ſibi aſciuit; mox Angelicus Doctor D. Thomas Theologicam diſciplinam mirabili ordine, nobilioriquе methodo, ſaniori doctrinâ feliciſſimè illuſtrauit, & quam exegeticam à Patribus accepit, miro ingenio, ac felicitate, ſcholaſticam poſteris tradidit. Obſtupuêre ad hanc Angelicam doctrinam in Concilio Florentino Græci Præſules, admirati latinos, tantâ eruditione excultos, tantâ ſacrarum literarum præſtantiâ, & argumentorum ſubtilitate præpollere; ſciſcitati à quonam fonte tam puræ diſciplinæ latices hauſiſſent? Vbi compertum habuêre ab Aquino ſacras defluxiſſe ſapientiæ vndas, ad ſe deriuare tentant ſapientiæ fontem. Itaque Patres Græci vt latinam diſciplinam in Græciam traducerent, Diui Thomæ Summam, latino idiomate compoſitam, in Græcum traduxêre.

Quid in ſacra Theologia egerit Magiſter ſententiarum. Quid Diuus Thomas.

D. Thomæ Summa mirificè laudata à Græcis, & in Græcum idioma traducta.

Vitia conſequentium ætatum.

Verùm proh nefas! Conſequentes ætates, magiſtrorum, ac Theologorum turbâ inundantes, nouas texentes, ac futiles quæſtiones; veram, ac ſolidam doctrinam contempsêre, theologicum cælum vmbris, ac nebulis deformantes, illàc vertere anniſi ſunt ſacræ diſciplinæ orbes, quà auertebantur ab intelligentiâ cæleſti, mirâ prudentiâ. Gaudebant hi, vt in prouerbio eſt *in obſcuro ſaltare* reuocantes

cantes tenebras, quas olim fouens aquas Numen, à primâ abysso fugârat. Nil pensi habentes D. Thomam hoc præcipuè nomine., sparsam sanctorum doctrinam, & fermè palantes sacrorum Patrum sententias redegisse in Summam. *Considerauimus enim*, ait ille, *huius doctrinæ nouitios plurimùm impediri in his, quæ à diuersis scripta sunt; partim quidem propter multiplicationem inutilium quæstionum, articulorum, arguemntorũ; partim etiam quia ea quæ sunt necessaria talibus ad scientiam, non traduntur secundùm ordinem disciplinæ.*

> Nonnulli amant in tenebris latere.
>
> D. Thomas, proœmio ad Summam.
>
> Cur summa D. Thomæ ab ipso composita

Igitur Theologicam maiestatem ludicris fermè quæstionibus temerantes, in eas foueas fœdè incidêre, quas cauere Angelus Theologicæ disciplinæ Præses & monuit, & perpetuò monet è cælo. Percurrat lector per Orbem literarium, quot offendet futiles quæstiones, ingenia absque vllo fructu obruentes? Quot prætermissæ dissertationes, in quibus de rerum scholasticarum momentis agebatur. Piget de inuerso, & confuso ordine loqui, & de his, qui contemnentes angelicum ornatum, ad Orcum descendêre, in quo cuncta inordinata, nigrore, ac confusione sua iacent horrida. Vtinam Dedalus aliquis surgeret, qui suo filo errantes à fœdo hoc labyrintho adolescentulos ad rectam viam deduceret, & ab horrentibus difficultatum monstris liberaret.

> Contra temerantes theologicæ disciplinæ maiestatem ludicris quæstionibus.

Sunt nostra ætate quædam ingenia, quæ tanta nouandi, & ab aliis dissentiendi cupiditate flagrant, vt cùm noua placita in re litterariâ sine erroris notâ nequeant astruere, operam, & tempus perdentes, insectantur futilia, quæ alij tradiderunt ex trucidatis corporibus, & ex sæuitia in cadauera sperantes scalam sibi ad æternitatem structuros, impugnandi pruritu seruientes magis, quàm studio hauriendi doctrinam, quam in exhumando è conditorio quatriduano cadauere, nullam inuenient. Sanctus Thomas affirmat inferiorem Angelum, quamuis cogitationes suas superiori aperiat; nullum ex his lumen superiori infundi, vt ex illo vel dicatur, vel fiat doctior. *Illuminatio*, ait D. Thomas, *non est secundùm id, quod mente concipitur, sed secundùm quod dependet à primâ regulâ.* Quo pacto doctior

> Inuectiua in amicos nouitatis.
>
> Inuectiua in illos, qui, vt impugnent non verentur sæuire in cadauera.
>
> An inferior Angelus superiorem illuminet.
>
> *D. Thomas 1. par. q. 107. art. 2.*

cuadet

Inuectiua in Magistros tradentes chimæras suas discipulis.

euadet discipulus ad monstra, & ad chimæras docentis? quæ, cùm ad trutinam expenderis, & ad verum disciplinæ lumen, illicò comperies euanescentia. Interdum literatorum circulis interfui, post ingentes clamores, & aliquando etiam iurgia, vbi sperabam dubiæ, & perplexæ quæstioni nouam affuturam lucem, aduerti maiores, ac densiores inhorruisse tenebras, totam enim de vocibus, & de nomine habebant acerrimam litem, relicto dificultatis cardine (ex his erant de quibus S. Augustinus epist. 1. *qui magis linguæ certamine, quam scientiæ luminibus delectabantur*) Damnaui tempus, quod perdidi, & meas aures, quæ clamores tàm ineptè effusos exceperant; nil enim è longissimis disputationibus retuli, nisi ex malè effuso clamore, malè actum caput. Augustinum, ac Hieronymum aduocaui iræ meę vindices sugillantes huius coloris magistros. *Hi solent*, ait Augustinus, *latebras malæ defensionis inquirere, contentionis sunt cupidiores, quam veritatis, docti, ac sapientes magis putari, quàm esse concupiscunt.* Hieronymus verò subdit. *Ecclesiastici viri, qui dogmatum non custodiunt vnitatem, sed de suo corde confingunt, qui cùm populo persuaserint vera esse, quæ fingunt, in theatralem modum plausus cōcitauerint, & clamores, immemores imperitiæ suæ, & adaucto supercilio, libratis sermonibus, atque trutinatis, magistrorum sibi assumunt auctoritatem.*

August.

Hieron. lib. 11. super Ezechielem.

In illos, qui gloriantur nulli doctrinæ addictos, facientes se Orbis litterarij arbitros.

Non desiderantur hâc etiam tempestate, qui omnia innouare tentant libertatis prætextu, se addictos nemini iactitantes, nil pensi habent, si D. Thomam, si Scotum, & cæteros magnæ notæ Scholasticos infrà se habeant; non illis ingenium natum ad seruitutem affirmant, nec mentem deesse ad sublimitates, & ad ea perpetranda, quæ veteribus, grauibúsque viris, vel incognita, vel sacra quadam religione occulta fuêre: ex his applausus, & nomen sperantes, elato supercilio se prædicant veteribus doctiores. Petulantes hos homines, ita suo penicillo picturauit Eusebius. *Quia in congregationibus ecclesiasticis volebant à viris, ac mulieribus sibi noua dicentibus applaudi, & acclamari; antiquis autem Patribus, & defunctis exultari.* Ita audent loqui isti homines, quia obturatas aures habuerunt

Eusebius.

Hieremiæ 6.

runt ad vocem detonantis Hieremiæ. *State super vias, & interrogate de vijs vestris.* Quas illustrans Hieronymus: *Interrogandum*, ait, *de semitis antiquis, siue sempiternis, quæ multorum Sanctorum sunt tritæ vestigijs*; Ex his ad nouanda omnia pronis ingenijs, ingens erroribus ostium patuit; primùm, cùm explorata, ac veteri antiquitate veneranda dogmata cœperunt sensim in dubium reuocari. Hæc rectè carpit Eusebius Philosophus, quem refert Stobæus ser. 4. *Eusebius Philosophus dicebat, homines multa potiùs scire, quàm vera dicere studio teneri, proindè multos dum contrarias veteribus opiniones probant, veri cognitionem de rebus maximè necessarijs effecere dubiam.* Rectè etiã Auratus. *Si nouitia veteribus, extranea domesticis, & prophana sacris admisceri cœperint, proserpat hic mos in vniuersum necesse est, vt nihil post hac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, sed sit deinceps ibidem impiorum, ac turpium errorum lupanar, vbi erat antea casta, ac incorrupta sacrarium veritatis.* Cæterùm Hæresum peruicaciæ nulla opportunior inuenta est ianua, quâ se in pectora credentium insinuaret falsitas, quàm ipse veterum Patrum contemptus, id docet rectè Canus lib. 7. de locis Theologicis Vnde Caluinus, Lutherus huiusce farinæ monstra, falsa disseminare dogmata ausi sunt? nisi quod putârunt multa, quæ olim Sanctis Patribus, & doctissimis Theologis fuère incognita, sibi perspicua, & clara fuisse, quasi frustrà Sacri Doctores sol, salque à Christo Domino dicerentur, nec ad illorum munus pertineret, aut illustrare disciplinas, aut conditam, ac sapidam efficere scientiam. I nunc & in Theologica maiestate tractanda, de libertate tua iactitare, vbi captiuare teneris intellectum in obsequium fidei. Egregiè de horum sciolorum vanitate, Iob, qui mira sua patientia, magnũ sibi in doctrinis tradendis peperit lumen. *Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullũ onagri se liberũ natum putat.* Onager vbi pullus est lasciuiens, & palabundus, per lucos, & agros errat; cùm adolescit sub fræno, ac moderatore est, sentiens virgam corrigentis; Ità nescius se liberum putat, sapiens sentit frænum ductoris, quo cohibendus est.

In illos, qui insistere vestigijs Patrũ erubescunt.

Hieronymus

Quo pacto ab his ostium hæreticis apertum.

Contemptus Patrum hæreticis occasio ad suas hæreses.

Ipsa veterum PP. contẽptio ianua ad falsitates.

Iob. 11.

Cur homines vani non onagro sed pullis comparati

Cur nouitas in physicis permitti potest non in re theologica.

Verùm si de physicis disciplinis sermo sit, indulgeo interdum addiscentium ingenio, mentique; vt discurrant, vagantesque per auctores, non raro noua referant, & de suo penu; Id tamen in theologicâ re nullo modo paterer. Non homo sum, qui antiquitatem veneror tanto cultu, vt mihi aliquando ab illâ dissentire non liceat; tamen cùm de theologica doctrina agitur, quæ lumini reuelato omninò innititur, Nouitas omnis scrupulosa mihi est, vestigijs sacrorũ auctorum, canonum, Sanctorum Patrum, veterum Theologorum insistendum prorsus censeo; illud ratus explo-ratum iter, & regiam viam, quam ipsi pede sacro primi tenuêre. Clemens Alexandrinus affirmat, quòd quies placida, quæ denegatur humanæ menti in physicis disciplinis. vltrò illi à fide datur in re theologicâ. Sic illustrat ille granum synapis, *quod cùm minimum sit omnibus oleribus in tam proceram arborem adolescat, vt volucres cæli in ramis eius quiescant. Fides, quæ est granum synapis, morderet animam, & ipsa adeò cresceret, vt in ipsa quiescerent de rebus sublimibus, rationes.* Mens volucris instar contemptis virgulis, in arbore quiescit, & *fit arbor ita, vt volucres Cæli habitent in ramis eius.* Ea est difficilium quæstionum conditio, vt mens librata in sublimiora hâc, vel illâc volitans, nesciat vbi consistat, ipsismet principijs interdum in dubium reuocatis. At in sacra Doctrina ita se habere debet mens humana, vt recordetur se in fide primùm, in sacris sanctionibus deindè, tum denique in sanctorum Patrum doctrinâ quiescendum. Qui fœdâ tempestate in mari medio intempestâ nocte aguntur, sua lumina ad sydera perpetuò figunt, vt eluctatis Syrtibus, securi tandem appellant portum. Ita qui in Theologico salo iactantur, fermè difficultatibus obruti, vt teneant arenam, semper ad Cœlum, ad sydera, sua habeant lumina, nunquam oculos à sacra Scriptura, à sacris concilijs, à Canonibus, à sanctis Patribus, à peritissimis Theologis submoturi, donec nouas, & inexpertas plagas pertranseuntes, effugiant naufragia, fidum portum appulsi. Hæc inspiciens discrimina Cœlestinus Papa ab Ecclesiastica specula sic monet naufragantes. *Desinat nouitas incessere vetustatem. Desinat Ecclesiarum quietem in* *quie*

Clemens. Alex. l. 5. strom.

Cur granum synapis arbor euadat tam procera vt volucres in ea quiescant.

Similitudo maris ac theologicæ disciplinæ.

Cælestinus Papa in epist. decretal.

quietudo verberare. Conantur sæpè naufragio mergere, quos intrà portum stantes statio facit securos.

Caueant itaque Syrtes inexploratas, & abstineant se à curiositatis scopulis, qui rimantur diuina. Ipsũ scrutari, pœnam oppressionis meretur: *Scrutator*, ait sacer auctor, *Maiestatis opprimetur à gloria.* Quot hæretici Mundum erroribus suis deturparunt, tot ferè oppressi à gloria Maiestatis; & dum diuina indecorè pertractant, obruti pondere suo corruerunt. Arrius dum Sanctissimam Triadem more humano considerare audet, Filium minorem Patre affirmauit; ab ipsa prolis parilitatis maiestate opprimitur. Nec eandem Spiritus Sancti cum cæteris personis æqualitatem pati potuit Nestorius, qui Deum creaturam ore blasphemo asseuerauit. Pelagius fulgorem gratiæ ferre non valens, ex illa cecidit. Neoterici isti nouatores, dum comprimere Dei gloriam ambiunt, opprimuntur ab illius Maiestate. Christum euntem ad Archisynagogi filiam sanandam; turba à latere, à fronte, à tergo circundabat frequentissima; illum comprimens inurbanè, clamat Christus: *Quis tetigit vestimenta mea?* Obstupuêre ad importunum, vt ipsi putabant, clamorem discipuli, & ex admiratione in has voces prorumpunt. *Vides turbam comprimentem te, & dicis quis me tetigit?* Ad quæ verba egregiè Augustinus inducit respondentem Christum *Tangentem quæro, non prementem; non enim qui curiosè me premit, hunc quæro, sed qui deuotè, & cum fide tangit.* Deuotè non tangit, qui exprimit diuina; Imò qui extorquet ex veritate mendacium. Tunc ille tangit deuotè Theologicam maiestatem, quando per Sanctos Patres, per sacros canones; per scripturas, per concilia, quasi per gradus ad eam accedit.

Quid igitur, inquies, præclara ingenia, quibus minimè ætas nostra destituitur; semper acta agent, nec exempla maiorum sequuta, nouo aliquo fœtu decorabunt theologicam facultatem, auctámque nouis speculationibus posteris tradent? Nunquam ipse censui, intra limites antiquæ eruditionis definienda humana ingenia, quæ ipsa naturæ fœlicitas supra cæteros euexit, vt non quà volent volitent, sed iactis à sacris Patribus fundamentis subsistant,

Detestanda nouitas in sacra doctrina.

Curiositas cauenda veluti syrtes & scopuli. *Eccles.*

Quis tangit, & quis Christum comprimat. *Mar.* 5.

August. ser. 6. *de verbis Domini.*

inuectiua in nouitatis amatores.

Quid noui addi potest in re theologica.

Basil. epistol. 14. ad Eustath.

& ex illis excitent moles egregiæ speculationis. Id Basilius basilicè, & eleganti similitudine iacti seminis descripsit. *Quemadmodum*, ait, *semen dum crescit, maius quidem è medico redditur, idem tamen est, quod anteà non immutatum genere, sed perfectum ex incremento. Ita mihi eandem sententiam quidem suis auctam profectibus, non autem quæ nunc est, ei, quæ initio erat aduersam esse arbitror.* Christus Dominus seminauit diuini verbi sementem, collegerunt Apostoli ex semine fidem, illam contestati sunt Martyres sacro effuso cruore; hanc variis sententiis sancti Patres illustrarunt, ex his hauserunt sacram doctrinam scholastici, tùm sanam, tùm sanctam, & in fide radicatam cum sacris Patribus consona est. Tibi tantùm colligendi dicta sanctorum, illustrandi, adiiciendi; consequutiones, & corolaria aliqua seligendi ius erit, ac vt ait ille. *Cum aliquid accessu temporis euoluatur; ea nunc latetur, & excolatur, nil tamen de germinis proprietate mutetur; addatur licet species, forma, distinctio, eadem tamen permaneat natura.* Vt enim ex iacto semine colligimus granum, & ex illo panem conficimus, qui fractus paruulis distribuitur: sic nobis sit venia, vt excussis sacris sententiis, aliqua adornantes paruulis ministremus sacræ doctrinæ alimenta. Patrum dicta profunda sunt, & mysteriorum plena, inde haurire multa possumus, quæ ad illustranda ingenia, ad componendos mores posteris tradamus. Noua censere non debemus, quamuis appareant talia, quæ in Sanctorum Patrum dictis celantur veluti in semine. Egregiè ad rem nostram Auratus paradox 13. *Fas est vt cælestis philosophia prisca dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur. Sed nefas vt commutentur, nefas vt deprauentur, vt mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem; nam si semel admissa fuerit hæc impia fraudis licentia, horreo dicere quantum excidendæ, atque abolendæ religionis periculum consequatur.*

Colligat Theologus ex dictis patrum aliqua tanquam ex iacto semine fructus nouos.

Auratus paradox 13.

Suspectum tamen & granum, & gramen habeo, quod non ortum in Ecclesiastico solo, non irrigatum sapientiæ aquâ, non à summo satore incrementa virtutum habuerit.

Doctrina destituta patrũ authoritate suspecta.

Vel

Vel ex hoc temeritatis notâ inurendus auctor est, qui aliqua in Dei Ecclesia noua dicat, in quæ Sanctorum Patrum, aut Theologorum nullus vsque nunc erumpere ausus sit; minimè tamen hanc meretur notam, qui absconditam, ac latentem doctrinam à Patribus eruat sua industriâ, illustret suâ luce, & publici iuris faciat, quæ celata horrebant tenebris. Multa prima fronte visa sunt noua, etiam in his, quæ ad mores pertinent, quæ expensa, vt antiqua agnita, & consona omninò prisco illi, & sancto æuo. Seraphicæ Religionis Sydus, & auctor Franciscus, cùm sanctæ paupertatis fermè alumnus viueret in Orbe Christiano, vt ad monstrum pauebant sæculi amatores; ad discalciatos pedes, ad rudia indumenta, ad nouitiam regulam suspectionis labe inspersam fermè horrebant. Tamen in illa rectè, & Apostolica auctoritate expensa, coronis Christianæ perfectionis, & Apostolicæ vitæ deprehensa est. Quis Beatum Caietanum Religionis meæ auctorem, ac patrem, nouitatis insimulet, quòd stipem non petens, de vltroneis eleemosynis viuat, cum in his triumphet diuina prouidentia, & Clerici Regulares animati testes sint diuinæ veritatis admonentis. *Considerate lilia agri, quæ non ferunt, neque metunt, & Pater vester pascit illa.* Vt tamen à moribus redeam ad scholastica. Liceat Christiano Doctori sanctorum Patrum insistens vestigiis, sanctorum dictis adiicere aliqua, quæ ipsi non expressêre, & excerpere, quæ illi velut semina Ecclesiastico solo demandârunt. In hoc non mediocris Theologicorum sita præstantia est, vt ea dicant, quæ ostendant Patres dixisse, doctrinæ suæ admouentes Patrum, Conciliorum, Pontificum fulcra, veluti satæ viti, sua statumina, ne humi repat. Iacet enim sine pedamentis doctrina, marcentes, & discolores prodeunt fructus. Cum his surgit ad æthera vitis, nunquam moritura pulcherrimas edens vuas. Aspice Diui Thomæ doctrinam, quam nullibi inuenies his fulcris destitutam, his pedamentis non firmam. Summam percurre; perlege quæstiones, & in illis articulos, nullos inuenies hoc statumine non munitos.

S. Francisci paupertas laudata tanquam antiqua, & æuo Apostolico conformis.

B. Caietanus laudatus quod iniunxerit nō percipiendam emendicatam stipem.

Luc. 12. 27.

Quæ liceant addi patribus.

Horreo doctrinas non euocatas è cælo, sed de sæculo natas

Horreat Ecclesiasticus

doctrinas nouas & de sæculo natas. natas, quæ sensui consonant, quæ auribus lenocinantur, quæ Patribus minimè concinunt. Has Dæmonum appel at *Tertullian. lib. 1. de præscript. cap. 7.* eleganter Tertullianus: *Hæ sunt doctrinæ hominum, ac Dæmoniorum prurientes auribus; natæ de ingenio, & sapientiâ sæculi, quam Dominus stultitiam vocans, stulta mundi in confusionem etiam Philosophiæ elegit; Ea enim est materia sapientiæ sæcularis, temeraria, interpres diuinæ naturæ, & dispositionis; ipsa enim hæreses à philosophiâ subornantur.* Exeat nunc quis è literatorum turba suo fidens ingenio; acutis suis speculationibus, Augustinum quasi in caligine ambulantem increpet. Diuum Thomam, vt in multis obscurum, & difficilem damnet. Periisti dum à rectâ aberras: *directa via tibi est; ita vt stulti non errent per eam*, quam Patres *Isai* sancti tenuerunt. In re Theologica desciscere à Patribus, errare est. Illis auctoribus malè ominor, qui in Patribus inuenire ambiunt, quæ ipsi corrigant; Chami æmulatores, verenda parentum gestiunt detegere, vt irrideant. *D. Thomæ doctrina multis nominibus commendanda est, sed ex eo potissimùm, quòd ille dum sanctorum inhæret vestigiis, Sanctorum intimos induisse sensus visus est.* Pulchrè ad hanc rem Caietanus: *Quia sanctus Thomas summè veneratus est sacros Doctores. intellectum omnium quodammodo sortitus est.* Summo ingenio, & sanctitati D. Thomæ accessit cultus, & eximia de sanctis Patribus existimatio, ideò illius sapientia in tantum creuit fastigium, vt ab Angelis, & è cælo accerseretur similitudo, quæ nobilissimam scientiam commendaret. Doctrina, quam homo viuens in terris tradidit, Angelica per summam laudem indigitata est Christi familia.

In re Theologica desciscere à Patribus errare est.

Caiet. 2. 2. q. 148. art. 4. Cur D. Thomas omnium ferme sanctorum doctrinâ sortitus est.

Cur Doctrina D. Thomæ dicta Angelica.

Cæterùm scholasticis tanquam à Patre luminum datam censerem Doctoris Angelici doctrinam, vt illam sine offensionis scrupulo percurrant. Clemens Octauus in Bulla ad nobiles Neapolitanos ita de sancto Doctore loquitur: *Hic siquidem honor eius virtutibus cum admirabili doctrina coniunctis, iure optimo debetur, ac doctrina testis, vt ingens librorum numerus, quos ille breuissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere singulari ordine, & mirâ perspicacitate sine vllo prorsus errore conscripsit, tantúmque assecutus fuit mysteriorum, quàntum quispiam mortalium assequi poterit.*

Clemens 8. Pontifex.

Encomium Papæ Clementis de D. Thomæ doctrina.

Concinit

Concinit Innocentius VI. elogio non ignobiliori. *Huius doctoris sapientia præ cæteris (excepta Canonica) habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita vt nunquam qui eam tenuit inueniatur à tramite veritatis deuiâsse, & qui eam impugnauit semper fuit de veritate suspectus.* Hæc sanctissimus Pontifex, à cuius verbis aliquid detrahere piaculum duxi. Didacus à Payua refert, quod Patres, ac Præsules in Tridentina Synodo in eam sententiam ibant pedibus vt decernerent nocte cœnæ Apostolos sacri Sacerdotij charactere initiatos; tamen è sacrorum Præsulum numero surgens vnus addubitauit an hæc doctrina foret D. Thomæ principijs consona. In re tam graui cunctandum censuêre Patres, nec aliquid certi definiendum, donec de D. Thomæ mente constitisset. I tu nunc è plebe litteratorum vnus, Diui Thomæ doctrinam ad examen reuoca, & pro tribunali sedens in eam iudex vltroneus, tanquam improbam damna, & quam tota Ecclesia tanti pendet, ingenio subtili tuo homulus è triuio inficias ibis? Fide dignissimi retulêre in magnæ Aulæ medio, vbi congregati sacræ Tridentinæ Synodi religiosissimi Præsules, ac doctissimi Patres, mensam extitisse sacro librorum pondere grauem, in qua sacri hi Codices conspiciebantur, sacra Scriptura; & sanctiones, ac decreta Pontificum; sancti Thomæ Summa. Expende quo honore habita quæ inter Codices diuinos numeratur. Par erat, vt post diuinos libros recenserentur Angelici. Societatis Iesu Patres altiùs præ cæteris litterarum studiis, potissimùm sacræ Theologiæ inhærentes sanxerunt, *vt in suis scholis legeretur doctrinâ scholastica D. Thomæ.* Academia Salmanticensis in terra Hispaniæ præcipuè, & per Orbem terrarum omni doctrinarum genere florentissima; religione se deuouit, vt D. Augustini, & D. Thomæ doctrinam perpetuò sectaretur. Mea Congregatio, quamuis omnium minima, gloriatur doctrinam Diui Thomæ in omnibus sequi. Scio Religiosos ferè omnes doctrinæ Diui Thomæ, paucis exceptis quos præcipua obligatio aliò transtulit studere. Sectæ multiplices, & dissidentes inter se auctorum sententiæ, non rarò latentium errorum indiciũ fecêre; ipse D. Thomas

Et Innocentij VI.

Didacus à Payua. *Trid. sess. 22.* Quanta in Concilio Tridentino de D. Thomæ doctrina existimatio.

In Concilio Tridentino qui Codices erant in patrum conspectu.

In Regulis Societatis præcipitur tradenda D. Thomæ doctrina. Salmãticensis Academia ad id iuramento se astrinxit.

Multiplicitas opinionũ

ac sectarum hæresum occasio. D. Thomas comm. in D. Dionysium Caput. 4. Cassiodorus.

mas affirmat: *Manifestum est, quòd circa vnum errare non contingit: ideò qui cognoscunt veritatem, conueniunt in vna sententia, qui ignorant, diuiduntur per multos errores.* Adijce Cassidorum: *Rei enim quæ multipliciter intelligitur, plerumque veritas ignoratur.* Meritò perorauit Pontifex, *quod semper doctrinæ Angelicæ impugnatores, erunt de fide suspecti.* Enimuero, haud tantùm illi tribuo, quod putem ad veritatem ipsam pertinere Diui Thomæ doctrinam, hoc est, vt eadem illi, ac Numini habeatur fides. Tamen, tantam adhibendam censeo, quantam Angelo loquenti. Doctrina Diui Thomæ media est, Diuinæ proxima; humana superior, digna, quæ Angelica dicatur.

D. Thomæ doctrina quolibet Scholastic. percurrenda vt Theolog. Nomen mereatur.

Hanc inoffenso pede percurrat familia Christi, illam Ecclesiastici omnes sequantur, si tamen alicuius instituti ratio non patitur sub tanto Doctore stipendia sua facere, non desistat Summæ illius magno studio insistere. Nulla dies excurrat sine linea tam aurei codicis, securus, quòd qui illam attentè percurrerit, non demerebitur Theologi dignissimum nomen; sed de his plura in sequenti capite.

CAPVT VII.

Absolutissima Doctoris Sacri Icon in D. Thoma repræsentata.

Quare Doctor facer sal, sol, & ciuitas supra monté posita esse debeat.

SALEM è terris, è cœlo solem, Vrbem è montibus aduocat Pater familias, vt illius doctoratus lauream componat, qui plebem suam instruat, rectè sanctéque. Quis enim obscura fidei nostræ arcana tradet mortalibus? Quis Christianam disciplinam ethnicorum palato insipidissimam, suauem, dulcémque faciet? Quis gentilium hæreticorum, ac prauorum hominum retundet vibrata tela; nisi, qui ad fugandas ignorantiæ tenebras, vt sol affulgeat

geat Orbi terrarum, vt sapidos reddat insipidissimos hominum mores, vtque munitissima arx tueatur viuentes, ne hostium pateant incursibus.

Pater familiâs post traditam domesticam disciplinam, quâ docuit suos per paupertatem spiritus, per aculeos persecutionum, per lacrymarum torrentes, per iustitiæ sitim, ac esuriem, per puritatem cordis, per misericordiæ impẽdia, denique per pacẽ; posse ad perpetuam felicitatem contendere, expendens quæ dixerat, insipida, obscura, & aduersa mortalibus futura; continenter (vt Auctor operis imperfecti rectè annotauit) subdit: *Vos estis sal terræ: vos estis lux Mundi: Non potest Ciuitas abscondi supra montem posita*; ac si diceret. Tantam humani palati insipientiam vos sapidam reddite vestro sale, Tenebrosam hanc Mundi noctem, illustrate vestro sole, Tela in hanc Euangelicam doctinam vibrata, vos è vestra arce reuellite & retundite.

Auctor operis imperfecti. hic.

Cæterùm primi, qui salis, solis, ac Vrbis firmatæ in montibus munia in vineâ Christi obierunt post Patres, post legis doctores & sacros vates, Apostoli fuere, qui doctrinâ, labore, miraculis, effuso cruore, id peregerunt. Egregiè, & eleganter Gregorius, *Pater familiâs, quasi ad excolendam vineam nullo tempore destitit prædicatores mittere, qui a priùs per Patres, post modum per legis Doctores, & Prophetas; ad extremum per Apostolos, dum plebis suæ mores excoluit, quasi per operarios in vineæ cultura laborauit.* Apostolico culmini, Doctores, veluti colla capiti, successerunt, ore, calamo, vitæ probitate, sustinuerunt & ipsi egregiè munus. Ignatius, Ireneus, Gregorius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, alter Gregorius, Bernardus, & cæteri, qui in hâc palæstra gnauiter desudârunt. Interposito aliquo temporis spatio, in terris non apparebat, qui hæc gloriosissima munera tam egregiè subiret. Pater familiâs, vt suæ consuleret vineæ, Angelum accersiuit è Cœlo, Doctorem Angelicum adduxit in medium, qui solis, salis, ac vrbis imaginem exprimens, eam referret sacri Doctoris iconem, quam consequentes ætates, vt sacræ doctrinæ magistram, ac exemplar adorarent. Hanc vmbris meis

Greg. hom. in sexag.

Doctores Apostolico culmini succedunt veluti colla capiti.

in D. Thoma solis salis & vrbis imago.

delineare constitui, exhibens, quo pacto salis, solis, ac Vrbis sanctissimus Doctor imaginem expresserit.

Salis itaque puritas occurrit prima, quæ complanatam tabulam adornet, candore suo: Hæc in ecclesiast.co Doctore exigitur magna; In Angelico summa fuit. Innuit Christus puritatem præambulam esse ad doctrinam, prius enim salem, quam solem esse voluit discipulos suos. Puritatis symbolum salem fuisse, antiquitate ipsa comprobatum est, quæ tantam sali puritatem attribuit, vt in parœmiam abire posset *Purior salillo.* Hinc Persius.

Sal [illegible] puritatis.

Persius.

Et tibi far modicum, & purum sine labe salinum.

Concinit Ouidius.

Far caret, & puri lucida mica salis.

Ouidius.

Meritò in puritatis symbolum assumitur, qui purissimis constat elementis, aquâ, ac igne. Procul itaque à sacræ doctrinæ regno impurus; quippe ratione, ac mente destitutus, in quâ sapientiæ sedes posita est. Impuritatis vitio laborantes, eodem momento, quo à ratione cadunt, ad brutorum consortia descendunt. Ipse D.Thomas, quamuis non inter maxima scelera recenseat labentes sensu, cùm & homicidium, & furtum, & contumeliam, & quæcumque ad iniustitiam pertinent, affirmet deteriora, tamen vnam inter omnia vitia, intemperantiam dixit, quæ ratione denudans hominē, summóque dedecore illū afficiens, ad pecualem vitam damnat. Expunctum itaque ab hominum societate impurum, ne putes doctorum, ac virorum sapientum augere posse numerum. Puritas igitur, vt purum supra hominem euehit, sic impurum infrà pecudes ponit. Angelicum vtique Doctorem D. Thomam dicemus, qui suo maximo puritatis candore, vel ipsam sapientiam decorauit.

Quare sal in puritatis symbolum assumptus.

D.Thomas.

Cur intēperantiæ crimē inter omnia fœdet humanam naturā.

Puritas supra hominem purum euehit.

Dauid, qui olim in cathedrâ sapientissimus sedit, idem esse, & puritatis, & sapientiæ fastigium, acutissimè insinuauit, cùm ad adorandū puritatem, & ad apprehendēdam disciplinam, hortatur ijsdem vocibus quæ cum essent ad disciplinam & ad puritatem promiscuæ, & *apprehendere disciplinam* mortales & *adorare puritatem* hortatur: vnà suadens, vt ex vnione vocum, cognationem metirentur

2. reg. 23. 8.

Puritatis, & sapientiæ cognatio.

Psal 2. apprehendite disciplinam Genebrardus vertit, *adorare purum.*

tur rerum quæ nequeant vocabulo ipso discerni.

Diuum Thomam (quâ Virgo!) pudore laureatum venientes è Cœlo spiritus præcinctum militari cingulo, Angelicum Ecclesiæ Doctorem salutant. Sileat itaque calamus, nec Angeli puritatem audeat atramento fœdare; fugans enim scortum clarius ipse titione, puritatem suam expressit, quàm picturasset penicillo suo Apelles.

Cur D. Thomas laureatus vt doctor Angelicus.

Sed puritati, quæ parauit penicillo tabulam aliud accedat salis arcanum, quod Angelici Doctoris pulcherrimam exornet iconem. Ordo nimirum, methodus, distinctio rerum, quæ vnà sapidam faciunt doctrinam, & prudentissimum manifestant Doctorem. Vt enim edulia condimento salis sapiunt gustatui humano, ità & menti doctrina ordine, distinctione, & claritate condita. Eleganter Chrysologus, *omnium ciborum sal est condimentum: sic qui in nobis est sensus, si teneat modum dat saporem, intellectum parit, prudentiam generat, & delectat, auget ingenium, maturat dicenda, audienda componit, fitque sibi dulcis, fitque degustantibus tota dulcedinis plenitudo, & planè ille erit melleus sensus, qui ore profert non amarum.* Expressisse Angelicam doctrinam diceres Chrysologum, de quâ hæc Sixtus Senensis. *Methodus incomparabilis, stylus breuis, & perspicuus, nexus autem rerum, & tractatuum, tantus, vt aliud ex alio, posterius à priori, non solùm pendeat, verum, & lucem & robur accipiat; omnia suis locis collocat, nulla inanis repetitio, nulla redundantia, in quibus nil superfluum, nil mutilum, nihil mancum.* Qui sales! quæ gratiæ in libro vbi breuitas, & claritas incedunt vnà, sancto priùs perpetuo fœdere. Priora posterioribus, quando facem præbent; tunc doctrina fermè exposita in candelabro, adeò lucet, vt omnia, quæ in libro habentur luculentissimè perspiciantur.

Doctrinæ ordo, ac methodus in sale exprimitur.

In ordine doctrinę prudentia Doctoris ostenditur. *Chrysologus Ser.* 21.

Xistus Senēs. Laudata D. Thomæ doctrina à distinctione, ac methodo.

In libro breui & dilucido, magna pulchritudo.

Adiicio his omnibus salis instar, Angelicam hanc doctrinam tàm suauem, vt quo magis eam gustes, ore reuoluens, vt dente conficias, eò senties sapidiorem. Non desunt obsonia, quæ modò placent, mox displicent, & quæ vno tempore comedentibus placuere, alio sint nauseæ. Innumera edulia helluonum plausu excepta, decursu tem-

Doctrina D. Thomæ quo magis teritur eò magis sapit.

poris viluere. Ita editi codices, & quæ in illis exposita doctrina, cum noua nec suis expensa numeris satis, primâ fronte delectat, plausu intrat in scholas; docetur in cathedris; Verùm tractu temporis, macerata desipuit, ac vno nata sæculo, periit altero, adeo antiquata posteriori, vt ad præteritæ ætatis dedecus vilescat, nec homines, aut auctores in illâ, sed temporum genia videantur peccâsse; Quot Auctores sunt, qui Codicis sui mortem præueniunt fato suo? & natura reluctante, liberi præmoriuntur parentibus? Paucissimos numerabis, qui non statim ab ortu decrescunt, & antequam ad maturam perueniant ætatem, expirant, ac putrescunt; Porrò de illis dicendum, *sal infatuatum ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quotus quisque ille erit, qui tam bono sale condierit Codices suos, vt ad æternitatem aspiret? Libri, qui nunquam veterascent, sacri sunt, quorum Deus auctor. Persusi diuino sale nunquam marcescent. Post diuinos Sanctorum Patrum libros recenseo, qui quamuis non à Deo compositi, aspersi tamen sale diuino sunt, quo illis licebit perennare. Prætereo Ethnicorum labores, quos Deus voluit, vt summa eruditio, vel eloquentia immortales efficeret, quia ex ipsis, sacris literis adornabatur famulitium. Redeo ad sacram Scripturam, quæ sola, quà à Deo exarata, quà miraculis comprobata, æterna erit. Liceat mihi post diuinam ac æternam disciplinam, enumerare Angelicam, quæ si non æternitate metiēda, Æuo est. Consimili propè statumine, ac fulcris, quibus firmatur diuina, firma etiam stat doctrina Angelica, illa astruitur Numinis oraculo, cum eam pendens è cruce Christus oraculo suo comprobauit. *Benè scripsisti de me Thoma; quam ergo mercedem accipies?* Accessere etiam miracula illam statuminantia. Romanus Pontifex Ioan. 22. Gersone teste, hæc de illa. *Quot sunt articuli in D. Thomæ Summa, tot sunt miracula:* æternum viuet corpus, quod miraculosi articuli compaginârunt. Cæterùm, nobilius D. Thomas æternitati sacram doctrinam scripsit, quàm pinxit imagines suas Apelles. Sed ne in ipso sale desipiam, pergo ad considerandum solem.

Quare libri aliqui vno sæculo plausu accepti alio periere.

Qui libri nunquam veterascunt.

Cur libri Sanctorū Patrum sunt, ac erunt in maxima mortalium existimatione.

Cur æternum stabit D. Th. doctrina.

Doctrina D. Thomæ, & Christi testimonio & miraculis comprobata.

Solis præcipuū munus.

Cuius

Cuius præcipuum munus est, fugatis tenebris, colores, noctu à rebus omnibus sublatos, manifestè reddere, lumine suo. Cùm enim Orbis terrarum squallet inuolutus caligine: nihil in illo distinguitur: omnia permixta, ac confusa tenebris iacent; remoto arbitrio luminum. Turpia pulchris iuncta, nullo facto discrimine, tenebricosa horrent. Ipse homo, Regis Hebræi monitu, se tenet domi, ferarum timore. Nescit sine præsentissimo lapsus discrimine, iter suum dirigere viator, nec vbi tutò consistat, reperit: æquè discriminosa omnia sunt, quia nullum apparet discrimen: tenebræ complanârunt omnia: rediisse videtur prima rerum confusa facies, quando.

Vnus erat tunc naturæ vultus in Orbe,
Lucis egens aër, nulli sua forma manebat. *Ouid. Metamorph.*

Vix tamen ortâ luce, vendicatus à tenebris Orbis. Diceres extincto corpori, cum vita colorem, ac calorem rediisse; Benignitate lucentis syderis mundum Mundo restitutum. Bona, quæ mundus haurit à luce.

Rebusque color redit: vultu nitentis syderis.

Ridet tellus, ac in illa germen, ac gramina, flores renident suauiores: auiculæ ipsum salutantes solem, cantillant dulciùs: elementa surgunt pulchriora: ipse Mundus, hâc luce fermè maiestate coronatus splendet. Rectè Basilius. *Aër iucundior post ortam lucem euasit, & aqua magis vniuersi Creator edito mox verbo lucis amabilem, ac per amœnam maiestatem Mundo inuexit.* Scholasticus Orbis, & ipse horrebat tenebris, antequam Angelica lux affulgeret: omnia squallebant, confusa latebris, inexplicabilibus implicata nodis, Doctoribus, ac literatis ad rem theologicam accessus intutus, vbique errorum foueæ, quæ occultæ viatorem fallerent. Nullum obscuro labyrintho filum: vna interdum disquisitio, philosophum, moralem, politicum, animasticum, Theologum, fœdissimâ confusione vinciebat, rediisse fermè diceres tenebras super faciem abyssi, & literarium globum, in confusissimum Chaos degenerâsse. Tunc aduocauit Pater familias lucem è cælo, iubens impe-

Basil. hom. 3. in Examer.

Scholæ quo horrore inuolutæ iacebant ante D. Thomæ doctrinam.

Augustin. interpretatur fiat lux de productione naturæ Angelicæ

August. de genesi ad literam, in perpetuum. Lux allata à D. Thoma Orbi scholastico.

rio suo *fiat lux*. De Angelorum productione sensit Augustinus primam Mundi lucem. Angelicam doctrinam dicam ipse secundam datam Orbi scholastico, quâ splendet theologicus Mundus. Tanta in D. Thomæ Summa dispositio, methodus, series doctrinæ, vt Theologi tuti incedant, hac luce aperiente viam, nulla imperuia semita erit Angelico luminari non illustrata: detecta discrimina, & foueas facilè vnusquisque viator eludet. Adeò in hac claritate excelluit D. Thomas, vt non modo ob puritatem, sed ob doctrinæ clarissimam lucem, Angelici Doctoris titulo decoretur. *Scripta eius multitudine, & varietate, & facilitate explicandi res difficiles, adeo excellunt, vt ob eam causam nomen Doctoris Angelici iure sit adeptus.* Itá Breuiarium Romanum: Ad expellendas miseriarum tenebras, signum magnum apparuit in cælo: cæterùm ad fugandam ignorantiæ caliginem, quâ viuebat Orbis terrarum, Prodigium magnum apparuit in scholastico cælo. Vir magnus amictus sole.

Breuiarium in eius lectione.

Apocalyp. D. Thomas vir amictus sole signum magnum.

Verum vnde lux tàm magna, vt ex illa scholasticus Orbis suam experiatur diem? è cælo profectò, & à Patre luminum tantummodo deriuare poterat iubar tanti luminaris. Alter Moses D. Thomas ex consortio sermonis Dei illustratam retulit faciem. Ita enim ipse fratri Reginaldo fassus est, *se quicquid sciret, non tàm studio, ac labore suo peperisse, quàm diuinitus traditum accepisse.*

D. Thomas Moysi comparatus splédens ex consortio sermonis Dei.

Cur lux laudata à Deo.

Materialis lux, quam oculis nostris aspicimus, adeo suo placuit Conditori, vt & ipsum Deum laudatorem experta sit. *Vidit lucem, quòd esset bona.* Hinc Ambrosius: *Nec immeritò tantùm sibi prædicatorem potuit inuenire, à quo, iure prima laudatur, quoniam ipsa fecit, vt etiam cætera Mundi membra digna sint laudibus.*

Ambros. in lib. 1 exam.

Cur D. Thomas à Christo laudatus.

Idem affirmare in hac theologica luce possumus, quam scholæ omnes nimio plausu excepere. Parum videbatur Numini, auctorem tantummodo fuisse huius lucis, voluit, & laudator esse. *Benè scripsisti, inquit, de me Thoma, quam ergo mercedem accipies?* Magnum sanè lumen, quod laudes meruit ab ipso luminum fonte; cum dixit, *Benè*, omnes in eius doctrinæ amorem inflammauit. Hoc enim bonum

num sibi vindicat, vt omnes in sui amorem trahat. Ipsa Theologia ex D. Thoma melior, quia resplenduit magis in hac Angelica luce. Cur Theologia ex D. Thoma melior.

Huc accedit altera huius Theologici syderis conditio, quâ sole in iustitiæ æmulatur, dum non modò lucem, sed sanitatem affert in pennis. *Orietur vobis sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Non modo scholasticis lucem, sed salutem hæreticis, gentilibus, prauis hominibus, attulit D. Thomæ calamus: Quot enim hæreseos labe infecti, habuere ex hoc calamo salutem? Quot Iudæi, ac Gentiles, medicamina hausêre putrescentibus suis vulneribus? In huius doctrinæ luce sanitas reperitur. Cæterùm, vt hæc medicamina prompta, & ad manus haberent Græci; Summam D. Thomæ in idioma suum transtulere, vt inde tenebris suis haurirent lucem. In re morali, quam salutaris D. Thomæ calamus? quæ medicamina? quot remedia in illa adhibita? Scitè putredinem detegit, ac vulnera, vt impertiatur salutem. Profectò, *sanitas in pennis eius.* *Mal. 4.* In calamo D. Thomæ, & lumen, & salus. Græci cur in græcum D. Thomæ Summam transtulere.

Sub his pennis, non modo tutus quiescet scholasticorum senatus, nil timens à difficultatum obscuritate, sub tantâ luce, sed omnibus bonis abundabit sub afflatu benignissimi syderis. Ipsa Christi Vinea mirum, quantùm abundantiæ retulit suis horreis ab hac luce. Ita de illa Clemens VI. *D. Thomæ doctrina singularis, ex qua vniuersalis Ecclesia, vberrimos fructus spiritalis abundantiæ colligit, cuius odore recreatur, & nutritur.* Liceat, & mihi, lector, aliquantulum subsistere in hac doctrinæ fragrantiâ, à qua, & recreatur, & nutritur Christi vinea. Obstupuit magnum illud Ecclesiæ sydus Gregorius Nyssenus, ad sponsæ dulcissimam declamationem (de qua nonnulla generatim supra annuimus) *stipate me vnguentis* (sic ipse vertit) *fulcite me floribus, quia amore langueo. O admirabiles columnas & noua fulcra! Quemadmodum vnguenta columnæ domus! Quemmodum sanctissima tecta constructa nituntur benè spiranti odore:* Occurrit Pater familiâs declamanti sponsæ, & Gregorio admiranti: tribuens Angelicam doctrinam, cuius odore ipsa Dei domus, & recreatur, & nutritur. Ecclesiæ sanctæ vtilitas à doctrina D. Thomæ Clemens VI. *Greg. Nyssen. cant. c. 7.* Quo pacto D. Thomas odore suo Ecclesiæ sit fulcrum.

Verùm

Erodot. l. Ritus Ethnicorum in nocte Cereri sacra.

Verùm, tunc admiratio cessabit, cùm exploratum faciam; vnde defluxerint odoratissimæ vndæ, & derivauerint loculentissimi hi luminis riui. Liceat mihi in obsequium Angelici luminaris, vt res clarior euadat, Ethnicorum ceremonias aduocare, quibus vsi in lampade inflammanda, nocte Cereri, Vulcano, ac Prometheo sacra. In his itaque Atticis noctibus, maxima excitabatur ara; mille decorata luminibus, mille ornata floribus, ad quam propè Græcia tota confluebat, ambiens vnusquisque ciuium à sacro lumine, quo fulgebat Ara, cursu concito, planta celeri, asportare inflammatam facem in suam vrbem, quæ ex vno in alterum transmissa, tádem asportabatur ad metam; quæ si non fumans, sed ardens perueniebat ad Vrbem, tota Ciuitas in laudem effusa occurrebat victori, manibus, voce, plausu, eius celebrabat encomia, felicissimam suam acclamantes Vrbem, quæ noctu, & in tenebris, splendere poterat sacrâ face: Huc ille allusit.

Iuel.

Cursu, cui semper anhelo
Votiuam taciti quassamus lampada mystæ.

Sacra Scriptura fermè sacra ara ornata luminibus.

In sacris bibliorum libris, veluti exposita in ara lucent sacra luminaria: Ardent perpetuò hæ sacræ lampades, vt vnusquisque sibi, ac doctrinæ suæ inuehat veritatis lucem, transmittatque ad posteros, ita de sacris vaticiniis, Propheta sacer. *Audite hoc senes, auribus percipite habitatores terræ, super hoc filiis vestris narrate, & filij vestri filiis suis, & filij eorum generationi alteri*: Iubet succedaneam hanc sacram facem, in generationes omnes percurrere, vt diuini verbi lampas, & exeat per totum Orbem, & per omnia tempora, ætates, ac sæcula decurrat, vt nemo præsens, nemo futurus sit, vsque ad extremam diem, ad quem non perueniat iubar splendidissimæ lucis. De Patribus veteris Testamenti sileo. Euangelistæ, & Apostoli etiam illi post Christum Dominum, luculentissimam extruxére aram, luminibus sacris ornatam; vt exinde flueret sacra doctrina, per tempora omnia in Christianum Orbem: Gestârunt hi illuminatam facem veritatis, non ad vnam Vr-

Ex qua asportatur lumen in Orbem Christianum.

bem,

bem, sed ad totum terrarum Orbem permansuram ad futura sæcula. Ab illis in manus sacrorum martyrum Dionysij, Ignatij, Polycarpi, Irenæi peruenit. Ex illis ad Doctores sapientissimos, Nazianzenos, Basilios, Chrysostomos; ad Hieronymos, Ambrosios, Augustinos; Ex his ad Gregorios, ad Bernardos, ad Bedas, ad Anselmos, ad Damianos. Cæterùm, Angelicus Doctor metam, quasi victor attigit, omnium plausu horum Patrum sententias digessit in ordinatissimam Summam, quæ illuminare non Academias modo, & cathedras possit, sed totum litterarum Orbem. Tandem ad Ecclesiam ipsam fermè ad suam Vrbem inuexit facem, quâ doctrinâ modo ipsa, vt plurimùm vtitur. Testatur Præsul Tranensis *Complurimos sacri Doctoris articulos, in canones credendos ab omnibus transisse.*

Laudata D. Thomæ summa.

Felices sacræ huius doctrinæ sectatores, in arenam descendunt tuti, ominor ante certamen victores; Palladis clypeo pugnantibus nullus erit Mars, qui tantæ luci obsistere valeat, quæ à Thomæ doctrina diffunditur.

Thomistæ laudati luce ferme pugnant.

Ad extremum affirmare audeo, Diuum Thomam splendere inter cæteros Doctores veluti Luciferum inter astra. Omnes qui in doctrina præcellunt cæteris, numerandi sunt ex sacro oraculo inter astra, *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Verum, non astrorum omnium est, ita in luce permanere vt perpetuò; & continenter luceant, Sunt quædam, quæ incerto, & dubio fulgore, ità nostrorum luminum aciem venustant quidem, sed ita, vt non rarò illam eludant. Lucifer inter astra omnia est qui constans in suâ luce, æquè semper splendet, intuentium oculos nunquam decipiens, semper delectans. Doctores omnes micant, vt sidera, quæ interdum aspectum fallant; & dum speras lucem, aspicis tenebras: vt ait sacer Auctor, *Nigrescere faciam stellas eius.* Sunt doctores aliqui, in vnâ difficultate egregiè lucentes, nigrescentes tamen in alia, in quorum scriptis, lux interdum, interdum maculæ, & nigror apparet. Diuus Thomas, tanquam Lucifer perpetuum secum affert splendorem, in qualibet disquisitione, ac obscurissima difficultate,

D. Thomas inter Doctores veluti Lucifer inter astra *Daniel.* 12.

Ezech. 32.

D. Thomas nunquam obscurus semper luculentissimus.

ſemper lucet. Si attentè aſpicias; claritatem, & lucem videbis, nil eſt in tam vaſto, ac venuſto opere, quod lectorem iure offendere poſſit, nulla in tot codicibus macula, nullus articulus, nulla linea, ſuo acumine & luce destituta. Plato, qui ab antiquitate audiuit *Diuinus*, gliſcentia ſomniatus eſt aſtra. Prouidentiam Numinis negauit Ariſtoteles. De ipſa animi immortalitate dubius Epicurus quotſtellas, tot Mundos finxit;

Inter ipſos ſanctos Patres, paucos reperias, quos inoffenſo decurras pede: quique ſine maculis, ac vmbris, proferant ſuam lucem. Illorum tenebras non recenſeo, quos abire non paterer ſine aliqua face. Luciferum excipio, à quo procul caligo, tenebræ, & maculæ omnes, nil in illa perpetua, & ſplendidiſſima luce reperias, quæ intuentium oculos mira claritate non delectet. In Olympo videntur eſſe Thomiſtæ, cum nulla nubes, nullæ pluuiæ aſperant eorum Cœlum. Clariſſimum hoc luminare inſpiciens Vrbanus VI. iuſſit amplectendam Angelicam doctrinam totis viribus. *Volumus*, ait, *& tenore præſentium iniungimus*, *Diui Thomæ doctrinam, vt veridicam, & catholicã ſectemini, eamq́; ſtudeatis totis viribus ampliare.* Verum ne tanti ſolis lumine hebetata ſint noſtra lumina, vt cæcutiant, & Vrbem ſupra montem poſitam, & expoſitam Orbi toti non intueamur, age poſt ſolem, tanti Doctoris vt Vrbis celebremus encomia. Si itaque Vrbem pro mortalium multitudine ſumas, & vrbem vnum Diuum Thomam dicam; Turba enim litteratorum, confertiſſima ſi in illum im migrâſſet, tot ſcribere Codices, tot diſputare queſtiones, tot componere tractatus, tot compaginare articulos longo temporis interuallo haud potuiſſet, effecit vnus, quod ciuitas ipſa nequiſſet: quid-ni illum Vrbem dicam? Fœminarum Chori abblandientes cantu adoleſcenti hebræo, hîs laudibus occurrerunt. *Percuſſit Saul mille*, *& Dauid decem millia*: cur tàm grandi hyperbole vſæ? An ex fœminarum genio loquutæ, quæ ſiue laudem, ſiue improperium dicant, mediocre eſſe non patiuntur?

Thomiſtæ ferè in olympo in quo ſine nube, ſine vmbra ſol lucet.

Vrbanus VI. ad ciues Toloſanos.

Cur D. Thomas Vrbs ſupra montem poſita.

In vno D. Thoma firma Vrbs litteratorum reperitur.

Ita,

Ita, ex vno interfecto Philisthæo decem millia mortalium fugata, fusáque affirmant. Cæterùm, non aberrauit à vero, quamuis fœminea hæc hyperboles; In vno enim Duce à iuuene Hebræo, tota fugata est Philistinorum acies: in vno gigante tota militia afflicta, veluti mortuo capite, cuncta membra expirârunt; Vrbem litteratorum in D. Thomam confluxisse affirmare possum, cum Summam composuit, Philosophorum Theologorum, Patrum omnium, decorem, ac florem ipse in illam deriuauit: & quæ de Nilo cecinit Claudianus, Aquinatis gloriosissimæ Summæ tribuere possum.

Quippe ex omni fluuio spoliauerit æstus, Claudianus.
Hoc Nilo natura refert, totumque per Orbem
Collectæ partes, vnum reuocantur in amnem.

Sacræ doctrinæ decorē, & litteratorum omnium ornatū defluxisse crederem, vt Angelica hæc Summa concinnaretur: Quid enim ad eruditi hominis genium esse potest, quod hæc Lectio non præbeat? Hæc sola efficit peritissimum Theologum, ac decorat laureâ. Quot in illa philosophorum, etnichorum, hæreticorum expuncti errores? Quot veritates astructæ? Quot hæreses, quæ tenebris obruta occultabant, turpissimam faciem detexerunt, Quot monstra probabilitatis laruâ colorata, discurrebant per Theologicum Orbem, & à scholis, & à cathedris fuerunt profligata calamo suo? Pugnauit egregiè Tertullianus contra Marcionem; contra Arrium, ac Pelagium Athanasius: contra Vigilantium, ac Luciferum Hieronymus: contra Manichæos, Augustinus: contra Massilienses, & Cassianum Prosper: contra sectarios, Caluinistas, Lutheranos (Lutulentam Erebi luem) recentiorum eruditissimi, Vnus D. Thomas expugnauit omnes. Ex eius doctrinâ veluti ex panoplia, & armamentario, contra cunctas hæreticorum phalanges arma desumi possunt. Finge carneam molem; redijsse gigantem Goliath ex varijs compaginatum errori-

D.Thomas doctrinę fœtu, impugnauit omnes hæreses.

bus , Philoſophorum , Theologorum , Hæreticorum monſtris , veluti ex decem errorum myriadibus compoſitum. Tale oſtentum non funda Dauidica, ac lapis, ſed D. Thomæ afflixit calamus? *Percuſſit Dauid decem millia* , Pugnauit Angelorum more contra decem millia, Doctor Angelicus. Sed & vnus ſufficiens Señacherib multitudini : ab vno enim ipſius ſpiritu centum millia hominum capita perempta ſunt.

D. Thomæ doctrina veluti caſtellũ ad tutelam Eccleſiæ. *Cant.4.* *Iuſtus Orgelitanus hic.*

Verùm, ſi Ciuitatem ſupra montem poſitam , non Vrbem , ſed arcem eminentem ad tutelam Orbis Chriſtiani ſentiamus , quò alluſit ſponſa , de Doctoribus loquens. *Collum tuum ſicut turris Dauid quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* De quâ Iuſtus Orgelitanus. *Colla, Doctores , quia Chriſtum portant :* Munitiſſimæ arcis imaginem D. Thomas in doctrinâ ſuâ expreſſit. Currant ad illam omnes , qui Chriſtianam doctrinam profitentur, deſumant fortiſſima arma quibus ſe ab hæreticis, à Gentilibus , à prauis hominibus tueantur. Ab hâc arce *omnis armatura fortium* , & *mille clypei pendent.*

A doctrina D. Thomæ veluti ab arce pendet omnis armatura qua pugnemus in hæreticos.

D. Thomas magiſter ſcholæ, & cur?

Paraphraſis Kaldæa videtur de Angelico Doctore illuſtrâſſe oraculum : ſic enim , illa. *Princeps ſcholæ , qui erit magiſter tuus. Fortis in iuſtitia : Magiſter bonorum operum ; per verbum oris eius ædificatum eſt ſæculum in doctrina legis , in qua laborabit , confidet populus Iſraël, & vincent bello , quaſi eſſent tenentes manibus ſuis omnium genera armorum fortium.*

Princeps ſcholæ.] Quis nobiliſſimo audito titulo, panegyrin de Angelico Doctore dictam non affirmet? Omnium enim literarum ſuffragio D. Thomas audit: *Princeps ſcholæ.* Quæ doctrina in Orbe Chriſtiano valentior ad compeſcendum hæreticorum , ac prauorum hominum impetum ? Hinc rectè ſubditur. *Magiſter bonorum operum.*

Magiſter bonorũ operum.

Quis , virtutes clarius illuſtrauit , illáſque à vitiorum confinio diſtinxit ? Quis earum maieſtatem dimenſus eſt exactiùs , & expleuit candidiùs , niſi hic *magiſter bonorum operum?*

Per verbum oris eius ædificatum eſt ſæculum. Corruebat

bat ignorantia, ac nescientia mortalium Orbis. Ex Regis Hebræi vaticinio. *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ,* Stat firmus ex recta rerum cognitione. Horrebat tenebris, priori sæculo, sacra, ac scholastica doctrina, sine ordine, sine methodo, sine iunctura, Articuli discompaginati, fluebant in corpus malè compositum. Exceptæ ex scriptis & ex ore Hieronymi; Augustini, Ambrosij, Gregorij, ac cæterorum Doctorum sententiæ, palantes, ac sine sede vagabantur. Quæ lyra insonuit; vt in vnum illas cogeret, ac ex eis excitaret in monte firmissimo Theologicam Vrbem? *Princeps scholæ, ac in doctrina magister.*

Quo pacto sæculū ædificatum doctrina Diui Thomæ. *Psalm.*

Theologia à D.Thoma habet fermè vitam vt cōualescat in vnū corpus.

Tandem nobilissima hæc Ciuitas in montibus radicata, mirâ artificis industriâ excitata est, ne dum ad aliarum exemplar, verùm etiam, vt in rectam errones omnes dirigeret, voce, ac lumine suo: Vtrumque festiuè complexus est etiam Ennius.

D Thomas quo pacto voce, & lumine errantes reducat in rectam. *Ennius.*

Vt homo, qui erranti comiter monstret viam
Quasi qui lumen de suo lumine accendit.

Adeo complanata ad sacram doctrinam modò via est, vt stultus sit qui erret per eam: Omnia quæ ad illam pertinent, tradit clarissimè S. Thomas, qui lubrica vallium, aspera montium, glebosa camporum, æquauit calamo suo.

Complanata via scholastica ex D. Thomæ doctrina.

Cæterùm ab eadem arce, à qua tot encomia personârunt Angelici Doctoris, detonantem etiam, ac monentem audio vocem, vt silentio venerer altissimam doctrinam nec fœdare audeam meo atramento. Hæc enim celsissima moles (vt ex hebræo vertunt nonnulli) ædificata est *ad suspendenda ora.* eâ arte, ac industria composita pulcherrima turris, vt in stuporem magis, quam in laudem raperet, vel ipsos architectos. Suspendant itaque alij ora sua, admirati diuinum opus, suspendam & ipse meum calamum, admiratus Angelicum: Tantum

Doctrina D. Thomæ silentio veneranda cum omnia superet encomia.

accedat cum penicillo ſuo ter maximus ille totius Orbis Chriſtiani Antiſtes, & meæ religionis cum Beato Caietano auctor, Paulus quartus, & vltimam adhibeat Angelicæ iconi manum; ſic enim ille de Diui Thomæ doctrina aſſolebat dicere. *Lumen oculorum meorum, ſolatium vitæ meæ, baculus ſenectutis meæ.* Sic ad ſolem, ad ſalem, ad montium fulcra, pulcherrimè alludebat ſanctiſsimus, ac doctiſsimus ſenex.

Paulus IV. Pont. max. quo pacto D. Thomæ doctrinam nominabat.

LIBER

LIBER TERTIVS
DE
PROCERIBVS,
AC PRIMORIBVS
viris in Chriſti familia.

Indiculus.

Indiculus Capitum huius libri.

LIBER

LIBER TERTIVS

DE PROCERIBVS, ac primoribus viris in Christi familia.

CAPVT PRIMVM.

Sacrorum Præsulum quale munus, & quis locus in Christi domo?

TANTI parentis è familia quinam primores sint, exercentes munera præclara, explorare operæ pretium duxi. Aristoteles, familiam ex tribus personarum generibus constare sanxit: ex parente, ex filiis, & ex seruis. Porrò si ad Dei domum ascendimus, eius familiam exploraturi, Patrem, Deum esse, & Ecclesiam Matrem, & sponsam compertissimum habemus. Iustos, qui ex Deo nati, filios esse, quis neget? Per impertitam enim gratiam, ex fide cognoscimus, illos in adoptionem, & hæreditatem filiorum felicissimè transisse. Reliquum erit tradere, quinam in sacrosanctâ familiâ seruorum locum subeant: seruos enim ad familiæ complementum adeò conducere affirmauit Aristoteles vt bos ipse foret substituendus si quando pauperibus, egenisque seruus deesset, ne manca videatur familia.

Arist. 1. Politic. cap. 2.

Quinam familiam integrent.

Dei familia ex quibusnam constet.

Aristoteles.

Quis igitur iste bos, aut Ecclesiæ seruus? Planè cum Bernardo,

Prælati serui

sunt, quia seruire, & seruare debent. Bernar. ser. 23. in cātic. Seruorum etymologia. August. de ciuit. Dei c. 3. Aristot. 1. pol. c. 3.

Bernardo, illum dicam, qui iugum dignitatum susceperit. *Quid iugum vestrum super eos grauitatis, quorum potiùs onera portare debetis?* Qui seruabat res domesticas, dicebatur seruus, non modò à seruiendo, sed à seruando nomen ferens. Et quamuis Augustinus dicat. *Origo vocabuli seruorum inde creditur ducta, quòd ij, qui iure belli possent occidi, à victoribus conseruabantur; & serui fiebant, à seruando appellati.* Aristoteles tamen affirmat, seruos organa esse, quibus res domestica seruatur: Hinc à seruando, actiuè desumendam vocem seruorum, putarem, dum rem familiarem tenentur seruare. Qui igitur rem Ecclesiasticam, diuinámque seruant, quos Superiores indigitamus, seruorum vicem in Dei parentis familiâ obtinent. Sed ne duriuscula videatur ista catastrophe, præcipuè si rem ad Principum terrenorum dimetiamur ingenium, audiamus ex ipso Christo muneris vtriusque discrimen. Ad Apostolos loquitur

Luc. 22. ambitiosè de prælatione litigantes. *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos, Non ita erit inter vos, sed qui voluerit inter vos maior fieri sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sic filius hominis non venit ministrare.* Vbi eleganter Chrysostomus. *Volens ergo Dominus, & duorum Fratrum Zebedei, & aliorum indignationem extinguere, introducit differentiam inter Principes mundiales, & Ecclesiasticos: ostendens, quòd primatus in Christo, nec ab aliquo appetendus est non habente, nec alteri inuidendus est habenti. Quòd Principes mundi ideò sunt, vt dominentur minoribus suis, & eos seruituti subijciant. Principes autem Ecclesiæ fiunt vt seruiant minoribus suis.* Princeps Ecclesiæ es, Prælatus, Antistes, extingue hac aqua ignis ambitionem; Præsul factus es, non vt imperes, sed vt minoribus tuis seruias. Horres seruitutem, reformida dignitatem, quæ maxima, & prima seruitus est. Hanc, vt Christianis pectoribus insinuaret Antistitum vertex Petrus

Chrysost. differentia inter mundanum, & Ecclesiæ Principem.

1. Pet. 5. D. Thom.

ait. *Neque vt dominantes in Cleris: sed forma facti gregis ex animo,* Expendens Diuus Thomas, *to, vt dominantes,* inquit, *non solùm non dominantes, quia nihil exteriùs debent prætendere, per quod possit de eis opinari, vt videantur velle dominari in Cleris, idest, in dignitatibus sorte diuina electionis*

nis obtentis. Expende zelum Supremi Pontificis, vel vmbram ipsam dominandi abhorrentis. Sed quonam pacto absque dominio Superiores præferuntur cæteris? Vita, ac exemplo, affirmat Petrus. *Forma* inquit, *facti gregis ex animo*, Vbi idem Sanctus. *Vt sitis exemplar bene viuendi, & per vos alij informentur ad scientiam, & honestam conuersationem.* Serui itaque sunt Prælati, non domini.

Exemplo, prælati alijs, præesse debent.

Sibi præesse curet, qui alijs præesse satagit.

Sed ne Prælationis nomen, in æquiuoco laborandi ansam illis tribuat, sciat, qui plebi christianæ præest, priùs sibi præesse debere, deindè cæteris. Hinc Gregorius. *Sūmus locus benè regitur, cùm is, qui præest, vitijs potiùs, quàm fratribus dominetur.* Hæc ratio fuit, cur Christus, vnà tribuerit Superioris munus, & serui nomen. *Quis est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* De familia sua ac filijs loquitur Christus, vt ex Syrâ versione patet, *Super filios domus suæ constituit.* Super filios, quia Superiori prælatio haud data ad imperium, sed ad seruitutem, ad quam ipsum serui nomen damnat. Hilarius dilucidè. *Quamquam nos*, ait, *in commune ad indefessum vigilātiæ curā adhortetur, speciale tamē populi Principibus, idest Episcopis in expectatione aduentûs sui, sollicitudinem mandat.* Præclarè ad rem nostram Bernardus Supremum Ecclesiæ Præsulem (hanc Lucæ ponderans sententiam) sic pulchrè affatur. *Præsis, vt prosis: præsis, vt fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quid? Vt des illis escam in tempore. Hoc est, vt dispenses, non imperes, hoc fac, & dominari ne affectes hominum homo, vt non dominetur tui omnis iniustitia.* Audite Præsules: Sanctissimus Abbas, iniquitatis totius compendium intermiratur his, qui dominandi flagrant cupidine. Bernardo adijce Gregorium, qui carpit vt hypocritas, dominantes; & non seruientes gregi suo. Aliud sibi fingunt, cùm non eo munere ad quod vocati sunt, fungantur. Verba tanti Doctoris hæc. *Diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis. Inter hypocritas enim iure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in vsum dominationis.* Vertit, an potiùs inuertit ordinem, qui ad ministerium accinctus, ad imperium surgit? Vnus Deus, qui &

Gregor. 3. Past. c. 6.

Syrus.

Veri Prælati serui sunt. *Hilarius.*

Bernard. lib. 3. de considerat. c. 10.

Prælati dominationem, & non seruitutem exercentes, hypocritæ dicendi.

Gregor. part. 2. past. c. 6.

& Pater familias, & dñs Ecclesiæ suæ est, Dei partes sibi arrogat, qui vocatus ad seruitutem, accurrit ad dominium.

Cur iratus fuerit Deus Israelitico populo Regem petenti.

Non parum negotij sacrarum litterarum interpreti facessit; cur Deus succensus sit Israëli, qui aliarum nationum vestigijs inhærens, sibi imperitantem Regem postulauerit. Si Monarchicum regimen, cæterorum optimum est, cur Deus Hebræorum petitionem exhorrens in eâ se grauiter offensum conqueritur? Sic enim ad Samuelem 1. Reg. c. 8. ait. *Non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Præcipua, quæ mihi placet sententia, ex Theodoreto, Procopio, Seuero Sulpitio, & Ruperto est; Displicuisse Deo Iudæorum postulata, quia ipsum Numen, vt ex pluribus patet, se gentis Hebrææ Regem spoponderat. *Vos mihi eritis in Regnum sacerdotale. Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius. Me abiecerunt, ne regnem super eos.* Consonat Balahamus. *Te*, inquit, *elegit Dominus tuus, vt sis populus eius peculiaris de cunctis gentibus.* Hinc fortasse regium Israëlis solium Dei dictum. *Sedit Salomon super solium Dei in Regem.* Vnde Ioseph supra omnes regiminis formas, Theocratiam effert, quam sibi in suo populo Deus vindicabat; cui nedum, vt rerum omnium moderator, verùm, & vt Rex imperabat. *Noster*, inquit, *legislator in nullam harum administrationum intendens, Theocratiam instituit, vni in primis Deo, imperio, atque potestate assignatâ.* Fallor, si id Ecclesiasticis non optimè congruit, qui verè Israelitæ sunt Dei partem sortiti, & Clerici dicuntur. In illos Israelis summa iura transierunt, Deus illis Rex est, ipse eorum Princeps, ac sub eius ditione viuunt. Præsules, œconomi, administratores, in Numinis familiâ, fideles, & prudentes serui. Hinc illis dicitur. *Fidelis seruus, & prudens, quem constituit super familiam suam.* Iustis nullus imperat, quia illis nulla lex posita. In prauos dominium est fateor, serui enim interdum iubente Patre animaduertunt in peccantes pueros, vnde non ex humilitate, sed ex veritate fatetur Summus totius Ecclesiæ Præsul, se esse seruum seruorum Dei.

Reg. 1. c. 6. Theodoret. Procop. Sulpit. Rupert.

Israel, populus peculiaris Dei.

Exod. 19. Deuter. 32. Numer. 13. 2. Paralip. 29. Ioseph. lib. 1. in Appion.

Clerici sub Theocratico imperio reguntur.

1. Timot. 1.

Ecclesiasticum regimen quale nam sit.

Quod tamen diximus, cautè accipe. Non negamus politiam in Dei Ecclesia, asserentes ordinatam Democratiam

tiam, vt perperam somniantur Lutherani: Sed asserimus mitē & paternam Monarchiam, cuius summa penes vnum Romanę Ecclesiæ Pontificem est: qui Primates, Episcopos, Præsules omnes, in partem piæ sollicitudinis admittit, à quo deriuata in inferiores Monarchia, Hierarchiæ, id est, sacri Principatus, nomen desumit. Quod asserimus est: Deum præcipuum nostrum Principem, cæteros tanti Principis fideles seruos, qui & vicariam illius potestatem in Orbem terrarum obtinent. Ad Eugenium eleganter, & liberè Bernardus. *Quid, inquis, non negat praeesse, & dominari vetat? Planè sic. Quasi non bene præsit, qui praeest villico, & paruus Dominus subiectus est pædagogo? nec tamē villa ille, nec is sui domini dominus est: Ita & tu præsis, vt prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues. Præsis, vt prosis vt fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quid? vt des illis escam in tempore: hoc est, vt dispenses, non imperes.* Hinc affirmat sanctus Abbas Clareuallensis, Præsules, dispensatores bonorum Ecclesiæ, non dominos esse. *Bernard.*

Eundem Pōtificem Eugenium, idem Bernardus, ex Apostoli sententiâ monet, vt seruum, & debitorem. *Sapientibus, & insipientibus debitor sum. Recordare*, inquit, *vocis illius, Sapientibus, & insipientibus debitor sum; & si non indebitam tibi ipsam censes, hoc quoque simul memento, debitoris nomen molestum, seruienti potiùs, quàm dominanti congruere. Seruus in Euangelio audit. Quantùm debes Domino meo? ergo si te cognoscis, sapientibus non dominatorem, sed debitorem, curandum summopere tibi, & totâ vigilantiâ considerandum, quomodo, & qui non sapiunt, & qui sapiunt, non desipiant & qui desipuère resipiscant.* Nil igitur mirum, quòd Christus Præsulem totius Orbis Petrum constituens, ratus dura se imperâsse, nimirum in Præsulatu omnium, omnium seruitutem, amorem ab illo petit, quo superare durum seruitutis iugum valeret. Idcircò semel, iterùm, tertiò exposcit amoris contestationem, vt pascens seruiat gregi: Christus enim ab amante Petro exigere vult aliquid. Optimè Augustinus, ad rem nostram inducens Petrum cum Christo loquentem, ait: *Quid mihi dabis? Quid mihi præstabis? quia amas me?* Dat, non accipit, qui annuit, vt Præsul fiat.

Bernard. lib. 3. de consid.
Rom. 1.
Qui præsul, ipse, & seruus est.
Luc. 16.
Aug. ser. 4. q. de verbis Domin.

Exactissima animarum ratio, à Pastoribus, Deo reddenda.

Peroro: affirmans seruum, & œconomum esse; cui permittitur animarum cura; exactissimam redditurum de illis rationem. Vnde Christus rediens ad Patrem, veluti seruus, quâ homo, sic loquitur. *Pater serua eos, quos dedisti mihi. Vnus est, qui periit.* De cuius factâ iacturâ, hæc, quasi purgans se, ait. *Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum.* Subdit Ioannes. *Et cùm hoc dixisset, turbatus est spiritu, & protestatus est Iesus, & dixit. Amen, amen dico vobis. Vnus vestrum me traditurus est.* Contestatur Ambrosius, Iudam Apostolum, & dispensatorem à Christo factum, vt omnibus clarescerer, nulla lacessitum iniuriâ vltrò periisse. Audi aurea Ambrosij verba post enumerata beneficia, quæ Christus prolixa benignitate in Iudæ sinum effudit, rationem perditionis subdens. *Vt iustificaretur in eo Dominus, hæc ei contulit.* Paulò post. *Vt non quasi iniuriâ exasperatus, sed quasi præuaricans gratiam, maiori esset offensæ obnoxius.* Expende Iudæ proditionem, cui tota eius perditio tribuenda. Christus præ misericordia seipsum turbat, & ex imo pectore suspiria elicit. Affirmat, in Dei, Angelorum, hominúmque conspectu, Iudæ peruicaciam nullo pacto sibi adscribendam. Ad protestationis solemnitatem, Ioannes veluti publicus notarius rogatur: ipse enim est, qui hæc scripto mandauit. En tibi quanta Dominus Iesus egerit, vt à Iudæ piaculo se ostenderet immunem: vt inde colligas quæ Prælatis agenda sint, ne illis attribuatur subditorum damnatio. Ex œconomo, & ex seruo pende quàm exactam rationem Præsul de creditis sibi animabus redditurus est.

Ioan. 17.

Iudæ collata beneficia, sollicitudinem Christi pro eius salute commédant.

Ambros.

CAPVT

Capvt II.

Paterfamilias ædificauit Turrim.

Præsules Turres sunt ad subditorum tutamen, abundantiam, & doctrinam.

Qvæ de Turri à Patrefamilias excitatâ in vineæ commodum fari possumus, siue proceritatem, quâ supra cæteras erigitur domos; siue profunditatem, quâ stare valeat contra terræ, cælique iniurias; siue penarias cellas in ea sitas ad seruandam annonam, cuius ferax est vinea, expendamus; optimè omnia in Episcopos, & Superiores quadrant. Quid Episcopus nisi speculator de sublimi, significat? Augustinus ad proceritatem, & profunditatem Turris alludens ait. *Ideo altior locus positus est Episcopo, vt ipse superintendat, & custodiat populum. Nam & græcè quod dicitur Episcopus, hoc latinè superintẽtor, interpretatur: quia superintendit, quia desuper videt. Quomodo vinitori altior fit locus ad custodiendam vineam, sic Episcopis altior locus factus est.* Hæc de proceritate. De profunditate verò audi quæ subdit, vt consistere celsissima turris valeat nullis concussa perturbationibus. *Periculosa redditur ratio, nisi eo corde stemus hic, & humilitate sub pedibus vestris simus, & pro vobis oremus.* Eugenius Pontifex Summus sic à S. Bernardo Abbate monetur. *Pater pauperum factus es, ideò pauper spiritu es: in te hanc mutationem factam esse confide, non de te: nec priori statui tuo successisse promotionem, sed accessisse.* O celsissimam Turrim, & altè radicatam: quid mirum si impauida, & inconcussa aduersùs inferorum portas consistat?

[Margin: Ecclesia Episcopi locus, eius in vineã superintendentiam signat. — August. in Psalm. 126. — Bernard. l. de Consid.]

Turris firmissima, quæ respicit contra Damascum Prælatus dæmonum insidias à vineâ suâ impauida, & secura protelans. Gregorius, qui hanc Turrim pro Episcopis, & Prælatis accepit, ait. *Ex hac Turri contemplatur conatus Damasci: hoc est sanguinei sacci: nempe eius, qui homicida fuit*

[Margin: Nasi sagacitas in Episcopo desideratur ad quæcunque fœtida subodoranda. — Greg. l. 31. moral.]

fuit ab initio, & animarum necem semper sitit Diabolus. Sed Turris, nasus sponsæ dicitur? *Nasus tuus sicut Turris Libani, quæ respicit contra Damascum*, quia speculatores ex hac specula cunctos Syrorum conatus, atque insidias despicientes, significabant omnia, quæ ad defensionem opus forent. Ita Episcopis debent esse, sagax nasus, & perspicacissima lumina: vt mala vineæ, à Damasco impendentia perspiciant. Egregiè Gregorius. *Quæ ergo laus est fratres mei, vt sponsæ nasus turri comparetur? Sed quia per nasum semper odores, fætorésque discernimus: quid per nasum, nisi speculatorum discretio designatur? qui nimirum nasus, & sicut turris esse, & Libani dicitur? quia videlicet præpositorum discretio, & munita semper debet esse ex circumspectatione, & in altitudine vitæ consistere, id est, in valle infirmi operis non iacere: sicut enim turris in monte idcircò ad speculandum ponitur, vt hostes, qui veniunt longiùs videantur: sic prædicatoris vita semper in alto debet fixa permanere, vt more narium discernat fætores vitiorum, odorésque virtutum. Incursus malorum spirituum longè prospiciat, & commissas sibi animas per suàm prouidentiam cautas reddat.* Magnus Præsul, suæque vineæ prouidissimus custos Ambrosius de longè subodorans, quid mali par clericorum in S. plebem effundere posset, illos promouere ad altiores ordines noluit: quin & à Clero abiecit, quia à Damasco esse nouit. De vno lib. 1. Offic. cap. 18. *Hic solùm in clerum à me non est receptus, quod gestus eius plurimùm dedeceret.* De altero. *Alterum quoque cùm in clero reperissem, iussisse me ne vnquam præiret mihi: quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos feriret meos.* Audi ad quæ præcipitia concidit hæc biga. *Vterque ab Ecclesia recessit: vt qualis incessu prodebatur, talis perfidiæ animi demonstraretur. Namque alter Arrianæ infestationis tempore fidem deseruit; alter pecuniæ studio ne iudicium subiret, Sacerdotem se nostrum negauit: lucebat in illorum incessu imago leuitatis, species quædam scurrarum percursantium.* Celsissima turris, sagax nasus, omnia, quæ Damascus contra vineam moliebatur, longè odoratus est.

Cant. 7.

Greg. hom. 11. in Ezech.

Ambros. l. 1. Offic. c. 18.

Ambros. binos clericos pellit clero; subodorans in leuibus defectibus pessimos mores.

Verùm quò tendet hæc turris, quàm sublime illi, quàm celsum erit fastigium? Affirmo non impar Olympo, cuius vertex

Episcopus Olympo

vertex eò vſque extollitur, vt nullis vnquam obductus nubibus, totus ſemper refulgeat. *Nubes exsedit Olympus.* Hæc celſitudo Præſulem decet. Chryſoſtomus. *Oportet Epiſcopum Angelum eſſe; & nulli humanæ perturbationi ſubiectum.* Et alibi. *Eum, qui regendos alios ſuſcepit, tantâ decet gloriâ virtutis excellere, vt inſtar Solis, cæteros velut ſtellas ſuo fulgore obſcuret.* Adeò ſupra cæteros erit, vt vitio illi vertatur non ſuper omnes eſſe. Tunc malus quando non optimus. Hinc Nazianzen. Apolog. 1. *Vitium in Epiſcopo eſt, non optimum eſſe.* Vultus Chriſtianæ plebis Epiſcopus, & veluti inter pretioſos lapillos, adamas, vtrumque vel tenuis næuus deturpat. Plutarchus de ſacris prophaniſque Principibus ſic ſenſit. *Sunt Principes tàm ſacri, quàm prophani inſtar lucentium gemmarum: atque adeò ſi quis in illis næuus apparet, detractioni patet, & calumniæ.*

monti, ſimilis eſt. *Lucan.* Angelus debet eſſe Epiſcopus. *Chryſoſtom.* Nazianz. A næuo, vel leui deturpatur Epiſcopi facies.

Si tamen ſuſpicere adhuc cupis Præſulis eminentiam, pende illã ex Paulo. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Vbi Hieronymus ad Ocean. *Omnes, ait, virtutes in vno ſermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit; quis enim ille eſt, qui ſine peccato, & reprehenſione viuat?* Adeò extollitur hæc turris, vt ſi quis deſpicere eam audeat, non ſit ſine Sathanici ambitus notâ. Gregorius inquit. *Quid enim omnes vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopi, niſi Aſtra cæli ſunt, quorum vita ſimul, & lingua inter peccata, erroréſque hominum, quaſi inter noctis tenebras lucent: quibus dum temetipſum vocabulo elationis præponere, eorumque nomen, tui comparatione calcare audes, quid aliud dicis, niſi, in cælum aſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum? Annon vniuerſi Epiſcopi nubes ſunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce, & miraculis coruſcant. Quos dum veſtra fraternitas deſpiciens, ſub ſe premere conatur, quid aliud dicit? niſi hoc, quod ab antiquo hoſte dicitur. Aſcendam ſuper altitudinem nubium.*

Plutarch. de doctrina Principis. 1. *Timoth.* *Hieron.* Ab Epiſcopo etiam id quod ſupra naturam eſt, exigitur. Aſtra ſunt Epiſcopi, & nubes. *Gregor. l. 2. epiſt.* 38. *Iſai.* 14. Qui Epiſcopo ſe præferre audet, Lucifer dici poteſt.

Deſcendo de celſitudine ad cellas penarias, quæ ibi ad protegendum, ac paſcendum vineæ colonos. Ad tutelam alluſit Salomon. *Turris Dauid mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Pro Turri Epiſcopos intelligunt Nyſſenus, Gregorius, Philo, Hieronymus innumeri apud

Epiſcopus Turris eſt Dauidica.

Cant. 4. Nyssen. Gregor. Philo. Hieron. Ghisler. Episcopus Munimen Ecclesiæ. *Maximus hom. 2. de sancto Laurentio.* Arx munitissima Episcopus. *Euseb. lib. 2. c. 2. psal. 121. Hieronymus. Chrysostomus. hom. 2. Leo Papa Ambros. & Chrysost.* Turris Ecclesiæ fortissimæ.

Ghisler; tùm Patres, nam *Munimen Ecclesiæ Episcopus.* Ita Maximus appellat Xistum Pontificem. Iacobus frater Domini primus Hierosolymorum Episcopus. *Oblian.* vocatus, idest, *Arx munitissima*, vt Eusebius testatur. Sanctus Hieronymus in illa verba Dauidica. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*, vult Regium Psaltem de his loquutum, qui merito tamquam turres fortitudine supereminent Ecclesiæ, virtute muniunt, ac proceritate decorant. Chrysostomus Apostolos, Ecclesiæ turres appellat, non ad decorem, & ad pulchritudinem tantùm, sed ad hostium terrorem. Vt olim muri, turrésque Neapolis, teste Liuio, Annibalem ab illius obsidione absterruêre; sic Episcopi maiestate sua ab Ecclesiâ sanctâ Dei propulsant hostes. Leo ab Vrbe Româ, Attilam depopulantem Italiam ab hac maiestate terruit. In Breuiario Romano habetur. *Cùm Romam ardenti furore raperetur, iamque copias vbi Mincius in Padum influit traijcere pararet, occurrit ei malorum Italiæ impendentium misericordia permotus: cuius diuinâ eloquentia persuasum est Attilæ, vt regrederetur.* Sic Ambrosius in Maximum, & Theodosium: Sic Chrysostomus contra Eudoxiam turres inconcussæ fuêre.

Precum Episcopi potentia. *Chrysost. hom. de comparat. Regis, & monachi.* Episcopi vita Dux ac illuminans stella.

Consilio etiam, hæ animatæ Turres vineam protegunt, & quod de Demosthene Philippus, liceat nobis de Episcopis dicere. *Propugnaculum munitissimum, quo suorum consiliorum machinationis vis omnis eluderetur.* Interdum non alijs armis hæ turres quàm precibus communiunt vineam: sic olim Moyses, & Onias Summi Sacerdotes, orationibus suis populum ab ingenti seruârunt discrimine; quod de monachis Chrysostomus, accommodatius nos de Episcopis. *Precibus suis veluti muro, vrbes muniêre.* Turres aliquando ad docendum erectæ, quâ pergere debeat confusus viator admonent. Turris Dauidica posita dicitur *ad docendum.* Ita Episcopi veluti illuminantia sydera lumine suo viatores dirigunt in rectam; Vnde Theophil. *Sic Præsidem, ac principem velut stellam, & illuminatorem decet esse: vt ad ipsum omnes defigentes oculos illustrentur, atque ducantur in viam rectam.*

Theophil.

Tandem de his turris armarijs, & penarijs cellis abundè Apostolus.

Apostolus. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, doctorem, hospitalem.* Expendo duo postrema, *Doctorem*, & *Hospitalem*: Doctrina enim, & exemplo vineæ suæ colonos Præsul pascat. Ad præfata verba Hilarius: *Beatus Apostolus Paulus formam constituendi Episcopum fingens, & planè nouum Ecclesiæ hominem præceptis suis condens; hanc veluti summam consummatarum in eo virtutum esse docuit dicens. Abstinentem, & secundùm doctrinam fidei, verbum vt potens sit exhortari ad doctrinam sanam, & contradicentes reuincere.* Pende. *Nouum Ecclesiæ hominem.* Antistes probus, fermè nouus è cælo homo descendit, in paradiso Ecclesiæ veluti alter Adam formatus, *sine patre, sine matre, sine genealogiâ*, nouus Melchisedech.

1. Timot. 3.

Episcopus nouus homo.

Hilar. lib. 6. de Trinit. c. 8.

Quæ doctrina in Præsule? *Potens sit exhortari.* Oratori satis erit aptè ad persuadendum dicere; Episcopo hoc non satis, debet enim suadere verbo, & exemplo. Illud eloquentia; hoc oratione præstabit. Paulinus ad Florentinum, Episcopos *piscatores animarũ* appellat epist. 32. *Hic ergo, qui te in sortem Apostolorum* suorum dignatus assumpsit, vt eorum arte hominum piscator existeres; ac de amaris, & profundis huius sæculi fluctibus viuificandam potiùs, quàm perimendam Deo prædam, hamo verbi salutaris *extraheres.* Doctrina igitur, & oratio in penarijs cellis custodienda ad cultores vineæ pascendos.

Heb. 5.

Piscator animarum Episcopus per doctrinam.

Paulin.

Episcopo, doctrina non imbellis erit, sed armata. Hinc è Dauidicâ Turri, *mille clypei pendẽt, omnis armatura fortium*, Petro indicitur stringere gladiũ quando nesciat quid dicat; sed cùm Doctoratus, die Pentecostes laurea decoratus; tũc acuat linguæ gladium in Ananiam, & Saphiram, animalia deuoret. Episcopus Cherubin in Ecclesia eligitur ad versandum in refractarios diuinæ legis, doctrinæ suę gladium.

Cant. 4.

Doctrinæ gladius Episcopo necessarius.

Hospitalis, quia Episcopi manus promptuarium pauperum esse debent, quę adeò comiter, officiosèque excipiant pauperes, vt ad summam exaggerationem & ad explicandam maximam in illos benignitatem dicendum sit. *Episcopaliter* exceptus Quò allusit Augustinus de Ambrosio loquens. O magnum Episcoporum Sydus! *Suscepit me, ait, paternè ille homo Dei, & peregrinationem meam satis episcopa-*

Episcopi Hospitalitas

Quid sit Episcopaliter excipere.

August. l. 5. confess.

 liter

liter dilexit, idest officiosè, sat enim exaggerauit hospitalitatis officium, cùm *episcopaliter* dixisset.

Pauperes ab Episcopo amandi. Bernard ep. 100.

Episcopus enim hospitalitatis erit norma. Adde ex Bernardo. *Hoc planè decet Episcopum, nobilitare dignitatem, si, quem ministerium prohibet esse pauperem, administratio probet pauperum amatorem: non enim paupertas virtus reputatur, sed paupertatis amator.* Certè officiosè, & hilariter amplexabitur pauperes paupertatis amator: à charitate hospitalitas, & benigna hilaritas prodit. Amor quàm magna docet?

Non debet Episcopus per auri illicium animas lucrari. Matth. 8. Christus minime ob lucra sequendus.

In Turri ista nolo aurum reconditum, quod veluti, magnos homines ad hospitium attrahat. Christus Præsulum princeps, & exemplar neminem attraxit hoc illicio. Scribam argenti cupidine sequentem obiurgauit, Matth. 8. *Magister sequar te quocumque ieris.* Respondit Christus, *Vulpes foueas habent: volucres cæli nidos: filius hominis non habet, vbi caput reclinet.* Christus, qui tàm feruidè obsequium offert, sequelam reijcit; cum hominem vltrò se offerentem iubet, vt statim sequatur, nec temporis indulgeat momento, quo patri parentaret, ait, *sinite mortuos*

Luc. 9.

sepelire mortuos suos. Id ea ratione factum censeo, quòd Scriba, audiens Christum, multa signa, & miracula patrantem, putauit inde sibi posse non parum referre lucri, ideo Christi ambit discipulatum, quod præuidens ille, affirmat frustra aliquem lucelli spe pauperem sequi, quandoquidem ipse sine hospitio, & puluinari non habeat vbi suum reclinet caput, vulpe & passere pauperior.

Cur scriba à Christi fuerat sequela exclusus. Hieron. Matth. 8.

Eleganter Hieronymus. *Ostenditur autem nobis, & ob hoc scribam repudiatum, quòd signorum videns magnitudinem, sequi voluerit Saluatorem, vt lucra ex operum miraculis quæreret. Hoc idem desiderans, quod & Simon Magus à Petro emere voluerat. Talis ergo fides, iuxtà sententiam condemnatur & dicitur ei. Quid me propter diuitias, & sæculi lucra cupis sequi? cum tantæ sim paupertatis, vt ne hospitiolum quidem habeam, & non meo vtar tecto.* Ergo vt eliminanda est à Christi sequela diuitiarum cupido, ita ab Episcopo auri spes, & illicium; animarum vt plurimum ruina.

At quia Turrim firmam iubeo, solidam, eodem loco consi-

consistentem, ideo non ex ligno compactam volo. *Ædificauit Turrim* ait Euangelista, vt significaret immotum, & permanens ædificium. Hoc enim, & recta ratio, & iura docent, Episcopum turrim permanentem esse. Residentiam grauissimi auctores diuino iure sancitam affirmant. Quomodo absens, oues verbo, & exemplo pascet? Præsulum Maximus ait. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, forma facti gregis ex animo.* Damasus epist. 5. *Christus, & Apostoli docuerunt per se pascere. Vnde Christus oues per seipsum tulit: sicut Iacob oues Laban per se ipsum curabat.* Anastasius epistola ad Constantinum. *Noui ex lectione scripturarum quanti sceleris sit, Episcopum Ecclesiam suam deserere, & negligere gregem Dei; Pastorum enim absentia, lupis inuadendi gregis occasionem præstat.* Agapitus Aphricæ Antistes ad Agapitum Papam. *Recedens ab Ecclesia, habeatur similis hæretico:* & ipse Agapitus Papa *Congruum est canonibus, & disciplinæ fidei.* Hinc Deus Apocal. 2. Ephesinum Episcopum arguit. *Habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti: memor esto itaque vnde excideris, & age pænitentiam, & prima opera fac.* Quæ verba licet in alium sensum accipi possint, tamen in rem, de quâ agimus videtur germanior explicatio: ac dictum sit Præsuli, Maneto, & reside apud tuum gregem, & Episcopatûs tui, vt priùs faciebas, negotijs assistito. Tandem verba Apostoli. *Sicut rogaui te vt remaneres Ephesi*, ad literam de residentiæ præcepto Caietanus. *Aduerte quòd aduerbium sicut non habet in textu aliquid correspondens ad complendam orationem, vsque ad calcem huius capituli, vbi dicitur hoc præceptum commendo tibi. Itaque illic complet Paulus orationem, quam hîc inchoat. Et est est sensus, sicut rogaui te, &c. ita hoc præceptum commendo tibi, quemadmodum olim rogaui te, &c. Vnde omnia ab hinc illucusque verè interiecta sunt ad explicandam necessitatem præcepti, quòd olim dederat, & quod modò commendat.* Turris itaque Episcopus celsissima, altissima firmâ radice, in qua armaria, & penariæ cellæ sint, vt inde & arma, & cibaria, & tutamen ministrentur gregi. Cuncta hæc absente Episcopo forent vana, & nulla. Nullum sine Episcopo ædificium firmum, nulla solida, & lapidea turris, sed vana, ac fumea.

Episcopalis residentia asseritur.

1. Pet. 5.

Damas.

Anastas.

Agap. Episcop. Agap. Papa.

Apocal. 2.

1. Timot. 1.

Caietanus.

CAPVT III.

Sacrorum Præsulum varij characteres.

Humilitas sacri Præsulis primus character.

Diuersa Ecclesiastici, ac sæcularis Principis semita.

ERRAT Præsul Ecclesiasticus, si eadem semitâ ad regimen animarum tentat progredi, quâ Princeps sæcularis processit ad corporum. Via, quæ peruia; tuta, & complanata vni, inuia alteri est, intuta, & ad præcipitium ducens. Audiat iterum Christum, in Euangelio monentem Ecclesiam suam. *Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, erit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Quæ dixerat, sanctissimo sui exemplo firmauit. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Non itaque gressu prophano semitam illam temerare audeat homo, quam purissimis vestigiis suis sacrauit Numen. Sæcularem, & Ecclesiasticam politiam, non tentet vnà iungere Præsul, quam eloquio, & exemplo suo Christus Dominus, & Ecclesiæ caput, omninò disiunxit. Ad animarum gubernationem, qui à Deo vocatur, ad sanctum ministerium illicò, non ad dominium sæculare, accurrat. Imperet corpori Princeps, seruiat animabus Præsul: nec erubescat seruitutem nobiliorem omni regio dominatu, omni mundano fastu. Repeto iterùm Caietani sententiam. *Magnitudo Mundi, est ad exercendam potestatem. Magnitudo vestra ad exercendum ministerium. Principatus gentium est ad dominandum; Principatus vester est ad seruiendum.* Humilis Christiana seruitus longè venerabilior sæculari purpurâ, cùm Deo seruire, ne dum regnare, sed de Regno cælesti gloriosissimè triumphare sit. Seruitus tunc nobilissima, cùm non terræ, non corpori, non homini; sed cælo, Angelis, & Deo seruitur. Quid ni cæleste obeat munus Præsul, cælorum fores,

Matth. 20.

Politiæ sæcularis, & Ecclesiasticæ discrimen. Illa corpori imperat, hæc seruit animæ.

Vitiis potiùs, quàm fratribus dominandum.

Cur seruitus Præsulum nobilissima.

res, prauis occludens, probis recludens? Christi corpus verum, ac mysticum æquè inuenio huic ministerio demandatum. Egregiè S. Bernardus. *Quid ego infelix, quò me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod tibi Christus sanguine proprio pretiosius iudicauit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in Cruce Domini sanguinem collegissem, essétque repositum penes me, in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè id seruandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa vtique sapientia) sanguinem illum dedit; sed habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multò plura, quàm vitreis, imminere pericula videtur.* Bernard. ser. 3. de Aduentu Domini. Christi corpus verum, & mysticum demãdatum Præsuli.

Itaque corpus verum, maiori cultu; mysticum maiori diligentiâ, vtrumque, obseruantiâ pari custodiendum, docet mellitissimè Bernardus. Corpus verum, ad vsque sæculi consummationem perseuerat, vt mysticum à noxiis seruet. Ecclesiæ quam Numen sibi, mystico ac sancto nexu adiunxit, nemo audeat dominari. Christi sponsa, quam nodo tam sublimi maiestati suæ copulauit, augusta est, omnibus superior, soli sponso subdita. Præsul seruit animabus, quia in illis similitudo Dei reperitur.

Accedit, quòd anima, quà mente, quà voluntate à Deo condita, quà charactere ab eo munita, nulli præterquam ipsi Numini, cuius similitudinem expressam in se perpetuò gerit, seruire par est. Egregiè Tertullianus. *Homo liber esse debuerat, ne incongruenter Dei imago seruiret.* Idem vberiùs, nec minus eleganter Nyssenus. *Verè diuina, & sacra res est ratio, eximia Dei possessio, quæ non aliunde accessit, sed cum natura commissa, & contemperata homini. Donum pretiosissimum, quod venit ab eo, qui ipsum creauit; quam ob rem dicitur factus ad eius similitudinem.* Eorum, quæ hactenus dicta sunt, rationem altè, & elegantissimis verbis idem Tertullianus tradidit. *Deus hominem mundo proposuit, & quidem ad imaginem suam factum, cui mentem, & rationem indidit, & prudentiam, vt Deum possit imitari, cuius, & si corporis, terrena primordia, cælestis tamen, & diuini habitus inspirata substantia, qui cum omnia in seruitutem illi dedisset, solum liberum esse voluit.* Hominem itaque, his ornatum infulis, diuinâ decoratum imagine seruire dedecebat Tertull. de Trinit. Nyssen. Tertul. ibid.

cebat præcipuè si in Christi mystico annumeratus foret corpore, eâ tamen ratione homo Præsuli creditus, quâ Ecclesiâ inclusus, quâ baptismate lotus, quâ sanguine Christi dealbatus, quâ pretio diuino emptus. Ad Præsulem enim de his, quæ foris sunt nil pertinet. Animaduertat Præsul in prauos. Flagellum anathematum habeat in ore, in manu; vapulant tunc pueri; cùm à recta, & à mandatorum Dei semita errant. Mens igitur hominis cum bona, libertate gaudeat; cum praua, animaduersionem sentiat, fidem adoret, illius se prouoluat genibus, illi sit subdita ex Pauli oraculo. *Captiuantes intellectum in obsequium fidei.* Ex ea enim præcipuè quando viuit, & viget, & Prælatis, & toti Ecclesiæ honor, & virtus; ex ea iusti filij, Præsules in nobilissimam seruitutem assumpti, totum Ecclesiæ corpus, cuius Christus caput est compaginant. Sic sanctus Pontifex Leo. *Tantum in hac fidei sublimitate complacuit, vt Petrus beatitudinis felicitate donatus, sacram, inuiolatamque petræ acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia, portis inferi, & mortis praualeret, nec in soluendis, aut ligandis quorumcumque causis, aliud ratum esset in cælis, quàm, quod Petri sedisset arbitrio.*

Quia sunt connumeratæ in mystico Christi corpore.

Intellectus fidei tantum debet seruitutem.

Leo Papa serm. de S. Petr.

Adiice, rationi, ac menti liberum hominis arbitrium, tam magni æstimatum à Numine, vt sacrarum literarum monumentis consignatam voluerit reuerentiam, qua cum homine agere decreuerit Deus ipse. Ita Sapiens sacer. *Iustus es Domine, & iustè disponis omnia, & agis cum homine cum magnâ reuerentiâ.* Quod expendens pulcherrimè Saluianus ait. *Ecce habes ingiter disponentem Deum, ingiter gubernantem, quamuis in isto Scripturæ loco; non gubernatio tantùm sacra, sed etiam dignitas declaratur humana. In hoc enim, quod ait, disponis nos, vis diuinæ gubernationis; in hoc autem, quod cum magnâ reuerentiâ; culmen humanæ attenditur dignitatis.* Quem magna cum reuerentia Numen disponit, eidem ambiat Præsul animo demisso, & cum humilitate seruire. Humanæ mentis, & arbitrij arcana soli Deo patentia, suo famulatu dirigat Præsul ad probitatis, & veritatis scopum. In hoc claritatem suam, in hoc illustre nomẽ, & præclaros dignitatis suæ titulos reponat, non in auri

Præsul seruit animabus, quia Deus illas libero arbitrio donauit.

Sap. 12.

Saluian. ad Eccles.

&

& gemmarũ fulgore, non in seruorum multitudine stipante sua latera, non in aulæis, tabulísque egregia artificis manu pictis, quibus ornata Episcopalis domus refulgeat, non in suppellectili pretiosa, qua decorata splendeat: sed depretiatis omnibus, hanc dumtaxat seruitutem æstimet.

Hinc ad aliud descendo sæcularis, & Ecclesiastici Præsulatus discrimen, quòd, scilicet, vnus suæ gubernationis momenta gestet in manu, alter in humero portet. Beneficus vocatur Princeps à Christo Domino. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut ministrator.* Qui ad beneficia pronus, ad munera liberalis, ad omnia humanitatis officia profusus, indigenti dexteram porrigit, pecunias elargitur, dispensat munera, hic à ciuibus emersis à miseriarum cœno, ab effusis è regiis manibus officiis, benefici titulum applaudente populo agnoscit. Princeps Ecclesiasticus, non manibus, sed humero dignitatem suam baiulat, à Christo edoctus nouum imperitandi modum, ferens sibi principatum, vt succollato onere, honorem suum comparet. De Christi imperio sic vaticinatus est præclarè Euangelicus Propheta Isaias. *Factus est Principatus super humerum eius.* Ad hanc Principatus nouitatem obstupescens Tertullianus in hæc tandem elegãtissima verba erupit. *Quis omnium Regum insigne potestatis suæ, humero præfert, & non, aut in capite diadema, aut in manu sceptrum? Sed solus rex nouus, nouorum sæculorum Christus Iesus, nouam gloriam, potestatem, & sublimitatem suam in humero extulit; crucem scilicet, vt secundùm Dauidis prophetiam exinde regnaret.* Cùm Præsul, opprobriis, flagellis, spinis, cruce grauatur, tunc sternit sibi iter ad ingentem honorem, ferens illam opprobriis suis, humero suo effert: &, iuxta Euãgelicum oraculum, erigit candelabrum, accendit lucernam, inflammat lampadem ad domesticorum lumen, ad domus Dei splendorem. Sanctus Augustinus censuit, Christum tũc eleuasse candelabrum, quo fulgentissimum Orbis totius iubar conspiceretur à mortalibus, quando demissè sibi baiulauit crucem. Verba tanti Præsulis, digna, quæ

Aliud discrimen sæcularis, & Ecclesiastici præsulatus.

Ioan. 22.

Vnus in manu principatum gerit, alter in humero.

Isai.

Tertull.

Præsul tunc erigitur in candelabrũ, quando fert crucem.

August. in catena.

Luc. 22.

quæ in auro sculpantur, hæc sunt. *Ipse crucem suam suo gestans humero commendabat. Et lucerna arsura, quæ sub modio ponendo non erat, candelabrum ferebat*, Præsul Crucem sibi non baiulans, candelabrum non erigit, sed non visus non videns delitescet sub modio. Si Christi prædicationi labores non accessissent; si operibus egregiè patratis, non adiuncta foret passio; si vera Crux non firmasset, Lumen Patris, splendor substantiæ, veritatis testis, à Patre missus, vt terrarum Orbem, & mortales omnes irradiaret fulgentissimo splendore suo, fermè absconsus latuisset sub modio.

Christus doctrinam suá operibus cóprobauit.

Cùm baiulauit sibi Crucem, tunc, & probitatis diuinæ, & diuinæ sapientiæ fulgor præclarè resplenduit. Paulus Christi minister, & lampas, iam super candelabrum, tunc coruscat ardentius, cùm verbera, carceres, plagas patientissimè sustinet. Rectè sanctus Bernardus. *Apostolus se probat plus ministrum, quia in laboribus plurimum, in carceribus abundantiùs, in plagis suprà modum, in mortibus frequenter.* D. Thomas indè rationem altè desumit, cur apostoli tot signa, prodigia, & miracula patrârint ingentia; cùm Beatissima, ac Deipara virgo fermè nullum fecisse legatur? *Quia*, ait, *Apostoli baiuli erant verbi Dei.* Vt Dei verbum succollarent Apostoli, ipsa se infudit omnipotentia: vt humeros oneri tanto pares haberent, ipsa accersita miracula. Nullus illâ tempestate concionator, qui non martyr, quæ dixerat verbis, effuso non firmaret sanguine, vt totus pugnans, & repugnans Euangelicæ doctrinæ terrarum Orbis, colla submitteret fidei, contra quam tanto impetu arietabant: adorarent gentes flexo genu, quem ludibrio, & irrisioni olim habuerant. Vapulabat Paulus, quem magnum Prædicatorem sancta Ecclesia celebrat, inualescebant verba à verberibus, & miro modo reddebantur efficaciora. Tunc resonabat vox ad suadendum Dei timorem opportunior, quando à verberibus factus verbero, prædicabat Dei verba. Tunc honorati Præsules, cùm opprobria sustinent, quando digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.

Bernard.

Cur Apostoli tot [signa] patrarút miracula, & non B. Virgo?

D. Thom. 3 p. q. art.

Apostoli baiuli verbi Dei.

Concionatores huius téporis, baiulantur.

Præsules concionaturi gradiebantur olim ad illustrandum Orbem, peragrabant vrbes, vt ferrent Dei verbum. Heu

Heù inuerso modo ordine, baiulantur, non baiulant: ministrari petũt, non ministrare. A diffuso Dei verbo, sibi, non Christo honorem quærunt (parcant sanctissimi Præsules, quibus modò etiam Orbis abundat, qui verbo, & exemplo grauiter crucem suam ferunt, si in prauos tanto impetu inuehor) Crux insigne Præsulis est, vt sibi cæterisque mortalium scalam parèt ad Cælum: vt egregiè de Petro Chrysolog. *Crucem inuadit, vt inde conscenderet cælum*, non vt inde, ad diuitias, & ad vitia descendat. *Chrysolog.*

Tandem, nummatus debet esse Princeps sæcularis. Dicebat Demosthenes. *Principi opus sunt opes, sine his nihil fiet operis.* Quonam pacto sine auro stipendia faciet miles? Quo pacto auctoratus exercitus? adornata castra? custodita aula? sine auro ferrum non lucet, non stringitur in hostes. Pecunia bellis necessaria est. Aiebat ille. *Hastis pugna argenteis, & omnia vinces.* Ex Petronio Arbitro. Imperium mysticum est corpus: ruet irreparabili casu, nisi his muniatur fulcris. *Imperij neruos*, aiebat ille, *pecuniam esse*, sine quibus subsistere non potest, ne dum progredi. Sed quid de Ecclesiastico Præsule, cui nulla maior cura, quàm, vt toto corde, totisque viribus incumbat, vt Ecclesia suâ pace lætetur, & deuotione tranquillâ? Scio Ecclesiasticis interdum nummos, opes, & temporalia impedimenta necessaria ad elemosynas pauperibus, seu dilectis filijs elargiendas, ad comprimendam prauorum audaciam, qui profano impetu in Dei sortem tentant interdum irrumpere, & Ecclesiastica bona sacrilego ausu temerare: ad Ecclesię etiam decorem, nitorem, ornatum, ad Præsulis ipsius splendorem. Sed hunc magis voueo, à probitate vitæ, à virtute, ab exemplo, quam ab opibus comparandum. Ad immunitatem, & decorem Ecclesiæ seruandum, mirum quantùm valet Præsulis exemplum Contestantur hoc, (vt innumeros alios prætermittam) magnum Ecclesiæ sydus sanctus Carolus Borromæus, in Mediolanensi Ecclesia, & in vniuersali, maximus ille Pontifex Pius v. Hi fines dum cessant, diuitiæ procul à Præsule sint.

Tertium discrimen Ecclesiasticæ & sæcularis, politiæ. Demosthenes Princeps sæcularis debet esse nummatus. Petron. Arbit. Num etiam, & Ecclesiasticus. Præsulis decorà probitate vitæ, magis quàm à nummis.

Petrus ad mendicum, qui vt saxea moles ad Hierosolymitani Templi fores, captis pedibus iacebat, stipem ab

CAPVT IV.

Crux tum vera, tum mystica character alter.

SCHEMATA aliquot, & notas, quibus seruus fidelis, & prudens in amplissimam patris familias domum admissus in Orbe terrarum, ceu inflammata lampas ardet, adijcere hic mihi visum est: vt non modò regalibus decoratum infulis, verum virtutum exornatum insignibus, Antistitem suum plebs Christiana demississimo cultu adoret. Christiani Antistitis schemata aliquot.

Inter prima igitur fidelis seruitutis insignia, quibus venustatam Episcopi imaginem, Christianorum luminibus obijcere mihi fuit animus. Crux est, quâ veluti charactere perpetuo insignitus Præsul, præclarissimè splendet. Et quamuis prisco Tertulliani æuo, Christiani omnes, *Religiosi Crucis* dicerentur, tum quia & illa labarum, sub quo auctorati fideles, Christo duci suo, gloriosissima stipendia faciebant. Tum etiam, quia tessera, quâ Christiana militia à Sathanæ apparitoribus, discreta noscebatur. Tamen decursu temporis, nobilis his character præcipuo, ac sacro nomine adeò sanctè Episcopis adiudicatus est, vt quis in Christi familia emineret, quis nobilissimo munere fungeretur in sancta Ecclesia, quis Pastor pedo religiosissimo, Dei gregem pasceret, inde clarissimè colligeretur. *Tertullian. apologet.* Christiani tempore Tertulliani, Religiosi Crucis dicti. Crux præcipous Episcopi character.

Hinc *Cruciarij*, Atchiepiscopi auspicio meliori nominati, cum nec domo egredi, hoc non præeunte vexillo, nec proprijs laribus consistere; signo hoc non muniti illis liceret. Affirmat Baronius Nicephorum Patriarcham ad Sanctissimum Patrem Leonem, Encolpion, (hoc est pensilem, ac pectoralem Crucem, in qua augustissimum Christi Crucis signum includeretur) ceu proprium, & Episcopale insigne misisse: quod adeo populorum consensu illis adscriptum affirmat idem auctor, vt si quis expunctus ab Episcoporum numero ob praua perpetrata facinora foret, nunquam pristinæ, ac sacræ dignitati restitutus censeretur Sine hac nec egredi domo, nec ibi consistere licebar. *Baron Anno Christi. 811.* Encolpion pendens, ex Episcopi pectore, ceu insigne proprium.

Q 3 nisi

nisi Encolpion pendens ex eius collo appareret. De hoc Encolpio in 8 Synodo act. 5. præclara mentio facta reperitur. Meritò, itaque ea ratione, insigne Crucis, Christiano Præsuli assignatum, quâ nedum ipse ad sacros Ordines insinuatus, sed & vestes, & vasa, & oleum, & elementa, & Templa sacra, & sancta fiunt. Et, quod de cæteris mortalibus affirmat Tertullianus, præcipuo titulo ad Pontificem pertinet. *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum; ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.*

Tertull. de corona militie.

In hoc igitur sacro signo potestas clauium plenissima; in hoc supra verum, & supra mysticum Christi corpus, gemina auctoritas significata, vt nil familiarius foret Præsuli, quàm hoc sanctissimo signo, vel se, vel plebem suam, religiosissima sedulitate munire. Cæterùm si claues ad reserandas cæli fores pastoribus datæ, crux attributa illis, vt ex ea ad maiorem, & Cæli, & patriæ futuræ spem, peccatpr erigeretur. A cruce enim non modò apertæ fores, sed ablatæ sunt cælo, adeò factæ Christianis patulæ, vt possent à cruce rectâ absque ianuarum offendiculo cælum petere. Egregiè id totum Auctor Operis Imperfecti. *Postquam Christus tyrannum vicit per crucem, & resurgens ab Angelis portatur in Cælum, videntes Angeli portitores, quia Cæli numquam erant claudendi, sed omnes iusti, & peccatores ascensuri erant Cælum, quia non erat necessaria porta cæli, cælo numquam claudendo, ideo non dicunt, Aperite portas, sed Tollite.* Rectè igitur Pastores pacem euangelizant ore suo, Cruce enim reseratum Cælum, & iam aduenisse Regnum Dei, ostendunt fidelibus. Victo per Crucem tyranno, superuacaneæ sunt fores Cælo, numquam claudendo. Gratulor vobis Pastores, ante vestrum conspectum illud præcedere labarum, in vestris manibus pedum illud esse, quo, non ad caulam terrenam, sed ad aulam cælestem, Christi militiam, & gregem, mira nedum fælicitate, sed facilitate ducatis: ita est, Præsul, auspice cruce, hæc omnia feliciter absoluit. Vtinam rectè ea noscant

Per crucem non solum reseratæ cælorum fores, sed ablatæ.

Auctor operis imperfecti hom. 4. in c. 3. Matthæi.

mortales vti; tunc enim claues cælesti patriæ forent superfluæ. Innocentia clauibus non indiget, semper enim patuit innocuis cælum.

Innocentia clauibus non indiget.

Præterea, Crux, & Præsuli, & sanctæ plebi facem præfert, vt quæ docet ille sanctiora fidei arcana, hæc ediscat. Cruce enim non præeunte, negat Paulus posse se fidei mysteria tradere. Hanc priùs excipere rudia Ethnicorũ ingenia, necesse erat, vt postea sanctiora mysteria penetrarent. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Quid enim docentem Paulũ morari poterat, vt ille diffidat discipulos habere, qui pondus tantæ doctrinæ primitus possent sustinere? Respondet Euthymius. *Tunc non poterat, nisi in capite nostro magisterium, & forma Crucis præiret.* Nisi præuiâ Cruce, mysteria auribus fidelium excepta, mente percipi nequeunt; impares humeri tanto ponderi, nisi firmentur Cruce. Meritò Paulus, nil docere posse se putabat mortales, quos priùs amor, & doctrina crucis, sancta mente non decorâsset: hanc enim & cathedram, & magistrum, & librum, & scholam, & doctrinæ suæ summam fore profitebatur. In ea salutem, vitam, & resurrectionem nostram legebat: sine illa, vtpotè sine arte, ac doctrinæ instrumentis, vacuam scholam suam, doctrinam fore nullam, magisterium inane fatebatur: tanquam sacra quæ tradere decernebat momẽta, non esset, qui perciperet. Cæterùm à Crucis exaltatione agnoscat Episcopus dignitatẽ suam. Eleganter Hieronymus Regis Hebræi verba ad hunc sensum flectit. *Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum*, à Cruce nedum doctrinam, potestatem, dignitatémque haurire debet Pastor, sed decorem, & sanctitatem. Cyrillus Alexandrinus ait. *Decus, & ornamentum Ecclesiæ Crux est.* Momento illo, quo Christi corpus attingere meruit, ex sancti Gregorij Nazianzeni sententiâ, sanctitatem reportauit. *Christus*, ait, *attulit ligno sanctitatem.* Episcopus igitur, qui ab Ecclesiâ, tanquam à sponsa sua, decorem habet, habet & sanctitatem à Cruce.

Euthim. in hunc locum.

Crux cathedra, & magister, quibus diuina ediscuntur arcana.

Episcopus dignitatem suam agnoscat à Cruce, etiam & decorem, & sãctitatem.

Hieron. Cyrill. Alex. Gregor. Nazian.

Ab hac enim haurit Præsul, vt omne ad illum aliquo pacto pertinens, sacrum, sanctúmque foret. Episcopi vestes, quia sanctissimo hoc signo consignatæ, sacræ sunt. Venantius

Omne, quod ad Episcopũ pertinet, Cruce sanctum est.

Venant. Fort. tius Fortunatus appellat Episcopi pallium, *textili cruce insigne*: ab hac, vestimentis affixa sanctitas, quæ exprimebatur in oleo, quo & vestes, & barba Aaronis aspergebatur, Genebrardo teste, hæc solemnis olei aspersio Cruce designabatur. Cruce hac calceatus Summus Pontifex annunciat Orbi Euangelicam pacem. Osculantes Summi Præsulis pedes crucis signo munitos, in illis primatum Ecclesiæ adorant. Bonum factum, vt Episcopus, cuius veneranda manus erat, & vestibus, & vasis, & elementis, & Templis, & mortalibus, vrbi, & Orbi peccatorum indulgentiam, ac sanctitatem allatura, perpetuò Crucem veluti totius sanctitatis organum, secum characterizatam ferret.

Vestibus ipsis affixa sanctitas. *Genebrard in psal. 22.*

Æterno, itaque, diuinæ mentis consilio sancitum erat, vt eodē Crucis signo consignaretur Episcopus, quo Christus triumphali veluti infulâ ad celsissimos honores ascendit. Nō enim stabulo Bethlehemitico, prædicationi, cœnaculo, miraculis, Orbi in Christi obitu tremulo, soli in eius luctu obscurato, montibus præ pietate, & Templi velo discissis. Oliueto à Christi ascendentis vestigiis signato, sed Caluariæ ligno, sanctissimæ Cruci tribuenda super omne nomen cælestium, terrestrium, infernorum eius exaltatio. Ita Paulus. *Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod*, ex illatiuâ particulâ subdit. *Exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Gregorius Nyssenus arcanam quandam, & Crucis, & exaltationis cognationem detexit, quam eleganter his expressit verbis. *Innumerabiles erant moriendi rationes, quibus mortis pro nobis ineundæ consilium expleri poterat; hanc tamen ex omnibus vnam is, qui mortis optionem habebat sibi delegit, atque præscripsit. Oportet enim exaltari filium hominis. Non dixit, hæc, & hæc filius hominis patietur, sed necessarium, arcanâ quadam ratione debitum esse significat, dum, oportet, inquit. Vim enim illius verbi considera; & inuenies id in eo contineri, vt significet fieri aliter non oportere, nisi per crucem mors oppetatur.* O arcanam diuini consilij rationem. Sapientiæ ipsi diuinæ haud occurrebat nobilior

Christo secutus honor à Cruce.

Philipp. 4.

Greg. Nyssen. Arcana Crucis significatione, celebretur honor Christo debitus.

bilior moriendi modus, quàm in Cruce. In ipsa, profunditatem, longitudinem, latitudinem, sublimitatem charitatis diuinæ, & supereminentis scientiæ, expressa, Paulus agnoscit. Hac mensura mensurari nobilius poterat Numinis ipsa magnitudo, quàm arundine ab Angelo Hierosolymitanum Templum. Hanc etiam voluit Deus Christiani Præsulis characterem, vt ipsa esset, quâ Episcopi dignitatem dimetiremur, accommodatissima mensura. Paulus rebatur piaculum, si alibi, vel posset, vel deberet ipse gloriari, quàm in Cruce. Petrus illam tanto cultu veneratus est, vt vbi eam sustinere, maximi haberet pensi, inuerso ordine pati eam voluit, vt tantæ sublimitatis admirator, profunditatem exosculari saltem posset.

In Cruce profunditas scientiæ, & charitatis Christi.

Cur Paulus renuebat nisi in Cruce Christi gloriam.

Petrus cur inuerso ordine crucifixus.

Ferat itaque perpetuò secum Pontifex insigne tam gloriosum, vt illo cohonestatus, & Christi scientiam, & Christi patientiam, & illius immensam charitatem, totis complectatur viribus, totâ edişcat mente, ipsâque munitus, munere suo optimè defungi valeat. Sed de hoc ornatu Præsulis à sanctissimâ Cruce hausto, sat mihi dictum est. Ad munera alia, quæ præstat sanctissima Crux Prælato, calamo meo excurram.

Ad tutamentum, nimirum, quo aduersùs Tartareas legiones, perpetuò in Christianam plebem arietantes, firma consistit. Vt enim à vastatore Angelo, crucis signo viso illæsus Hebræorum populus, ita à Sathanæ insidiis tuta erit plebs Christiana. Eleganter de vtroque id totum expressit Arnoldus Carnotensis. De hebræis loquens ait. *Primogenita quoque Ægyptiorum percutiens, viso hoc signo, à liminibus sanguine illitis, quasi increpatus se cohibet: enecatisque Ægyptiis, illæsi, & incolumes manent, quorum latera, frontémque cruoris huius conspersio rubricauerat.* De populo Christiano subdit. *Quamuis irruant dæmones ad quoscumque carnales, tamen reuerentur fundamentum, & dissparent ad viuificum Crucis signum, nec temerè accedunt ad consecratam balsamo domum* Fugati euolant Sathanæ apparitores, ad viuificum Crucis signum. Mors, & vita in Crucis agone pugnauère mirando duello. Tunc factum, vt Dux vitæ regnaret mortuus. Vita quando moriens, de morte tunc

Plebs Christiana melius tuta à Cruce, quàm fuit populus hebræorum. *Arnold. Carnot. 17. Exod.*

triumphat: adeò, vt solummodò expressa in mente fidelium Crucis imago, totum vitiorum agmen cum duce suo valeat fundere. Egregiè Origenes. *Est tanta vis Crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, vel in mente fidelium retineatur, ita ipsa mors Christi, intentis oculis aspiciatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia, sed continuò ad eius præsentiam, totus ille peccati, & carnis fugetur exercitus.*

Crucis vis magna ad pugnandum, in dæmone, & peccatum. *Orig. in epist. ad Romanos.*

Ducem Christianum sanctúmque Antistitem, præcedat augustum hoc, & reuerendum labarum, vt ostendatur illud, & Episcopaliū leuamen laborum, & totius esse Christianæ plebis fulcimentum. Huc etiam sanctus Greg. Nazianzen. alludens ait. *Quia etiam aduersus magnum illud vexillum audacia effertur, quod cum Cruce magnificè præcedit, in altúmque eleuatum, exercitum ducit, ærumnarum soluendarum vim habens: hinc apud latinos, labari nomen trahens.* Signum Christi sanguine rubricatum, mirum quantùm valet in dæmones, cuius, vel vmbra ab omni Martis, mortísque discrimine, fidelem seruat incolumem. Redeat Origenes. *Aliud nullum fuit signum, nisi coccineum, quod sanguinis formam gerebat: sciebat enim, quod nulli esset salus, nisi in sanguine Christi.* Vbinam fontes diuini cruoris, vbi expansa Christi viscera, vbi effusus, & diffusus in totum terrarum Orbem Christi sanguis? nisi in Cruce, & à Cruce.

Crux cur dicatur labarũ. *Greg. Naziā. orat. 8. in Iulian. apost.*

Origen. hic.

Si de Episcopo, ceu de vineæ Christi custode (ne à parabola discedamus) agimus, Crux illi necessaria ad vineæ suæ pensum Ethnici, vineta sua sepimento muniebant, vt à grassantium latronum temeritate illæsa custodirent Cæterùm, vt discernerent ea ab aliorum ditione, ne confusis confiniis quid ad vnum, quid ad alterum pertineret, ignorarent, terminum figebant, qui stips, & Crux erat, quam tanto cultu reuerebantur, vt illam quasi tutelare numen adorarent, sanctaque religione colerent.

Episcopo necessaria Crux pro vinea sua.

Nobiliorem stipitem colunt, sacræ, & Ecclesiasticæ vineæ cultores. Crucem in illa figant ad Ecclesiæ nedum tutamen, sed ad discernenda confinia. Crux enim, teste Lipsio, ex stipite constabat, cui addita pars transuersa, quæ patibulum dicebatur, aptior ad noxios plectendos reddebatur.

Lipsius l. 3. de Cruce cap. 3.

batur. Ex stipite itaque, & patibulo compositam Crucem figat, vt vineæ suæ ponat terminum Pontifex, sic eam à truculenta luporum rabie, & ab aggressore maligno seruabit.

Terminus vineæ Christianæ, Crux erit.

Præterea, inolescit vinea vinitoris sentiens diligentem manum. Hoc Crucis signo, in nouam, nobiliorémque formam inserta euadet, vberior gliscet, & fructuosior. Egregiè S. Ambrosius. *Rectè vinea Christi populus nominatur, vel quòd Crucis in fronte prætexat indicium, vel quòd fructus eius postremâ anni legatur ætate. Vt vinea dum ligatur erigitur, & recisa non minuitur, sed augetur, ita sancta plebs, dum ligatur, exuitur, dum humiliatur, attollitur, dum reciditur, coronatur, quia vt tener surculus veteri excisus ab arbore, in alterius fœtu radicis inseritur. Ita populus hic sanctus, surculi veteris cicatricibus enodatis, in nouo illo Crucis signo, per quem gremio noui parentis fotus inolescit.* Habet itaque prudens vinitor ab hoc sanctissimo signo, quomodo vineta sua à Syluestri labruscâ defæcata, in nouos, dulcésque fructus inolescant: habet etiam ex Arnoldi sententia, ex hoc termino contra latentia, & patentia probata munimenta.

Ambros. lib. 9 in cap. 20. Luc.

A Cruce vinea Christiana feracior, & nobilior.

Arnold. vbi supra.

Tandem Præsul non minùs veram, quàm mysticam crucem perpetuò secum gerat. Sciat se onus, & crucem cum Ecclesiastica dignitate suscepisse. Bernardus ait. *Huius rei Sacramentum est, quòd in dedicatione Ecclesiarum depictas in pariete Cruces, oleo, sanctus Pontifex linit.* Tot cruces cum honore suscipit Præsul, quot in Ecclesiæ suæ pariete pictas inspicit. Noscat se ceu Crucem in humero portare Christiani gregis ouiculam. In calice antiquitus ficta pendens ex pastoris humero ouis exprimebatur, vt admoneretur Sacerdos se animarum onus succollandum, cum Sacerdotio accepisse. Præsul vbi onùs recusat, & Crucem, reus erit priùs quàm iudex; tot enim animarum reus, teste Damiano, quot per eius negligentiam, seu prauum exemplum depereunt. Quem non torquebit hoc animarum pēsum? hoc tam graue onus? hæc tam exacta commissæ sibi sanctæ plebis cura? de singulis decretoriâ die rationem reddciturum? Omnium virtutum genere ornatissimus Præ-

Crux nedum vera, sed mystica ferenda Præsuli.

S. Bernard. de clam. super Ecce nos reliquimus omnia.

Baronius.

Damianus l. 1. epistol. 9.

Animarum cura, magnū onus, Angelicis humeris tremēdū.

sul Ioan. Antonius Agrisanus, cùm ex nostra Religione ad Archiepiscopatum Surrentinum assumptus esset, à Cruce se transisse ad Crucem dixit. Id eleganti, & gemina allusione affirmauit; nimirum à Cruce, quæ religionis meæ stemma est, quo ab aliis, veluti gentilitia tessera discernitur, ad Archiepiscopale insigne, quo decorata tanta dignitas fulget. Tum etiam ad labores, & ad Crucem allusit, quæ sustinere cogitur vir religiosus defungés munere suo, ad ingentia illa, quæ pati debet Præsul in animarum cura, quæ crux illius est, qua dimetiri accommodatius ætatem suam poterit, quàm vel ipsis temporum momentis, cum illorum prætereat nullum ab ipsa cruce vacuum. Crucem quo pacto ferre, ac baiulare debeat, quia suprà prolixè egi, hîc de industria prætereundum putaui.

Negotiorum multitudo magna in præsule bono.

Sed cursim, negotiorum multitudo ponderanda, quâ nedum Episcopus premitur, sed fermè opprimitur, iure hanc crucem baiulans exclamare poterit. *Cur posuisti pondus populi super me?* Tam ingens negotiorum moles, tam turbata rerum turba, nullum Præsuli permittit otium, quo otiari aliquantulum ad sui leuamen possit. Fulgentissimum illud Præsulum Sydus S. Carolus Borromæus ad cuiusdam Pastoris petitionem, quâ postulabat, quonam pacto tempus ipsum fallere posset, ne ab ipso falleretur, respondit, sibi tempus super fuisse numquam, defuisse semper. Audi, quid ad hanc rem dicat sanctus Augustinus.

B. Carolus Monstrum putat quod Episcopus posset otiari.

August. epist. 135.

August. nec gutta temporis sine negotiorum turba.

Clepsydra mensura têporis ex aqua

Ob diuersas curas, quas nostra seruitutis necessitas habet, vix mihi paucissimæ guttæ temporis stillantur, quas aliis rebus si impendero, contra officium meum mihi facere videor. Ad Clepsydras alluditur, quibus antiqui, aquæ præterfluentis guttulis, tempus metiebantur. Guttula temporis nulla Augustino supererat à tam durâ seruitute strenuo, ac indefesso in Christi familiâ seruo, quem vt prudentem, ac fidelem, super plebem suam constituit. Cogebatur ille, nedum aures suas subditorum necessitatibus, sed cupiditatibus interdum attemperare. Vnde sanctissimus Præsul ab illarum sollicitudinibus se angariatum conqueritur. *Inter aceruos occupationũ, quibus alienæ cupiditates, vel necessitates occupatum habẽt.* Disertè de his occupationibus S. Bernardus

Bernard.

nardus in aureis illis, quos ad Eugenium scribit de consideratione libellulis. Occupationem, & turbationem cognatas, affines, sorores, ac indiuiduas comites appellat. Apta quoque laci similitudine id explicauit Seneca. *Ad illum*, nimirum ad superiorem, *quemadmodum ad lacum concurritur, quem qui exhauriunt, turbant.* Turbato cælo, quæ illi serenitas, amœnitas, lumen? pluuia; & nubium nigrore oppleta omnia. In Præsule magnus labor, crux magna: ad illam, & mysticam, & veram se paret tanquam adductam sibi à Christo pastorum omnium principe tesseram hospitalem; quam qui ad extremam vsque diem secum feret, & morte sua instante ostendet Petro, audiet à supremo Præsule. *Fidelis seruus, & prudens, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.*

Seneca epist. 36.

Turba negotiorum turbat.

Tessera hospitalis crux, & probitatis examen.

Capvt V.

Prudentia Præsulis character tertius.

De Cruce, quâ ornatus Præsul, quâ custodita Ecclesia, quâ examinata Episcopi probitas, hucusque dissertum est. Modò liceat ad illum characterem excurrere, quo mens Christiani pastoris illustrata, & Deo famulari, & Christi gregem regere, & munus suum prudentissimè implere valeat. D. Paulus vt prudens sit, iuxta, & doctus Episcopus iubet. Nos vtrumque vnâ iunximus, quia seruitutem sanctissimæ familiæ, doctrinâ, ac prudentiâ refertam, & fermè ex vtraque compositam considerare animus est.

Episcopus debet esse prudens, & doctus.

Etenim in moderandis mortalium animis difficultas reperitur. Cæterùm qui ad regendam Christi familiam asciscitur, ne dum hominum, atque Angelorum prudentia pollere, sed penè diuinam ipsam attingere necesse sit: vt in seruo iam Patrisfamilias, ac domini sui insinuata prudentia videatur. Sanctissimus doctor Hieronymus (si ipse illius libelluli auctor) vbi in cæteris sacris ordinibus inditam

Quanta difficultas in moderandis animis.

Hieron. in opusculo de Ordinibus sacris.

 diuinæ

diuinæ virtutis particulã asseuerat, in hoc præsulatûs munere, totã ferè effusam diuinitatem corporaliter, disertissimis verbi affirmauit. *De hoc officio ampliùs disputare, nil possũ, quoniã quod in Clericis cõsecratum est; perdidicistis, Episcopum solum habere, manifestum est, in illis esse partem, & membra virtutum; in Episcopo plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter.* Vbi elucet virtutis radius; ibi Dei, (more humano loquor) pars aliqua, membrum aliquod. Vbi virtutum cumulus, ibi fermè picturatum ex variis virtutibus agnoscimus Numen, quod alio penicillo, aliisque coloribus, quàm lucis, ac virtutum exprimi non poterat. Virtus ipsa cùm subsistit, Numen est. Corpus ex virtutum membris compactum, & quasi compaginatum, elucet diuinum. Habitat itaque in Præsule, *Diuinitatis plenitudo corporaliter.* Cùm tam sanctè se gerit, in cunctis corporis sui sensibus, in omnibus animi sui operationibus, vt Numen queat adorari. Nil in ore resonet, non pudicum, non sanctum; Nil in auribus, quod ad sui progressum, ad animarum salutem, ad Dei gloriam non faciat. Nil tactum manibus, quod non sacrum, sanctúmque reddatur. Nil in gustu, vel in naribus, quod non sapiat, vel non spiret aliquid diuinum. Tam sacrum, sanctúmque decet esse Præsulis corpus, vt per quamlibet se aperientem rimulam, diuinitatis elucescat radius, adeò clarè prodens sese, vt ibi ceu in sancta æde, demisso genu coli possit à mortalibus Numen, quod sicut horret blasphemari in prauis, ita in sanctis amat adorari.

Tota diuinitas corporaliter effusa in Episcopo.

Quomodo dicatur in Præsule, quod habitet diuinitas corporaliter.

Verùm mentem, quæ animi totius fastigium, & vertex est; ea esse prudentiã & sapientiã ornatam cõuenit, vt pensi nõ habeat Angelicã perspicacitate valere, hæc ex Hieron. sententiã Sacerdoti inferiori relicta est *Sacerdos enim Domini, qui ore suo profert iustitiam, & exquirentibus annunciat veritatem, Angelus Domini est.* Sed ad ipsam elatus diuinam, opere suo impellat mortales, vt pleno ore fateantur, *habitare in illo plenitudinem Diuinitatis corporaliter.*

Mens Episcopi qua prudentia ornata esse debeat.

Hieron. ibid.

Neoterici ad examen reuocant, pulcherrimam mellitissimi Doctoris sententiam, quâ ambitionem Sathanæ, Isaiæ illustrans oraculum. *Ascendam super montem excelsum,*

sum, & exaltabo in lateribus Aquilonis, his verbis exprobrat. *Qui Altissimi quandam proinde similitudinem obtineret, si quemadmodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem Angelicam creaturam: ita ipse altiùs sederet, regerétque genus humanum.* Quæ tanta, aiunt in genere humano dignitas est, vt oporteat, illius moderatorem esse Deum? Nobilius itaque erit in hominem, quàm in Angelum imperium? Altius itaque sedebit ille, qui humanæ, quàm qui Angelicæ naturæ præsidet? Tanta-ne sublimitas in vase figuli? Pulueri tam excelsum fastigium? Quo pacto, nubecula superauit Olympum? Fumus tenuissimus, & vapor ad modicum parens iunctus cælo? Respondent aliqui, sine præuiâ experientiâ imperium affectare, satanicum esse. Prudentia nulla est, vbi experientia non accedit, hæc illius parens, & magistra, quam curat, parit, edocet. Princeps, qui scientiam, experientiæ iunxit, optimus est Reipublicæ imperator. Rex Hebræus sic Regem cælorum affatur. *Exurge Domine in præcepto, quod mandâsti, & Synagoga populorum circundabit te.* Tunc Domine assecl æ tui, clientes, & multitudo stipans tua latera, tibi obsequentes erunt: cum quod imperâsti verbis, comples opere, doces exemplo. Hoc magis quàm illa vrget ad benè, sanctéque viuendum. De Christo Deo homine affirmat sacer auctor. *Didicit ex his, quæ passus est.* multiplici sapientiæ generi, quæ vel infusa, vel acquisita in Christo relucebat; momento, quo mortalem assumpsit carnem, experimentalis accessit, cursu temporis, defluentibus annis gliscens. Lucas Euangelista de Christo puero duodenni ait: *Ætate, & sapientiâ proficiebat coram Deo, & hominibus.*

Bernard. serm. 17. in Cantic.

Luciferi superbia damnata.

Quo pacto humanum regimen Angelico nobilius.

Experientia, magistra sapientiæ.

David ps. 7.

Hebr. 11.

Luc.

Quo igitur pacto Angelus humani animi perturbationes moderari poterit, qui illis nunquam fuit obnoxius? Quomodò carnis impetus compescere, qui nunquam pondera, & machinamenta carnis sustinuit? Benè est. Superbus erit Angelus, quamuis cæteris spiritibus nobilitate, & imperio præcellens, non expertus discrimina carnis, carni dominari præsumens. Nemo, qui non doctor, & prudens, Reipublicæ blauum teneat.

Petro, non Angelo concreduntur claues cæli: Fores

domus suæ, imprudenti ministro Paterfamilias, nunquam permittet: ita cæleste oraculum. *Fidelis seruus, & prudens quem constituit Dominus super familiam suam.* Prudentia nulla nisi decurrentibus annis, & ab ipsis variis rerum experimentis: Animus ab ipsa grandiori ætate grandescit, factus ingentis molis capax. Sanctissime cautum est neminem ad summam dignitatem euchendum, ætatis suæ sex saltem lustris non impletis. Quæ enim prudentia imberbi, cum illa recta ratio sit agibilium, ex ipsismet actionibus emanans. Ironicè de Nerone Persius.

Persius.

Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox
——— ante pilos.

Prudentia nō ante canos.

Cani illam accersunt: auget rerum varius euentus, experimenta firmant. Venus iuuenibus accedit, Pallas senibus: Sunamitis hæc ex Hieronymi sententiâ senili gaudet amplexu. *Quæ est igitur ista Sunamitis vxor & virgo, tam feruens, vt in vnius tantùm grandescens calescat amplexibus.* Subdit: *Posside sapientiam, posside intelligentiam: in senibus, crescente solâ sapientiâ, decrescunt cætera.*

Hieron. ad Nepot.

Non itaque Recentiorum placitum, acutè mentem mellitissimi Doctoris illustrantium, displicet. Adiice tamen, & fortassis magis ad genuinam sancti Bernardi mentem, quòd difficilior sit Reipublicæ humanæ, quàm Angelicæ moderatio. Secularis, ac Ecclesiastici Præsulatus, assignatum pluries discrimen hic non repeto. Vnus corpori imperitat: seruit alter animæ, vt illam ad æternam, felicémque patriam ducat; Numen ipsum in præmium, & in mercedem receptura. Animabus dominari, ad Deum solùmodò pertinet, egregiè B. Laurent Iustin. *Nō enim natura, sed superbia, & infirmitas fecit hominem hominibus dominari: Dominamini,* inquit, *piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis vniuersæ terræ. Nunquam quippè reperies, quòd Deus mandauerit, quòd hominibus dominarentur homines.* A peccato primordia sua desumpsit dominatio: Apage ab Ecclesia rem ipsismet suis fœdatam principiis; seruire Præsuli proprium est, quia Dei minister est: Angelus cùm homini imperitare audet, vti reus diuinæ vsurpatæ iurisdictionis damnatur.

Cur difficilius sit moderari homines, quàm Angelos.

Dominium à superbia, & fragilitate.

Laurent. Iustin. opusc. de Regimine Prælatorum.

Seruire Præsuli propriū, quia Dei est minister.

Diuus Thomas quærens, num Angelo modo aliquo co- æquari

D.Th.p.p.q.… art.…

æquari valeat; negat naturæ expensis viribus, affirmat gratiæ. Vna erit Angelorum, hominúmque Respublica in cælo. Vnum regimen: vna domus, vnus Princeps, vna patria. Quis efficiet, vt humanus puluis è sarcophago surgens inter Angelorum choros nedum numerari, sed suprema subsellia obtinere valeat? Deus ipse sese infudit mortalibus, vt diuinam nacti prudentiam scirent ad fastigium tam nobile dirigere hominem. Rectè omninò Bernardus affirmat Præsulem hominum, altiùs quàm Angelorum præsidere. Egregiè itaque Hieronymus ait de Episcopo: *In quo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter.* In eandem sententiam etiam S. Bernardus iuit. Sic disertissimè in Rhemensi Synodo ad Episcopos loquens: *Prætulit vos Regibus, & Imperatoribus, prætulit ordinem vestrum omnibus ordinibus; imò, vt altiùs loquar, prætulit vos Angelis, & Archangelis, thronis, & dominationibus.*

Quo pacto homo coæquari potest Angelo. Quâ ratione Præsul Angelo nobilior.

Bernard. ser ad pastores in Synodo Rhemen.

Qui igitur virtute suâ, viribúsque Christi Ecclesiam moderari præsumit, Sathan erit, ab illius ambitione non dissimilis. S. Abbas Claræuallensis monet Episcopum, qui arbitratu suo præesse Christi ouibus audet, vt audiat Christum sic illum increpantem *Vade post me Sathanas, quia non sapis ea, quæ Dei sunt. Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum præire contendo, eo tunc verè non sapio quæ Dei sunt. De ipso nãque dictum est, Erat subditus illis.* Vestigiis igitur insistat diuinis, incedat post Christum, qui vult Ecclesiæ Dei præesse, Euangelium tanquam speculum habeat in manu, ipsum Christum habeat in corde. Id idem Bernardus. *Speculum vestrum, sanctum Euangelium, in quo magis auditu, quàm visu potueritis attendere quid deceat, quid non deceat; quid impediat, quid expediat; quid ex debito vestri officij vobis incumbat.* Taceat tibi Præsul Tacitus, sileant politici. Basil Seleuc. appellat *Christianam disciplinam doctrinam nouam, & de cælo allatam politiam.* In Euangelio lege quid impediat, quid expediat, quid agere, quid non agere debeas. Ex hoc fonte hauri Christianam prudentiam, ex hoc mari expiscare diuinam. Quo pacto sol, sal, vrbs munita, accensa lampas non abdita sub modio, sed in edito splẽdens loco, quomodo sibi à Numine talenta

S. Bernard. hom. 1. sup. missus est. Qui affectat Præsulatum, imitatur Sathanam.

Bernard ser. ad Præsules in Synodo Rhem. Speculum Prælati, Euãgelium

Basil. Seleuc. orat. 30. In Euangelio vera Præsulis politia.

tradita impendendo multiplices, & sepeliendo non perdas, ab Euangelio pete, ibi inspice, ibi lege fidelis seruitutis ingentia præmia, audi Christum ibi te allequentem: *Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui.*

Bernard. l. 1. de consid. *Bernard. ser. 3. de Circũcis.* Prudentia medulla virtutum.

Bernardus, sacram prudentiam appellat *medullam virtutum*: ad innumera commoda descendens, quæ fert secum hæc virtus, ait; *Ne incurrat, qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutum est, & consummatio perfectionis; hæc nimirum docet, Ne quid nimis.* Nil mali reperies vbi illam inuenies. Cæteræ virtutes colligatæ accurrunt ad illius obsequium. Nil tenebrosum, vbi cuncta illustrantur splendore suo. Chrysostomus Prudentiam Christianam appellat *Lucernam animæ, Reginam cogitationum, Magistram eorum, quæ bona, quæ pulchra, quæ honesta sunt.* Quid ab inflammatâ hâc lucernâ non micat? quæ ab hac sanctissima Regina moderatio non optima? Quis addiscens non redibit doctior ab hac magistrâ, quæ omnes sapientissimè, clarissimè docet, moderatur, illuminat. Hanc virtutem, *vt clarissimam, ut multa luce fulgentem,* Clemens Alexandrinus laudat. In tam ingenti splendore nullus vtique horror, sed ordo magnus adest. Hactenus de laudatissimæ huius virtutis forma: nunc pauca subdam de eius doctrina, quam tradit.

Chrysost. in psal. 13. Prudentia lucerna animæ, Regina cogitationũ, & magistra.

Clemens Alex. exhort. ad gentes.

Prudentia quæ Prælatũ doceat.

Primùm, quòd fermè in vestibulo docet Præsulem hæc magistra, est, vt experiatur, an tanto subeundo oneri humeros ipse suos pares habeat, an impares. Hæc præcipua illi erit cogitatio: tum dignitatem suam humilitate firmet. Rectè S. Bernardus ad Eugenium. *A te tua consideratio inchoet, ne frustrà extendaris ad alia, te neglecto: si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento.* Ingens hæc Præsulatus moles concidet sine fundamento humilitatis, Gregorius clamat. *Qui cogitat magnam molem extruere celsitudinis, de fundamento prius cogitet humilitatis.* Scio in sæculari principe notionem sui difficillimam fore, pulchrè ait ille:

Bernard. Prima cogitatio Prælati ab humilitate.

Gregor.

Pers. satyr.

Vt nemo in se tentat descendere nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Præsuli

Præsuli Ecclesiastico cognitio hæc necessaria est, ad seruitutem, non ad dominationem vocato. Sed quia prolixè nos de hac materia suprà egimus, festino ad alia.

Secundum, quod tradit prudentia, vt Prælatus probos à prauis sciat discernere, illos laudet, hos puniat. Paulus affirmat, iustitiam omnem esse ad laudem bonorum, & malefactorum vindictam. Mortales difficulter virtutem sequuntur gratuitò. Imprudentes Præsules in sua Ecclesia omnia miscent, ima summis confundunt, probos, & improbos nullo facto discrimine. Non separant tenebras à lumine. In hos inuehitur indignabundus Rex Hebræus. *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Quæ confusio his in tenebris? Quis virtutum saltem color enitescere potest in tanto nigrore? corruit tellus à fundamentis, redigitur totum ad immane, & vetus illud Chaos.

Prælatus seiungat probos à prauis.

Psalm.81.

Sub Prælato imprudenti omnia confusa fermè noui Chaos.

Sic erat instabilis tellus: in nebulis vnda,
Lucis egens aër, nulli sua forma manebat,
Obstabatque aliis aliud, quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis.
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Ouid. metam. l. 1.

Adiice, sub imprudente Præsule obscuratâ luce inextinguibilem excitari flammam, quâ Respublica ardeat tota. Prodigium, quod in Rubo inspexit Moyses, in malè moderato Clero inspicit Laurentius Iustinianus. Rubum fuisse afflictæ Reipublicæ symbolum à Principe prauo, Deus ipse contestatur, assignans visionis rationem. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eorum audiui propter duritiam eorum, qui præsunt operibus.* Quis hic ignis sine luce, quo clerus, & plebs Christiana, Præsulis praui imprudentiâ ardet? Orcino omninò persimilis est. Perpetuam caue, & cæcam hanc conflagrationem. Non hanc, sed charitatis flammam amat in domo suâ paterfamilias, qui ait. *Ignem veni mittere in terram, quid volo, nisi vt accendatur, & ardeat?*

Ignis, & flamma in Clero, à Præsule imprudente.

B. Laurent. Iustin. *De institut. & reg. Prælato* Exod. 3.

Docet etiam prudentia, quo pacto detegantur crimina, quomodo illa à calumniis discreta, Præsul sancto impetu percitus, non conniuendo sceleribus, sed ipsa omninò

Impatientia aliquando laudabilis in Episcopo.

conuellendo puniat. Laudabilis interdum in facinorosos homines ipsa impatientia est; audiamus sanctum Bernardum melle suo commendantem impatientiam; flectens verba Apostoli *Libenter suffertis insipientes cùm sitis ipsi sapientes*, ad pulcherrimum hunc sensum: *Magna*, inquit, *virtus est patientia: sed non hanc tibi ad ista optauerim; Interdum impatientem esse, probabilius. Tu nè approbas illorum patientiam, quibus Paulus dicebat: Libenter suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes? Ni fallor, ironia est, & non laus, sed sugillatio quorundam mansuetudinis, qui datis manibus pseudoapostolis, à quibus & seducti erant ad quaque eorum peregrina, & praua dogmata trahi se patientissimè ferrent. Vnde & subdens, Sustinetis enim, inquit, si quis vos in seruitutem redigit. Non bona patientia, cum possis esse liber, seruum te permittere fieri.* Non patiatur Præsul peccatum, sustineat tamen peccatorem, illud puniat, hunc saluet, non punitur scelus, sed perennatur in morte praui, non enim extinguitur cum letho flagitium; sed de facinoroso triumphat in flammis, per pœnitentiam aboletur peccatum, à contritione conteritur, & extinguitur. Improbus cum fit probus, perit eius improbitas. Meritò in scelera impatiens sit Prælatus. Vnde Regius Vates ait: *Irascimini, & nolite peccare.* Vbi Hesychius: *Irascimini in absurda, & turpia facta: iram exercete. Nam ira hæc, peccati inhibitio est.* Ipsa impatientia, ipsamet ira tunc induit probitatis nomen, cùm magis in scelera, quàm in sceleratos acuitur. Ille optimus Princeps, qui nouit noxis mortem afferre, saluare noxios; huc allusit prophanus auctor, de optimo Principe loquens.

Bernard. lib. 2. de consid. c. 3. Et ira.

Psalm. 4.

Hesych.

Persius.

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

Antiquitus capite damnatis præfigebatur Theta, & cur.

Prisco æuo statim ac quis capitis damnatus, in tabula inscriptum rei nomen sistebatur iudici, qui sua manu damnato nomini hanc litterulam præfigebat, vt significaret destinatum iam ad extrema supplicia, hæc enim erat prima significatæ mortis litera, quæ apud Græcos θάνατος dicitur. Quò etiam alter allusit.

Martialis.

Nosti mortiferum quæstoris, castrice signum.
Est operi pretium discere Theta nouum.

Theta præfigere vitio, est munus prudentis Præsulis.

Hanc præfigendam vitio, optimi Principis partem esse dico:

dico: Munus enim est Præsulis eâ pollere virtute, vt sciat vitia magis, quàm homines plectere, illis extinctis, Rempublicam seruare incolumem. Et hæc de Præsulis prudentiâ, satis, quæ experientiâ, quàm instructione discitur magis.

CAPVT VI.

Isikia, Id est, mens Præsulis à temporalibus bonis abdicata, & in Deum conuersa, character quartus.

EPISCOPI iconem variis hucusque characteribus illustratam lectori meo inspiciendam obieci: modò vt accedat non ab auro, vel ab argento pretium, sed ab *Isikia* maior mihi cura est. Petrus præsulum Princeps vt ostenderet in totum se abdicâsse diuitias ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te.* Voluntatem suam non concisam in frustula, non diuisione corruptam, non diminutam, sed perfectam, integram, numeris omnibus absolutam se Deo sacrasse, affatim declarauit Petrus etiam in paruo censu. Rectè hic Euthymius. *Ecce nos reliquimus omnia. Quæ? arundinem, rete, nauim, artem piscatoriam vtique, quæ habebam. Voluntas mea integra fuit.* Res nostras, nostra bona pensi non habet Deus, solummodo integram voluntatem æstimat maximi. Hæc meruit Petro piscium piscatori, vt piscator foret hominum, vt iudex sederet in cathedrâ, vt claues Regni cælorum haberet; vt denique totius Ecclesiæ destinaretur caput. Integer itaque animus à diuitiarum cupidine liber laudatur in Præsule; ditescendi desiderium, auri fames infamis, rerum temporalium inordinatus affectus in apostolico viro omninò damnatur. Parcite sancti Præsules, quibus animus est à vitiis, & à diuitiis immunis, quibus voluntas integra, mens mundo ipso superior, quibus bona temporalia impedimenta non sunt quin Christum sequamini, quia alimenta sunt pauperum: non plorat aurum vestrum inclusum arcis, quia exultans in pauperum manibus spatiatur: in armariis vestris gemmæ non gemunt, quia vel ridene

Isikia hanc vim habet: Ex interpretatione Eliæ Cretensis, Gregor. Nazianz. Scholiast. orat. 1.

Quo pacto Petrus integram voluntatem Deo dedit.

Euthym.

Præsul liber esse debet à ditescendi cupidine.

Quo pacto expendantur diuitiæ à bono Præsule.

rident in sacri altaris ornatu, vel gaudent, quod pretio suo viduarum, & pupillarum abstergunt lacrymas. Erugo, & tinea thesauros vestros nec corrumpit, nec demolitur, quia continenter in sponsæ vestræ venientis è cælo mũdum expenduntur: vestræ manus tornatiles, & plenæ hyacintis sunt, è quibus diuitiæ quotidie effluunt ad miserorum iuuamina. Parcite, inquam, sancti Præsules, quibus scio abundare Christianum Orbem, si in pestiferam hanc luem (non in Præsules, quorum hac tabe infectum spero neminem hâc præcipuè tempestate, quâ ad clauum totius Ecclesiæ sedet ipsa Innocentia) tanto impetu inuehor. Sub auaro, & sordido Præsule mœret Ecclesia sponsa dedignata talem habere sponsum: corrupti languent subditorum mores tali sub capite, nudata iacent altaria, semidiruta templa: fœdata omnia, quæ ad sacræ mensæ ornatum, apparatúmque deseruiunt: heù quot mala tali sub pastore sustinet Ecclesia: ab hoc infecto fonte quot scaturiunt venenati latices! Infamis hæc auri cupido Episcopi sacram mentem adeò obscurat, vt videatur fœda, ac nigra nebula obtexisse cælum: speculum, in quo nitida Ecclesiæ facies relucebat obumbrâsse: & mens, quæ Numinis speciosissimos vultus exhibere debuerat, horroris, & confusionis monstra exprimere. Elias Cretensis metropolita, Gregorij Nazianzeni scholiastes disertè affirmat. *Quod ad speculum fumus est: hoc ad mentem Episcopi vitia carnis*, adiice vitia cupiditatis. O si à carnis illecebris; à diuitiarum cupidine libera mens Christiani Pastoris foret, quàm dilucidè, quàm clarè, quàm rectè in illa Deus ipse repræsentaretur. *Quò magis*, subdit idem auctor, *purgamur, eò etiam puriores, & liquidiores diuinæ species in mente nostra imprimuntur, ac perspicuam, & minimè confusam, diuinæ operationis speciem, nec ob vitiosas carnis affectiones turbidam ostendimus.* Ab affectu igitur, quo temporalia bona vel prosequimur, vel insequimur, pendet an Episcopus Dei sit, an dæmonis imago. Cælum exprimat, an Orcum: Ecclesiam illustret suâ luce, an obscuret suo fumo: in edito loco inflammata lampas splendeat, an extincto splendore fumet, ac fœteat.

Quot mala sub auaro, & sordido Episcopo sustinet Ecclesia.

Elias Cret. in orat. 1. Greg. Nazianz.

Mens Præsulis, quæ temporalia bona abdicauit, Deum repræsentat.

Quis sit Episcopus affectans bona temporalia, quis sit ab hoc affectu liber.

Si Pastores incumbentes

Præsules facti viri diuitiarum, quibus vna cura est, vnum

negotium, nimirum quomodo accumulent diuitias, augeant censu, possideant latifundia, quomodo eorum domus nitido apparatu luceat, argenti, vel auri pondere grauentur eorum mensæ; aulæis picturentur eorum parietes: pauimenta variato tegmine niteant. Si cum his pastoribus numerari ambiunt, quibus summum studium est, quo pacto populi deducantur in rectam; sacra exomologesi expientur populorum piacula, Eucharistico pane fideles omnes communicent; sacra templa ornentur, ceremoniæ peragantur sacro ritu, summa deuotione debitus Deo cultus exhibeatur; esset antiquarum historiarum renouare parœmiam. *Nunquid & Saul inter prophetas?* In hos egregiè Gregorius Nazianzenus inuehitur. *Aliorum me pudet, vt qui cum plerisque nihilo sint, atque vtinam non multò peiores, illotis, vt dici solet, manibus, prophanisque animis in sanctissima mysteria sese inferant, ac priusquàm digni sint, qui ad res sacras accedant, sacrarium ipsi ambiunt, ac eo cum sanctam mensam sese inuicem premunt, ac protrudunt: tanquam non virtutis exemplum, sed victus parandi occasionem, & subsidium hunc ordinem esse iudicantes, ac non munus referendis rationibus obnoxium: sed imperium ab omni censurâ immune, qui etiam eos, quibus præsunt numero iam ferè superant ob pietatem vtique mœrori ob splendorem, infelices adeò, vt iuxtà veterem historiam, & parœmiam, Saul quoque inter prophetas.*

nummis cōponantur cū pastoribus incūbentibus spirituali lucro parœmia renouabitur, num & Saul inter Prophetas.

Gregor. Nazianz. orat. 1.

Regnum cælorum præsens Ecclesia dicitur, in illud si ingredi velit gibosus hic camelus, vt sarcinam deponat suam necesse habet, apposité sanctus Ambrosius. *Gibus est quidam animæ, turpe vel cogitare, vel facere, & mentis tortuosa deformitas immundis rebus semper intendere, vel ab Ecclesiæ sancto limine curis secularibus euotari.* S. Bernardus Abbas Claræuallensis mellitissimè tradit, quo pacto habere se debeat Pontifex, vt & muneri suo, & nomini vnà respondeat. *In omnibus actis suis, vel dictis nihil suum quærat Episcopus, sed tantùm aut Dei honorem, aut salutem proximorum, aut vtrumque. Hoc enim agens implebit non solùm Pontificis officium, sed ethymologiam nominis, pontem vtique seipsum faciens inter Deum, & proximum. Pertingit pons iste vsque ad Deum, eâ fiduciâ, quâ non suam, sed illius gloriam quærit:*

Gibosi Præsules deponant sarcinā, si Ecclesiam ingredi volunt.

Ambros.

quarit: pertingit vsque ad proximum illâ pietate, quâ & ipse non sibi prodesse desiderat. Qui verè Pontifex est, de Dei gloria, de Ecclesiæ suæ decore, de hominum salute sollicitus minime de temporalibus bonis curat: haud pons est, in quo mercatores mercimonia sua nundinantur, sed factus Dei, hominumque interpres, Numinis honorem, hominis salutem ascendens ad cælum, descendens ad terras negotiatur, æquè spiritualia bona ab accessu, & recessu referens, & dum proximos iuuat, merces suas omnes repositas in cælo ab erugine, à tineâ, à latronibus tutissimas habet.

Cæterùm si Petrus terrenus piscator, euasit cælestis, cur si nummos tanto studio quærit Præsul nummus ipse non efficitur, sed qualis à Gregorio Nazianzeno desideratur, non commentitius, non adulterinus, sed dignus, qui expendatur in cælo. *Episcopo inprimis illud curandum erit, vt argenti, atque auri instar omni ex parte versatus, atque in omnibus temporibus, & rebus: nusquam adulterinum, aut subæratum quiddam tinniat, nihilque deterioris materia, flammâque acriori digna in seipso gestet. Nam alioquin tantò grauius malum fuerit, quantò pluribus imperârit. Siquidem maior est ea improbitas, qua ad multos serpit, quàm qua in vno defixa haret.*

Episcopus debet esse nummus, qui in cælo expendi possit. Gregor. Naz. ibid.

Magna adhibenda diligentia est, vt nummus sit numeris omnibus absolutus. Si enim aliqua sui parte peccans reperitur, notus omnibus, errat per omnes, nullus est, qui hilari fronte commentitium recipiat, respuunt illum omnes, cum vel pondere deficientem, vel inferiori metallo sordidatum agnoscunt. Non minor in sancto Præsule adhibenda diligentia, cui vitio vertitur non optimum esse, quando rebus temporalibus se immiscentem inspiciunt, subæratum vitant, quia dum amant cælestem, terrenis affectibus inquinatum, despiciunt. Repeto Gregorium Nazianzenum de Episcopi conditionibus optimè disserentem: *Præsul non vitiosas animi notas dumtaxat expungat, verùm & meliore etiam inscribat; ita vt magis virtute antecellat, quàm honore, ac dignitate superet, nec modum vlli sibi honestè viuendi, atque altiùs ascendendi constituat, nec lucro potiùs*

Quid populus desiderat in Præsule.

Vitiosus est Episcopus, quando non optimus.

id,

id, quod arripuit, quàm damno id, quod effugit deputet. Verùm, quod præ pedibus est, gradum ad id, quod deinceps sequitur, esse arbitretur, nec virtute vulgus anteire magnopere amplum atque illustre iudicet: verùm detrimento ducat, si à suscepti muneris dignitate absit. Memor itaque dignitatis suæ sit Episcopus, non immemor statûs, quoad perfectionis fastigium euocatur. In Christi familiâ ipse principem locum tenet: nullâ mediocritate sit contentus, ad id, quod optimum est, vires, neruósque suos intendat. Peccat enim cum ad perfectionem non tendit. S. Dionysius apud Diuum Thomam sic de Episcopatûs dignitate loquitur. *Episcopi obligant se ad ea, quæ sunt perfectionis, pastorale assumentes officium, ad quod pertinet, vt animam suam ponat pastor pro ouibus suis.* Quomodo pro ouibus animam ponit, qui continenter eas expilare, & excoriare non desinit? Scio multa posidere Pontificem posse, quæ ad ornatum, & ad Ecclesiasticam pompam faciunt: etiam in his perfecto reperitur, quia ad effectu, non de censu loquimur. Egregiè D. Thomas *Ad hoc*, inquit, *tenentur Episcopi, quòd omnia sua pro honore Dei, & salute sui gregis contemnant, cùm opus fuerit.* Ita animo paratus, & manu promptus sit, vt ne dum rem suam, bona sua, sed sanguinem suum pro grege suo, si opus fuerit libentissimè fundat.

Peccat quando non perfectus. *Dionys. apud D. Tho. 2. 2. q.*

Perfecta charitas, ad quam vocatur Præsul, præ Deo, præ proximo nil pensi habet. Ignis hic omnis ambitionis fumum fugat, nullum affectum prauum patitur, nil terrestre, quod ab auro suo non separet, permittit, verè de illo dicitur: *aurum igne examinatum, probatum septuplum.* Gregorius aureo suo calamo his notis Præsulem à plebe cætera distinxit *Nec eadem omnibus conuenire patet (quemadmodum nec statura omnibus eadem est, nec oris lineamenta, nec animantium naturæ, nec terræ qualitates, nec eadem syderum omnium pulchritudo, & magnitudo,) verùm priuati quidem hominis vitium esse existimet turpia, suppliciòque digna, & quorum lex dura, & grauis est perpetrare, Præfecti autem, vel Antistitis, non quàm optimum esse, nec non ad subinde accessiones facere, siquidem virtutis suæ præstantia, multitudinem ad mediocritates tracturus sit, ac non per vim cohibiturus, sed persuasione allecturus.*

Quæ charitas esse debet in Episcopo.

Præsul. per quæ à plebe distinguendus.

T Præsul

Præsul exempla, ad cuius proprietatem totus populus componendus.

Præsul non tantùm sibi probus sit, sed toti populo. Omnibus exponitur, vt vnusquisque ad illius exemplar se componat, ac in illo inspiciat an sit probus, vel improbus. Si pictori optimum exemplar obiicitur, repræsentabit ex idolo imaginem saltem mediocrem si non optimam. Contrà verò, si in prauum exemplar incidat, quid exhibebit in tabula, nisi turpe: corrupto enim exemplari, nescit penicillus pulchra exprimere: ab exemplari enim picturæ decor, & vita est. Nil itaque deterius pictori accidit, quàm exemplar prauum. Ita nil magis Christianæ plebi erit noxiosum, quàm Antistes improbus. Gregorius Nazianzenus ita Episcopos alloquitur. *Cauendum ne admirandæ virtutis mali pictores existamus; aut rectiùs loquar, Pictorum non fortasse malorum, multorum tamen malum exemplar.*

Magnam patitur persecutionem Ecclesia ex improbis Præsulum moribus.

Mirum quantùm praui Præsulum mores, Dei Ecclesiam afflixêre. Triplicem illa persecutionem ad hæc vsque tempora passa est. A Tyrannis vnam, qui ludentes innoxium sanctorum cruorem, Ecclesiam in sui exordio suffocare moliebantur. Alteram ab hæreticis, qui summam veritatem prauis doctrinis obscurare, & denigrare tentauêre. Tertiam ab improbis superioribus, qui rerum temporalium cupiditate, & prauis suis moribus, mores omnium infecerunt. Audiamus plorantem D. Bernardum: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Multa est hodie, & longè grauior, quàm credi potest persecutio Ecclesiæ, & talis incumbit, qualis à principio non fuit. Multis modis persecutus est eam diabolus, sed nunquam grauius quàm hodie, quia nunquam fuit maior perditio Christianorum, nec liberior, aut securior transgressio diuinorum præceptorum. Ecclesiam incipientem persecutus est per tyrannos; proficientem persequutus est per hæreticos. Iam lætam, & florentem persequitur per motus illicitos. Tria sunt in anima, ratio, voluntas, sensualitas: Rationis est iudicium, voluntatis desiderium, caro debet obsequium. Carnem ergo cruciauit in martyribus, rationem perturbauit in simplicibus, sed voluntatem hodie deprauat generaliter in omnibus.*

Bernard. ser. ad Episcop. in Synod. Rhemens. congreg.

Præsul factus mercenarius quo fugit.

Quando caput languet, cor mœret; à planta pedis vsque ad verticem capitis sanitas nulla in corpore reperitur. Funditus fermè euertitur Ecclesia Dei

Prælato

Prælato prauo rectore; tunc maximè, cùm non Pastoris, sed mercenarij personam sustinet. Ex oraculo diuino discimus, quòd fugit pastor inspiciens venientem truculenta rabie lupum, vt dilaniet, laceret, deuoret Christi gregem; sed quò fugit pessimus pastor factus mercenarius, abiectâ iam gregis sui curâ? Egregiè respondet Bernardus: *Fugit mercenarius, vel amore blandientis, vel timore persequentis. Vnde fugit? à rectitudine iustitiæ, à defensione Ecclesiæ, à liberatione patriæ, ab vltione pupillorum, & viduarum. Quò? ad custodienda, quæ possidet, imò à quibus possidetur, videlicet marsupia, horrea, cellaria non vtique pauperibus referanda, sed cunctanda furibus, aut ignibus consumenda: blanditur raptoribus, vt parentibus consulat: qui vt pacem habeant, & inter tyrannos floreant, affligi sancta permittitur Ecclesia: & iustitia conculcatur.* Heù! cupiditas bonorum, interdum malorum omnium radix est: quot mala quotidie ex hâc radice in Ecclesiâ Dei pullulant; verè radix germinans amaritudinem, ex auri improba Præsulum fame famescit Ecclesia bona spiritualia. *Aurum* habet Episcopus, aiebat sanctissimus Pontifex Gregorius, *non vt seruet, sed vt eroget*; ipsa sacra vasa frangenda ob captiuorum redemptionem censuit, elegantissimè sic de sacro vase loquens. *Tunc vas Dominici sanguinis agnosco, cum in vtroque videro redemptionem, vt calix vel ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redimit.* Audiat Præsul, sanctissimi Præsulis Augustini vocem, vt ad frugem bonam redeat. *Operarius Dei quando das egenti, seminas hyeme, quod metas æstate; extende manus, vt vincatur Amalech.* Audiat & Ambrosium. *Iudex naturæ factus est Episcopus, quod natura illi denegauit, tu supplere debes.* Nemo in ditione tuâ sit, vel membris captus, vel fortunæ bonis destitutus, qui in fortunam, in naturam, in Deum audeat querelas suas, ac maledicta effundere; tu illi naturæ, & fortunæ, tu Dei vicem geris, tu naturæ illius, & vt ita dicam, fortunæ iudex, à te tanquam à gratiarum fonte hi latices excurrant, qui vitam tribuant, & peccata condonent; *sicut enim aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Aduerte Præsul in hac diuitiarum cupiditate gemina parta mala, et enim simul pec-

Bernard. ibid.

Moral. lib. 1. cap. 28. Episcopus quo pacto possidere debet aurum.

Hom. 39.

Quomodo Præsul iudex naturæ.

ris, & alios perimis: Tandem malum tibi omen ex diuitiis tuis auguror; noluisti esse pastor: factus mercenarius, amasti mundanas merces haud inter Christi oues decretoriâ die numeraberis, adscriptus hœdis. Sinistram desideras, quia legis diuitias esse in illa, & gloriam. Bernardi audi interminationem, antequam Christi maledictionem audias. *Longitudo dierum in dextera eius: in sinistra diuitiæ, & gloria*, in iudicio ad sinistram eius erunt hœdi, quibus dat in hoc sæculo diuitias; ad dexteram autem agni, quibus præparata est longitudo dierum. Nolite sitire munera in sinistrâ eius, quia qui desiderant eius sinistram in hoc sæculo, collocabuntur ad sinistram eius in iudicio.

Præsul in hac vita desiderat sinistram.

Maledictio in Præsules ex Bernardo.

CAPVT VII.

Virtutum cumulus, postremus, sed necessarius Præsulis character.

AD ingens Prælatûs onus succollandum, ipsum aduoco virtutum chorum. Paulus scribens ad Timotheum ait: *Oportet Episcopum esse sobrium, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem.* Ad Titum idem verbum *oportet*, inculcans adiicit, *hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum.* Tot virtutes non ad ornatum, siue ad decorem dumtaxat Præsulis numerantur; sed ad ipsum sustinendum onus necessariæ. Nisi multi accurrant baiuli, ingentem molem subuehere nemo vnus poterit. Patres in sacrosancta Tridentina Synodo exclamant, Onus, vel ipsis Angelicis humeris tremendum. Quid homo ad illa ferenda pondera aget, ad quæ vel ipsi expallescunt Angeli?

Virtutum cumulus necessarius ad portandum onus prælatus.

Ad Timot. 3.

Ad Tit. 1.

Concil. Trident. sess.

„ Paulus, qui tribulationum cumulum leuem putauit, ac suauissimum, ab illo enim sunt hæ voces: *Momentaneum hoc leue tribulationum pondus*; vbi Præsulatus oneri humeros submittere cogitur, in labores plurimos, in sollicitudines maximas, in ardentissimum ignem se incidisse conqueritur. *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.*

Paulò tribulationes nil sunt præ onere Præsulatus.

ſiarum. Quis infirmatur, &c. ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Itaque qui labores, vigilias, timores, vexationes, famem, ſitim, frigus, nuditatem, ſportas, carcerem, vincula, accuſationes, tribunalia, lapidationes, virgarum ictus; maris, fluminum, falſorum fratrum pericula; mortem ipſam in dies, in horas, & in momenta incurſantem; adeò æquo animo, ac læta fronte tulit, vt ſummo gaudio in his omnibus abundâſſe fateatur; cùm ad curam Eccleſiarum accitur, timens fermè, ac tremens accurrit, ratus in ſollicitudines, in languores, in infirmitates, in ipſum ignem incidiſſe. Scio hæc omnia ex Paulinâ charitate, tanquam ex limpidiſſimo fonte deriuare; conſtat tamen ex hoc liquidò, quale munus, & quàm graue ſit Præſulatûs pondus; cùm ſub illo gigantes grauibus aſſueti ponderibus ſudent, & gementes dicunt: *Cur pondus populi totius impoſuiſti ſuper me? nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eam in ſinu tuo.* Ad ingens onus vocatur, qui vocatur ad regimen animarum. Iure conquerebatur Moſes ferre ſe non poſſe, quas iuſſus erat gentes moderari. Eliſæus, Eliam Prophetarum principem, cùm currum Iſraël nominâſſet, adiicit poſteà, aurigam eius. Priùs enim Præſul currus erit, quàm auriga, faciat oportet antequam doceat. Rectè *currus, & auriga.* Vnâ enim in Præſule incedit, Regnum, & pondus; qui regit, humeros ad onus accommodet; ita ex Iſaiæ vaticinio. *Principatus ſummus ſuper humerum* Chriſti factus eſt. Onus, & honor ita in Eccleſiaſtico munere iunguntur, vt ſi vnus occurrat à fronte abblandiens, ſequitur alterum à tergo terrens. Pulchrè ad Epiſcopos Senonenſes ſanctus Bernardus: *Dignitates meditantibus quidem honores blandiuntur, ſed onera penſantibus tædio ſunt, atque formidini.* Dignitatem, quam aſpicis blandientem, ſi rectè expendas, deſpicies deterrentem, ſed adeò inficit venenis ſuis alliciens honor, vt non ſentiatur onus deterrens. Egregia Abbatis Clareuallenſis peroratio eſt: *Sola attenditur gloria, & non pondus gloriæ.*

Verùm age pondus, & nos expendamus cum Magno Antiſtite Gregorio; vt ſuam vnuſquiſque examinans virtutem

Exod. Gigantes virtutibus ſudant ſub hoc onere.

Præſul prius currus debet eſſe, quàm auriga. *Iſa.*

Onus, & honor iunguntur in Præſulatu. *Bernard. ad Epiſcop. Senonenſes.*

Greg. De tot animis Epiſcopus eſt rationem

rationem redditurus, quot habuit subditos.

tutem secum excogitet verùm humeros habeat impares, an pares tanto oneri? *Penset vnusquisque, qui ad satisfaciendum, de suâ fortassè animâ vix sufficit, quia tempore reddendæ rationis, quot regendis subditis præest, tot, vt ita dicam, animas solus habet. Quæ nimirum cogitatio, si assiduè mentem nostram occuparet, omnem superbiæ tumorem sine dubio premeret.* Quis mortalium corpore varijs passionibus obnoxio, tot portabit animas? de vnaquaque singillatim rationem redditurus? Hinc & soli, & sali, & candelabro, & Pastori, & piscatori Episcopus vnus comparatur, cùm enim animabus plurimis sufficere debet, plura etiam munera vnus debet explere.

Cur Episcopus & solis, & salis, & candelabri munera subeat.

Adijce, tot personarum discrimina, tot animi perturbationes, tot varia mortalium ingenia tendentia ad tam diuersa, vt magis cupiditatibus, & affectibus, quàm figuris, & lineamentis inter se differant. Præsul, qui ad animarum curam vocatur, affirmat S. Gregorius Nazianzenus, ad bestiam cicurandam ex ferocissimis compactam belluis accitum. *Quemadmodum si quis variam quandam, & multiplicem belluam ex multis belluis magnis iuxta, paruisque, ferisque, ac mitibus cōflatā, cicurare, & ducere aggreditur: huic naturæ adeò præposteræ, & prodigiosæ gubernādæ maximus profectò labor subeundus esset. Eodem modo cùm commune hoc Ecclesiæ corpus instar compositæ cuiusdam, & inæqualis belluæ ex pluribus, varijsque moribus, & rationibus constitutum sit.* Heu quàm magna humanorum inæqualitas morum? ratio vna in omnibus, sed impetus animorum innumeri, quibus mortales rapiuntur in diuersa. Quàm dissitas capessunt semitas, ad quem diuersum terminum tendūt mares, & fæminæ, adolescentes, & senes, pauperes, & diuites, hilares & mœrentes, sani & ægri, nobiles, & ignobiles, principes, & subditi, eruditi, & indocti, audaces, & timidi, mansueti, & iracundi, munere suo præclarè fungentes, & cadentes. Tamen vna sagena erit tot piscium capax, vnum rete hæc omnia comprehendere debet, ac tenere, ex his monstris bellua conflatur, quam cicurare debet Præsul Christianus. Quis curiosè, & diligenter tot varios genios, impetusque animorum ne dum moderari, sed cognoscere

Ad bestiam cicurandam ex varijs animalibus compactam accitur, qui vocatur ad Episcopatum
Gregor. Nazianz. or. 1.
Diuersitas hominum, & morum domanda à Præsule.

gnoscere poterit? Vates sacer Ezechiel ex Origenis interpretatione in vno homine & vitulum, & leonem, & Aquilam docet abscondita. *Inter quatuor facies eminet, & principatum tenet facies humana, quæ est tripartitio animæ, per hominē eius rationale indicatur, per leonē irascibilis, per vitulum concupiscentia.* Quot monstra in his duobus animalibus alunt humana pectora? quæ nisi superioris spiritûs impetu coerceantur, nec cicurari, nec domari vllo pacto poterunt. *Vbi enim erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* ipsemet domini spiritus auriga est tam prodigiosi currûs, cui nisi & impetus accessisset, fortasis sine rectore quadriga errâsset indomita. Quis igitur quamuis duplicem cum Helisæo sortiatur spiritum, futurus auriga tam discriminosi currûs? si in vno duntaxat homine quatuor tam discordis naturæ, tam pugnacis ingenij latent bestiæ, quot in innumerâ multitudine numerabimus, quas interdum regere debet Antistes in vna diœcesi, & in Ecclesia vna? Quis idoneus tot quadrigarum rector? Quis vnus omnibus sufficere poterit factus omnia? Egregiè Gregorius Nazianzenus varias formas recenset, in quas momentis singulis oportet, vt se transformet sedulus Pastor, vt satis omnibus faciat. *Quid dicemus de Præsulis benignitate? quid rursus de asperitate; quid de vtriusque mixtione, & temperamento, vt nec per benignitatem homines molles, ac languidos reddat, nec per acerbitatem exasperet?* Heris, ac dominis leges statuat, præfectis, ac subditis, viris, ac mulieribus, parentibus, ac liberis, matrimonio, ac cælibatui, delitijs, & continentiæ, sapientiæ, & inscitiæ, Christo, ac Mundo, carni, ac spiritui Vt magnam hanc belluam Paulus cicuraret, supra Prothei fabulas varias ipse induit formas ad varia singulorum ingenia, & mores factus multiplex, illos perstringit; pro his gratias agit; hos gaudium suum, & coronam dicit; illos dementiæ accusat; rectum iter tenentibus se comitem adiungit; malè incedentes reprimit; à piorum casu proscribit, charitatem firmat, luget, lætitia afficitur, lac propinat, mysteria attingit, ad alios se demittit, vt eos secum erigat, minatur virgam, lenitatis spiritum affert, sublimibus elatum, humilibus humilem se præbet, verè omnibus

Ezech. c. 1.
Orig.
In homine latet & vitulus, & leo.

Multiformis oportet, vt sit Præsul, vt omnibus sufficiat.

Gregor. Naz. ibid.

bus omnia factus vt omnes lucrifaceret.

Virtute: magis necessariæ Præsuli.

Cæterùm, vt aliquas ex virtutum cumulo seligam, quas Præsuli magis necessarias puto; ne cum ad omnes hortari annitar, nullam tradere videar. De Iustitiâ priùs sermo erit, cùm suprà de prudentia iam disseruimus. Æquat hæc omnia, iniqua tollens. Paulus Titum hortatur, vt iustus sit, ac sanctus: vtramque iustitiam Præsuli necessariam Apostolus tradit, & quâ ipse iustus, quam sanctitatis nomine fortassis ipse indigitauit, & quâ iudex ius in plebē suā administrat. Funambularios æmulans, quibus tā scrupulosè in fune incedendum est, vt perijsse putent, cum ab ipsa vngue aberrant; quilibet enim illi casus, occasus erit. Præsuli pro tribunali sedenti tam sanctè viâ iustitiæ incedere debet, vt putet omnem ab ea errorē illi lethale fore. Quælibet vel in propinquos, vel in amicos propensio ruinam sibi, & populo suo futuram putet. Cùm integer iudex, & pius pater, tum optimè Præsulis partes implebit, in fune ambulat, ponderibus suis librandus, ne cadat. Ita eleganter sanctus Gregorius Nazianzenus. *Quemadmodum in sublimi, & pendulo fune gradientibus in hanc, vel illam partem deflectere minimè tutum est: nec etiam parua inclinatio paruum periculum affert, verùm eorum salus in æquilibrio posita est: ad eundem quoque modum vtramuis in partem quispiam siue ob vitæ improbitatem, siue ob imperitiam proponderet, haud leue periculum, tum ipsi, tum ijs, quibus præest, immiuet, ne in peccatum prolabantur. Quo circa viâ procul dubio regiâ illis incedendum est, ac circumspiciendum, ne vel ad dexteram, vel ad sinistram, vt in prouerbijs est, declinent.*

Iustitia necessaria Præsuli, & qua ipse iustus, & qua iustitiam exercet.

Iudicis iustitia quàm scrupulosa, funambulario comparat.

Gregor. Naz. or. 1.

Proh dedecus! si in sancto, ac Ecclesiastico tribunali suspiraret sæcularem gubernationem, exhorrens Ecclesiasticam quia sæua nimis, & auara. Heu quàm opposita Ecclesiæ veris principijs politico-œconomiæ gubernationi Ministrorum licentia corruit tribunal sanctum. Veritas, quæ tutò discurrere in sacerdotum aulâ deberet; omnibus obuia ab vnoquoque cognita, interdum fœdâ ministrorum auaritiâ ne dum de facie, sed nec à nomine ipso ignoratur, celat enim se, ne lingua, ne calamis confodiatur. Verùm Præsulis sancti partes erunt vt veritas de terra orta, &

Iustitia in tribunalibus Ecclesiasticis interdum à ministris fœde lacerata.

piciens de cœlo, in ſublimi ſolio collocata, ab omnibus inſpecta, vt ſpecioſiſſima virgo adoretur flexo genu, ab his potiſſimùm, qui, ſæuo, & auaro ſeruientes calamo, eam deturpare, & tranſuerberare ſatagunt.

Ad manſuetudinem tranſeo, quæ tam Præſuli propria, quàm Politiæ Eccleſiaſticæ, patria, ac politica poteſtas. In ſancto illo, ac veteri ſacrorum Patrum æuo prudentiſſimus ille exiſtimatus, qui & mitiſſimus Moſes, dux ingentis populi, & totius diuinæ legis interpres, inter omnes vir mitiſſimus habebatur. Dauid, qui olim in cathedrâ ſapientiſſimè aſſederat, ſpretis cæteris, quibus ornatus apparebat, hanc potiſſimùm virtutem penſi habet. Hinc cum Deo loquens ait: *Memento Domine Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* Dignum præmium manſuetudinis eſt, vt vel ipſa ſub pedibus tellus habeatur. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.*

Manſuetudo neceſſaria Præſuli.

Manſuetus Moſes.

Dauid manſuetus.

Manſuetudini lenitas accedit, quâ corrigendus improbus, vt fiat probus, ac in ſemitam rectam dirigatur obediens lenitati; de hoc Apoſtolus: *corrigite in ſpiritu lenitatis,* hæc, quia deſiderata in Elia, qui igne, zelóque conflagrabat viſo magis, quàm verbis à Numine terretur dedignante vel in commotione, vel in turbine, vel in igne apparere; placuit tamen in ſibilo auræ tenuis audiri, vt ſic edoctus Elias in poſterum non impetu iræ percitus, non zelo excandeſcens, ſed in ſpiritu lenitatis errantes noſceret corrigere. Inoleſcat, gliſcat in pectore Chriſtiani Præſulis hæc ſancta lenitas, frater enim corrigendus eſt, non hoſtis, imò filius, quem non carnalis cognatio peperit, ſed ſancta fides. Ideò dicitur fraterna correctio, quilibet enim fidelis fraternè admonendus erit, quia olim in primæua, & ſancta Eccleſia nemo Chriſtianus, qui non diceretur frater, & *credentium cor vnum, & anima vna erat*, vbi & cordis, & animarum cognatio, etiam fraternitatis decus ſingulis rectè inſinuatum eſt.

Lenitas in corrigendis erroribus.
3. Reg. 19.

Omnis Chriſtianus olim dicebatur frater. Hinc fraterna correctio.

Præſulis tam proprium munus fraterna correctio, quàm ipſa verbi Dei prædicatio. Immundus ad hoc munus is erit, qui priùs in fraternâ monitione non probatus. Iſaias cum ad prædicandum vocaretur excuſat immunda labia,

Cur immũda labia Iſaiæ.

quibus se prædicare populis dedecebat. Hieronymus affirmat ideo polluta Isaiæ labia, quia irruentem in templum Oziam correptione non cohibuerit. Seraphico carbone illa labia purganda, quæ erga Dei templum dissimulatum peccatum infecerant.

Misericordia virtus Præsuli necessaria.

Iustitiæ misericordiam adiungo comitem, ex firmato in conspectu diuinæ sedis fœdere. *Misericordia, & veritas præparatio sedis tuæ.* Hæc miseros omnes serenâ fronte inuitat, & blandè in sinu suo fouet, peregrinum, infirmum, sitientem, esurientem, vinculis mancipatum, etiam mortuum non despicit, in conditorio suo illum ponit vt quiescat. Ambit sanctus Præsul pater miserorum esse, cum & Dei Mater non dedignetur esse misericordiæ parens: tunc diuitiæ in illius domo pulchræ cum distributæ miserorum turbæ sunt. Eleganter Ambrosius: *Pulchritudo diuitiarum non in sacculis diuitum, sed in alimentis pauperum est.* Eleemosynæ, quibus Præsules diuitias suas erogant in pauperes, tanto applausu à sanctis Patribus laudatæ, vt illas dumtaxat nomen absolutum operis meruisse testentur; itaque eleemosynæ, opera; eleemosynarius, operator per summam excellentiam, & vt Græci dicunt, antonomasticè dicuntur. Ita Cyprianus: *sicut lauacro aquæ salutaris gehenna ignis extinguitur, ita eleemosynis, atque operibus iustis, delictorum flamma sopitur, & quia semel in baptismo remissio peccatorum datur, assidua, & iugis operatio baptismi instar, imitata Dei rursus indulgentia largitur.* Rectè Baptismo eleemosyna æquatur: cùm per hanc gratiæ bona parrantur; per illum ianua gratiæ aperitur; in hoc eleemosyna baptismo superior, quòd illum geminare piaculum foret, hanc non multiplicare multiplicatis miseris, fermè scelus esset. Ille semel extinguit stygios ignes, hæc liberali manu quoties erogata, toties extinguet ignem, & cùm operatio dicatur, tunc sanctè operabitur Christianus, cùm manum perpetuò extensam in sua commoda pauper experietur. Meritò dicitur operatio, in qua homo Deum ipsum repræsentatum in paupere à miseriis vindicat. Tunc verè operatur quando operator perennat in opere, cùm qui omnia opera patrat, his se operibus indigere testatur.

Quando diuitiæ in domo Præsulis apparent pulchræ.

Eleemosynæ opus antonomasticè dicuntur, & cur.

Cyprian. de eleemosyna.

Cur eleemosyna operatio, & eleemosynarius operator.

Vtcum

Vtcumque res se habeat, eleemosyna operatio dicitur: ad hunc sensum Prudentius sic de eleemosynâ canit:

Tunc subitò in medio frendens operatio campum,
Prosilit auxilio socios, pugnámque capessit. *Prudentius.*

Nec solùm eleemosyna peccata extinguit, sed sancta opera fouet, operantem spiritûs pinguedine replens, opus ipsum suauissimo complet odore. Eleganter Eusebius Emyssenus, cum quo mihi finis: *Magnum abstinentiæ sacrificium, præsertim si misericordiæ largitate pinguescat, si per eleemosynas odorem suauitatis accipiat.* *Euseb.Emyss.*

CAPVT VIII.

Magna dignitas accedit Reipublicæ Ecclesiasticæ ex Purpuratorum maiestate.

SANCTISSIMO Patri, Ecclesiæ Principi, cui & Dei domus, & Regnum cælorum, & Christi oues creditæ sunt, accedit Purpuratorum Senatus, ceù purpurea coma, ornans summum Ecclesiæ caput: quò & fortassis allusit sponsa. *Coma capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus.* Ipsi enim à Summo Pontifice numerantur primi, illíque adhærent tanquam coma capiti. *Romana Ecclesia Cardinales*, ait Concilium Lateranense, *cæteros omnes in ipsa Romana Ecclesia post Summum Pontificem, honore, ac dignitate præcedunt: conueniens, ac debitum est, vt vitæ munditie, ac splendore cunctis præfulgeant.* Ecclesiastici hi Principes non modò sunt cælestes lampades, ac luminaria, iubare regio, & Vrbem totam, & Christianum Orbem illustrantia, verùm & humeris suis firmant labantem Ecclesiam; magno Athlanti veluti tot Hercules suppetias ferunt, terga supponentes Orbi inclinato. De his non sine prophetiæ spiritu in suo cantico loquuta videtur illa æui veteris nobilissima Matrona Anna, *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Cardinalium nomine insigniti hi Principes, non

Cardinalis, purpura coma ornans Ecclesiæ caput.

Concilium Lateranens.

Summa dignitas in Cardinalibus & præ dignitate congruit vitæ mundities & splendor.

Cardinales veluti tot Hercules magno Athlanti.

Cur Cardinales dicti.

vt vestigiis purpuratis Orbem terrarum premant, sed vt ipsum proprium cruorem non vereantur effundere, dummodo Ecclesiæ cādor ab hæreticorum insidiis obscuratus, & libertas à prauorum Principum impetu oppressa nō sit; sic præcipit Concilium Basiliense. *Ne vereantur proprium sanguinem pro bonis vniuersalis Ecclesiæ effundere.* Quæ in humeris firmitas? Quæ in animo virtus? Quæ in corde charitas? his, qui non pro numeratis gregis Dei ouibus, sed pro toto grege Christiano parati sūt animas suas ponere Sacra Tridentina Synodus iubet, vt purpurandorum delectus ex toto terrarum Orbe habeatur. Extulit Christus Dominus ad Apostolatus apicem rudes, ac abiectæ sortis homines, vt in eiusmodi coloris hominibus elucesceret magis potestas diuina, idoneos ministros tunc faciens cum vocabat: vox diuina, in ipso Mundi exordio, quæ non erant producens, eadem ministros, quos rudes inuenerat fecit idoneos; cæteri Summi Pontifices aptos inuenire habent, quos ad fastigium Ecclesiasticæ dignitatis extollant. Non domui suæ, non carni, & sanguini, sed Christianæ reipublicæ prospiciant, dū hos cardines eligunt idoneos qui humeris suis totius Ecclesiæ onera succollent. Euangelica mulier, accensâ priùs lucernâ, euersâ deinde domo dragmam perditam inuenit. Pontifex inflammatâ prius lampade totum Christianum Orbem euoluat, vt inueniat pretiosissimas margaritas, quibus Ecclesiasticum cælum veluti fulgentissimis astris exornetur. Sacri Doctores meritò hos Ecclesiæ cardines ad celsissimum perfectionis gradum extulêre. Decebat enim, vt numerus, qui post Sūmum Pontificem, (cui & titulus, & mores sancti conueniunt) summus est, etiam sanctitatis culmen aliquo pacto attingeret.

Concilium Basil. Cardin. tenentur sāguinē pro bonis vniuersalis Ecclesiæ effundere. Concilium Trident. iubet Purpuratos seligēdos lectissimos ex toto terrarum orbe.

Quę diligētia adhibenda in eligendis Cardinalibus.

Cardinales sunt in celsissimo perfectionis gradu

Purpurati collum dicuntur tam venerabilis Capitis, quia ipsi potissimum Ecclesiæ iugum primi sustinent, de illis Xistus V. ait: *Cùm itaque ipsi veri cardines sint templi Dei bases: firmamenta, & columnæ Christianæ reipublicæ.* Summum Ecclesiæ caput Pontifex, eò sublimiùs elucescit, quò eminentius protenditur hoc collum. Sanctus Antoninus affirmat post fastigium sanctitatis, quod summo Capiti congruit, Cardinalibus maximum perfectionis gradum conue

Purpurati collum dicuntur magni capitis & cur?

Xistus V. Cardinales bases, firmamenta & columnæ Ecclesiæ.

Ex S. Anton.

conuenire, ab illis cætera membra quasi per collum, & spiritus & vitam & motum exhauriũt. Itaque qui Purpurati in terris apparent, Candidati regni cælorum primò sint: ea enim sanctitudo ad illos pertinet, quæ ab hâc vita audire sancti Patris nomen mereatur.

Sentẽtia summus perfectionis gradus conuenit Cardinalib.

Hinc ex Purpuratorum numero insignis Theologus Turrecremata Cardinalium purpuram quibuslibet Præsulatus infulis præstare validissimâ ratione astruxit, quippe hos singularum Ecclesiarũ onus premit; illos cura omnium sollicitat. *Nil dubitandum est*, ait ille, *quin Cardinalium status perfectus sit, & quidem multò perfectior, quàm Episcoporum, quia bonum Ecclesiæ vniuersalis, ad cuius gubernationem assumuntur, & pro cuius spondeant animam ponere, maius & diuinius quàm bonum particulare, ad quarum curam cæteri Prælati assumuntur.*

Turrecrematæ ex sententia Cardinales nobiliores Episcopis & Patriarchis.

Hinc illis & existimatio magna in toto terrarum Orbe, & honor eximius ab omnibus Mundi proceribus exhibetur. Adeo nobilissima membra Capiti summo adhærent, vt non vnita magis, quàm vna diceres. Quare qui officijs vel noxijs his nobilissimis membris accedunt, ipsam Sedem Apostolicam, dicantur bene, vel malè attigisse: legibus à Summo hoc tribunali emanantibus, quibus inhibetur aliqua, Cardinales haud tenentur parere, non enim cum cæteris hominibus numerantur, quos purpura sacra fermè supra hominum conditiones euexit. Pluribus ecclesiasticis beneficis frui possunt, dum in vno purpurato publica maiestas accipit præmium. Quot priuilegijs gaudent? Quæ in familiares suos potestas? Quàm magna in omnes auctoritas. Quasi Regibus armata familia permittitur, in quam ipsi animaduertere regali Maiestate possunt. Assessores, Cooperatores, Consultores Summi Præsulis dicuntur. Ad consilia generalia dum commeant, pro tantâ dignitate, illico inueniunt paratam sedem. Si quid loquuntur fermè ex oraculis dictum arbitramur; numquam ille mẽdax præsumitur, quem tanta dignitas exornauit, quasi legislatores toti terrarũ Orbi dantur cum vnà congregati leges ipsas exponunt. Quæ dignitas! dum illum eligunt quem Spiritus sanctus præcipuo afflatu summum Ecclesiæ Pasto-

Vnitas magis illorum, quam vnio cum Apostolica Sede. Beneficia vel mala quæ Cardinalibus fiunt refert vt sibi accepta sancta Apostolica Sedes. Cardinalium insignia priuilegia.

rem ab æterna sede designauit tot priuilegia ostendũt eximios hos Principes ferè Mundo ipso superiores. Gaudet ille, qui minimus censeri voluit, dum viueret, in membris suis apparere magnus, in summo Ecclesiæ Senatu, maximus. Paulinus ad suum Simplicium scribens, ait: *Christus sicut in illo ipsa homine, quem gessit, ita in nostris mentibus gradus quosdam corporeæ ætatis exequitur, nascitur, crescit, roboratur, senescit, sed orandus in nobis, aut paruulus, aut infirmus, aut pauper non reperiatur.* Pauperiem, pusillitatem, infirmitatẽ, quas pro nobis ille pertulit, horrori habet, cùm eas in nostris moribus videt. Potissimùm Christus Dominus in Ecclesia sua apparere magnus, & Princeps voluit. Sponsa sponsum suum quem pastorem reliquerat in syluis, agnouit Regem in cubiculo: *Dum erat Rex in accubitu suo.* In cœnaculo vbi summum sacramẽtum exhibitum, quamuis ibi luctuosæ passionis exprimeretur memoria, tamen & ibi magnitudo regia conspicitur. Cœnaculũ grande stratũ illic paratũ de Ecclesiæ celsitudine intelligit Beda. Agnum quamuis occisum circundat inclytus Purpuratorum Senatus coronatus. De ecclesia inde hæc Pancianus, *Ista Regina electa matri atque perfecta. Hac igitur erit domus magna, locuples omnium diuersitate creaturarum, in quâ purum refulget aurum, in quâ ductile lucet argentum.* Ecclesia vbi splendidior ac maior exhibetur, quam in Purpuratorum Senatu, quàm in summi Præsulis maiestate? Agite itaque præstantissimi viri, ac in purpurea veste, candidissimi agnoscantur vestri mores, qui potissimùm Ecclesiasticos Principes decent. Vos appellat Xistus V. Pontifex Maximus. *Nobilissima, & præcipua sacri capitis membra à Spiritu sancto constituta* Flammantia exigit corda vestis purpurata, & eximiam charitatem ordo à Spiritu sancto constitutus.

Gaudet Christus dominus Ecclesiam suam habere illustri decore ornatam.

Paulinus epist. ad Simplicium.

Pancianus epistola 3.

Purpurati internis candidati cæli esse debent.

Bulla anno 1589.

Cardinalibus itaque in suprema totius Ecclesiæ speculâ positis, nulla sit caligo, quæ obsistat sacra lumina, sed vno aspectu intueantur omnia quæ ad Numinis cultum pertinent, in omnes Orbis partes introspiciant vt in remotas cæli plagas fidem importent; sint toti oculis scatentes, dum agitur de Ecclesię bonis. Illa enim lapis oculatus dicitur ex Zachariæ vaticinio. Petrus Damianus ex hoc amplissimo

Petrus Damian.

Senatu

Senatu vnus, de Cardinalibus loquens ait: *Isti sunt oculi vnius lapidis, idest Romanæ Ecclesiæ, de quibus per Zachariam dicitur: Super lapidem vnum septem oculi sunt, ipsi lucernæ vnius candelabri, de quibus ipse postmodum loquitur, dicens, Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ super illum.* Cardinales Ecclesiæ oculi sunt, quibus illa sibi consulit, dum in summis negotijs magno capiti, & consilio, & auxilio sunt; sed & lampades, & lucernæ, & candelabra, quibus splendet totus Christianus Orbis, vt caligine noctis remota mortales quæ agere debeat inspiciãt, & ad fulgentissimum iubar mores suos componant. Igitur & dum vident, & dum videntur, semper Dei Ecclesiæ consulant, aspiciant, vt illius indigentiæ perspiciant: aspiciuntur, vt excutientes in sceleribus ad tantum splendorem non modò crimina, sed ipsas labeculas deleant; proprium enim luminis est vt pulchra, & deformia æquè ab hominibus dignoscantur; vt visâ probitate & malitia vnam sequantur, effugiant alterã.

Cardinales toti oculi esse debent vt consulant reipublicæ Christianæ.

Sed ad munera transeo, quæ Cardinalibus propria sunt; & ne à vineæ metaphorâ discedam. Non relictâ purpurâ induant Cardinales vinitoris personam, ex Petri Blesensis sententia: *Euellant, & destruant, & disperdant, & dissipent, ædificent, & plantent.* Quid euellere debeant ab Ecclesiastico solo, monet Sanctus Bernardus. *Nulli dubium est, quod ad eos spectat tollere scandala, surgentes succidere spinas, secare querelas.* His vinitoribus imputantur scandala, quæ gliscunt in medio tritici; his aculei & spinæ quibus punguntur probi; his querimoniæ, quibus indigentes conqueruntur. Munus Cardinalium est tollere è medio zizania, conuellere spinas, hiscentem tellurem implere. Adijce cultum vineæ, non modò ad malefactorum vindictam, sed ad bonorum laudem, honorem, præmium. Arnulphus Lexouiensis affirmat *Cardinales electos singulariter ex omni carne, per quos fidei veritas, per quos forma iustitiæ, per quos Ecclesiæ libertas inconuulsa seruetur.* Fidei veritas à Christo plantata, irrigata cruore diuino, Cardinalibus incumbit, vt ad mare vsque, & ad Orbis terrarum terminos radices, & propagines extendantur. Gregorius XV. Collegium de

Purpuratorum, munus quale.

Blesensis epist. 23.

Cardinales sunt Vinitores ecclesiasticæ vineæ.

Bernard. ep. 108.

Cardinalium munus ad fidei veritatem dilatandam, ad formam iustitiæ custodiendã, ad Ecclesiasticã libertatem, seruandam.

Gregor. XV. excitauit collegium de propagãda fide. Collegium de propagãda fide excitatum à Greg. XV. auctum ab Vrban VIII.

propaganda fide excitauit, miro zelo, auxit illud Vrbanus VIII. Mirâ liberalitate, ornarunt, locupletarunt, in formam reduxere Antonij Barberini Cardinalis sancti Onofrij, impendijs, magni huius collegij alumni: ex remotissimis cæli plagis Romam confluentes meæ Religionis patribus vrbanâ benignitate traditi instruendi. Vos sanctissimi Purpurati fauete, & lingua, & manibus sanctissimo operi, vestra purpurâ dignissimo.

Iustitia rectè administratur Romæ, idem desideratur in cæteris Ecclesiasticis tribunalibus.

Cæterùm vera iustitiæ forma à vobis petenda est, si in cæteris tribunalibus deleta pulcherrima iustitiæ imago; in vestris viuat, & vigeat. Heù quàm turpe foret si vim patiatur, & integritatem suam deperdat in Ecclesiastico tribunali sanctissima hæc virgo, si Romæ illibata forma iustitiæ est, & in suo decore. Ad vos pertinet, ne per Orbem Christianum in Ecclesiasticis tribunalibus fœdè violetur, nè Præsulum socordia, ministrorum auaritia deformetur. Summo Patri. & vobis incumbit onus, vt illa ad pristinam formam reducatur.

Libertas Ecclesiastica tuenda.

Tandem libertas Ecclesiastica vobis commendatur: Iudices estis Christiani orbis, vt irrumpere in iniquitatem vniuersam valeatis. Scio Deum præcipuum Ecclesiasticæ libertatis patronum, & vindicem; cùm illa opprimitur, impluunt è cælo calamitates, & mala in Principes: Regna cum illa stabunt, sine illa corruent. Mirum quantùm Deus protegit Ecclesiasticæ libertatis defensores. Cõpertum est, Principes dũ prosunt ac illi fauẽt, omnia prospera, & felicia experiri dum illam inficiunt, cuncta turbida, & discriminum plena. Deus Ecclesiam suam liberam, nec vlli subditam iubet, personæ, loca, bona, immunia sint. A bonis incipio. Quæ vindicta in Iulianum Orientis Præfectum, Ecclesiæ Antiochenæ expilatorem? Putrefactis verendis atque visceribus nõ valuit per solitas partes excremẽta egerere, valuit perditam animam cum excrementis per os sceleratum euomere. In personas Ecclesiasticas sanctiones edens Valentianus Imperator omne iudicium Ecclesiasticum his exceptis quæ ad Religionem pertinerent auferẽs, vetuit, ne curiales, originarij, inquilini, coloni, serui, vel clerici, vel monachi fierent. Malo tamen suo expertus est, quàm

Personæ, loca, bona Ecclesiæ sint immunia. Exemplo de bonorum Ecclesiasticorum immunitate. *Baronius anno 362. Chrysost. orat. in gentiles lib. 5. cap. 7.* De personis Ecclesiasticis læsis. *Paulus Diaconus in histor. Rom.*

quàm id Numini displicuerit: ipso anno 452. Aquileam, Mediolanum, Ticinum, alias regiones Italiæ perdidit, perdidisset Romam Imperij sedem nisi Achilæ obstitisset sanctissimus Leo. In locorum immunitatem peccantes Stiliconi Comitis milites, equi hominem quamuis grauissimis insignem criminibus ab Ecclesiâ rapuerunt obnitente Ambrosio. Sed raptores, senserunt protinus Deum vindicem, ludentes feras dum spectat, repentè à leopardis miro saltu locum transilientibus, miserè dilaniati sunt. Innumera addere possem exempla vbi patet iratum cælum in Ecclesiasticæ immunitatis violatores quoquo pacto vel personas, vel bona, vel loca temerantes, sed breuitati consulo. Audiant hoc Cardinales, vt grandi animo illam foueant, illi faueant. Audiant Principes, vt illam lædere maximè extimescant.

In locorum Ecclesiasticorum temeratores.

Paulin. in Actis, Ambros.

Capvt IX.

Paterfamilias

Summi Præsulis character.

ECCLESIÆ vniuersæ Principis, Summi Capitis imago, egregium exigeret penicillum, quo magnâ arte illa delineata exhiberetur Orbi Christiano; Nec pictoribus insolens est, vt post parerga, discipuli dexterâ adumbrata; succedat egregia pictoris manus, qui magni capitis formam, principis vultum, herois maiestatem, excellenti artificio, viuis coloribus, numeris absoluat suis. Cæterum, si mea manus audebit attingere sacrosanctam Pontificis iconem, Sanctorum Patrum coloribus, luminibúsque diuinis, sacrum opus perficiam. Patere igitur celsissima Petri Sedes, si sanctitatem tuam sanctorum pigmentis, & vmbris exprimam. Congruum enim erat, vt composita iam ex Episcopis, Sacerdotibus, Clericis, Cœnobitis, Virginibus, Christi domo Summus Pater accederet, familiam Christi

Ponificis imago, egregium exigeret penicillum, vt olim Alexandri, Apellis, vel Praxitelis petebat.

Cur Pontifici imago delineata?

Greg Naziã. orat. 3. moderaturus, cui, vt *solidæ petræ*, cum Gregorio Nazianzeno loquor, *veluti fundamento, Domini fides innititur.*

Ipsum Numen, æterno suo consilio, post compositos supremos superioréſque globos, post ornatum astris cælum, post depictam tellurem floribus, post pecoris productionem, post volucrum, pennatorúmque procreationem, quorum altera volatu æthera, gressu altera, terram implerent, magnum illud ex puluere excitauit opus, Adamum, qui arboribus, plantis, volatilibus, animantibus, piscibus, toti denique terrarum Orbi, vnus præesset. Sic par erat, vt in Orbe Ecclesiastico, post extructam domum, post adornatum famulitium, post compositam familiam, adesset sanctissimus Pater, qui illam, prudentiâ, consilio, & imperio tàm magno, ac per Orbem terrarum expanso, regeret, *vt ex ipso Orbe, exeundum foret illi*; verbis vtor Bernardi, *qui fortè quanam ad summi Pastoris pertinent curam, exploraret.*

Cur Adam post cæteras creaturas plasmatus.

Quam prorensum Pontificis imperium Bern. de consid. ad Eugen.

Igitur Ambrosium aduoco Mediolanensis Ecclesiæ lucentissimum sydus; qui aureis suis lineis aggrediatur pingere sacrum caput. Affirmat ille Dei sponsam Ecclesiam, de Summo Pontifice, veluti de suo sponso, protulisse panegyrim sacram, quando caput sponsi laudans ait. *Caput eius aurum optimum. Aurum eius, cephas*, vertit ille. (Petro, eiusque successoribus congruit oraculum. Nil enim è sancto capite defluit, quod non sit aureum. Constitutiones, diplomata, Bullæ, præcepta, monita, aurea omnia sunt. A sacro eius solio, veluti à cælo, in mortales impluit aurea quædam gratiarum pluuia. Diceres, ætatem rediisse in Dei Ecclesia auream, aureo sub capite Aurum optimum, Ecclesiasticum regimen, quod nullam errorum, vel prauorum dogmatum scoriam admixtam habeat.

De Summo Pontifice dicitur. *Caput eius aurum optimum.*

Ætas aurea in Ecclesia, sub Pontifice sancto.

Sanctus Ambrosius, Aurum eius *Cephas* dixit, vt Ecclesiasticæ œconomiæ *firmitatem*, *ac præstantiam* significaret. Aurum est, quod firmat Dei Ecclesiam, non illud, cuius sacra fames hominum corda sollicitat; ab hoc enim vacâsse primum Ecclesiæ Patrem, ipsemet contestatur dicens: *Argentum, & aurum non est mihi*, sed charitas in Christi oues, quâ affatim abundâsse Petrum, triplex eius amoris

B. Ambrosio cur dicitur Pontifex aurum optimũ.

Charitas exigitur

amoris confessio comprobauit, hoc auro, vendita à Christo Ecclesia, hoc empta à Petro. Origenes ait. *Cum summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum, veluti super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius, ab eo nisi charitatis exigitur.* Charitas exigitur, quia in charitate firma stat, & in æternum stabit, Christi domus. Nam imperium, facilè iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Sancta hæc charitas, quâ Summus Pastor diligit Christi oues, gliscit magis titulo Patris, cui Præsules Petrum consequentes, vt abblandirentur magis, & serui seruorum, & ministri nomina vsurparunt. Ambit enim seruire quicunque amat.

præcipuè in Romano Pontifice

Origenes cap. 6. ad Roman.

Salust.

Pater dicitur, & seruus seruorum Summus Pontifex propter nimiam charitatem.

Tanta charitate flagrare Christi Vicarium decet, vt non modo flumina, sed ne ipsum quidem mare, extinguere illius charitatem possit. Magno enim Pastori nequaquam præscripti, aut definiti, gregis Dei limites: Oues enim omnes, quæ ad Christum pertinent, suæ sunt. *Pasce oues meas*, Petro dictum. Eleganter Bernardus. *Nil excipitur, vbi distinguitur nihil, non designâsse aliquas; est assignâsse omnes*; Cum omnes oues Summo Pontifici creduntur, tunc ille, mare intrat, tunc ingreditur pelagus, vniuersalem Ecclesiam moderaturus. Acutè idem sanctus Abbas Claræuallensis, hûc refert, quòd, cum cæteri Apostoli, nauigio fretum traiiciant, tantummodo Petrus pede super mare graditur. *Sciens Petrus, quia Dominus est, in mare se misit, sic ad ipsum venit, aliis nauigio peruenientibus. Quid illud? nempe, signum singularis Pontificis Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quoque suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum: Mare enim, sæculum est, & naues Ecclesiæ. Inde est, quod alterâ vice, instar Domini, gradiens super aquas, vnicum Christi Vicarium designauit, qui non populo, sed cunctis praeesse deberet.*

Bern de consid. ad Eug.

Mare intrat, ac super illud graditur Summus Pontifex cum curam omnium Ecclesiarum suscipit Bernard. ibidem.

Cur cæteri Apostoli nauigio vecti, & Petrus graditur super mare.

Oceanum ingreditur qui ad vniuersalis Ecclesiæ clauum assumitur, tum ambulans super aquas charitatis ignem spiret, oportet, ne ille tàm vasto gurgite obruatur. Pontifex maximus, dum moderatur Orbem terrarum, intrabit vndas securus: non lædunt aquæ, sacro pede, illas calcantem: Cùm pergit ad Christum verè terminum, & viam

Cur super mare securus gradiatur Pontifex.

viam hominis. Vestigia sacra ipsis vndis impertiuntur firmitatem. Mobile æquor, stabile instar telluris redditur Pontificis gressu, ad Deum rectâ tendentis.

Quo pacto Christus pusillus in se esse voluit, & in nobis magnus. *Paulin. epist. ad Simpl.*

Non modò firmitatem, sed præstantiam tribuit Pontifici Romano, caput aureum. Christus Dominus, dum vixit humilitatem ambiuit, gestit tamen in membris suis apparere magnus, & in suo Vicario, maximus. Paulin. ad suũ Simplicium scribens, ait: *Christus, sicut in illo ipso homine, quem gessit; ita in nostris mentibus, gradus quosdam corporea dignitatis exequitur, crescit, roboratur, senescit, sed orandus ne nobis, aut iugiter paruulus, aut infirmus, aut pauper sit.* Si horret Christus infirmitatem, pusillitatem, paupertatem in membris, quid in totius Ecclesiæ capite? Præstat itaque omnibus Christianis, vt Summus Pontifex sit Princeps Ter maximus, tum quia sacris infulis, sacroque imperio adornatur; tum vel maximè, quòd totius Orbis à Deo constituitur Magister, Iudex, & Legislator.

Magister orbis Pontifex magisterio, è cęlo tradito. Plato Magistrum voluit vel Deum, vel à diis ortum ducenté. lib. 6. strom.

Vbi à Principatu solium, & Regnum habuit, à magisterio habet sedem, & cathedram, vbi sapientissimè sedeat. Sedem ad docentem pertinere; disertis verbis Augustinus, exemplo Christi docentis turbas, adstruit. Plato tradidit, neminem rectè munus vsurpâsse Præceptoris, qui vel Deus non foret, vel à Dijs ortum suum non duceret. Ita Clemens Alexandrinus. *Si ergo ex Platonis sententiâ aut à Deo, aut ab his, qui à Dijs duxerunt originem, verum solùm disci potest, meritò à diuinis eloquijs eligentis testimonia, iactamus nos veritatem discere, per Filium Dei, quæ fuerunt primo prædicata, deinde declarata.* Quomodò verum ab homine addiscere poterat homo, qui ex Dauidis Oraculo est mendax: Ab impuro fonte puri latices non manant. Nulla vnquam fuit, veri cum mendacio societas, Mendacium, & veritas, expellunt sese, vt lux tenebras. Magistri onus sustinere non potest homo, qui totus oppletur mendacijs, Inhibuit veritas, ne vllus mortalium magistri nomen audiret, ne tantum dedecus sustineret disciplina quale latura erat ab ore mendaci. Pontifex, vt Romanam Sedem ascendit, os illi tribuitur diuinum: Non voce, sed oraculis loquitur. Olim veritas, ne contaminaretur

Magistri onus non sustinet forrè homo, quia omnis homo mendax.

Cur Christus vetuit ne vllus nominaretur magister.

tur in terris, celauit se nube. Ascendit modò in Pontificis cathedram fermè ad cælum, & ad solium in quo tuta residebat. ibi lumen inuenit, humanâ ratione superius, ibi fugatas nebulas aspicit., quæ sanctam temerare possent Cathedram, Sic veritas, quæ in terris firmare pedem non valebat, sustinetur diuino adhibito fulcro in ecclesiastico cælo. Rectè summum Pontificem Damasum S. Ambrosius laudat, *vt Rectorem Ecclesiæ, quem Apostolus ait, esse columnam, & firmamentum veritatis.*

Psalm. 10. Veritas tua vsque ad nubes.

S. Ambr. Damasum appellat columnam & firmamentum veritatis

Omnibus etiam Ethnicis olim exploratum erat, ignorantiæ nebulis, mendaciorum caligine, inobscuratum Orbem terrarum. Frustra inquirebatur veritatis lumen, sub tot densis errorum tenebris. Ad Delphica, ad Ammonis, ad cætera oracula ibant mortales, vt lucem aliquam tenebris suis referrent; Miseri! dum errorum tenebras horrent, in ipsum tenebrarum rectorem, in ipsum mendacij patrem incidunt. Igitur, qui oracula opperiebantur à cælo, reportabant fucata mendacia ab Orco. In veteri Testamento, ne in tenebris, & vmbra mortis iaceret Dei populus, genti Hebrææ, cui tunc tantummodò credita erant eloquia diuina, summus præponitur Sacerdos, cuius in pectore expressa lege *Doctrina, & veritas.* Iussit Deus, vt in illius sinu dumtaxat, reperiretur veritas, in quo summi magisterij infulæ tutò quiescebant. At cùm *Iustitia de cælo prospexit, & veritas de terrâ orta est*, & in antro Bethlehemitico ortus est sol iustitiæ, ac reuelatus paruulis. Ipsa veritas quæ fuerat olim sapientibus abscondita, & iam pridem Prophetarum loquebatur ore, loqui incepit ore suo. Post reuelata mysteria, post manifestata oracula, post firmatam fidem, cùm cælum Christus Dominus remeâsset, terris reliquit Summum Pontificem, verum, ac supremum totius Orbis Magistrum, hoc est, veritatis regulam, qua nec falli, nec fallere posset genus humanum. Sol Christus à Patre, non modò Petro, sed posteris etiam suis exorauit. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Hinc à Chrysostomo, Romana sedes, *Basis solida, ac robusta*, nominatur. Ruinam non timens, basi, tam solidæ innixa. Itaque con-

Gentiles veritatem ab oraculis sperantes hauriebant fucata mendacia.

Cur in Summi Sacerdotis pectore legebatur, *Doctrina, & veritas.*

Veritas à Summo Pontifice, cur deficere non possit.

Romana sedes, Basis solida.

silio diuino cautum, vt in terris Cathedra foret tàm docta, tàm vera, tàm certa, vt, si aliqua in Orbe Christiano implicata oriretur difficultas, Magister adesset, qui Præsules, qui Principes, qui Christianos omnes doceret, à cuius responsis discordare, piaculum foret, à Christo enim habuit Petrus, habuere cæteri Summi Pontifices, diuinæ disciplinæ magisterij infulas; Egregiè Augustinus. *Quis nescit, Apostolatus Petri principatum cuilibet esse preferendum.* *Item sicut in Saluatore erat omnis causa magisterij, ita, & post Saluatorem in Petro omnes continentur: ipsum enim constituit caput eorum, vt Pastor esset gregis Dominici.* A sole iustitiæ illuminatus Petrus, à recta nequit errare. Adsunt horariæ moles, quas & horologium vocant, in quibus tot rotæ, tot sphærulæ, tot artis machinamenta, vt in his componendis, desudâsse artificis industria videatur; his inditus spiritus, motus, & vt ita dicam, vita ipsa; irrequieto enim ambitu sese mouet, à quo cùm paululum subsistat, acuta voce, mortales prælapsi temporis admonet. Sed scrupulosa moles facilè à veritate deficit, vbi dissonat: prolixo errore fallit audientes, turbat mortales, cùm non distinguat tempora, sed confundat, quolibet enim pusillo irrepto puluere, vitiata moles, ipso tinnitu, se deliram ostendit: Quid igitur consilij ad temporis spatia dignoscenda, à quo aberrauit horaria moles? Ad sciotericum, & solarium horologium confugiendum erit, vt temporum interstitia, è solis vmbrâ percipiantur, quæ à vitiato horologio dignosci non poterant; solarium enim semper verum, non fallere, nec falli potest, quippe à sole illustratum, horarum periodum felicissimè indicat, Hoc itaque, omnia componuntur tempora, quæ ad eius regulas sine suspicionis errore optimè distinguuntur. Meâ quidem sententiâ, Antistites horologia horaria in sua Diœcesi dici possunt, quæ si fallacia inderdum, & inter se dissona sunt, petendum tunc solarium, quo dirigantur in verum; A cælo habet illud, quod non erret Summus Pontifex cùm supremo magisterio veritatem à cælo haufit; quâ non Vrbem, sed totum Orbem doctrina sua illustret; Itaque, si omnia horologia à veritate dissonant, solum illud semper verum, nunquam à

A cælo habet Pontifex, quod sit Orbis totius magister.

Pontifex horologium solariū, quod à cælo habet, vt demōstret momenta rectè.

veritate discordans inuenies. Rectè Dionysius appellat Romanum Pontificem, *supremum, & maximè venerandum Theologorum Verticem.* Et in Concilio Ephesino, Summus Pontifex dicitur *solius fidei Caput.* Chysostomus, illum *fidei Basim solidam, & robustam* indigitat. Ruet omnis columna, basi hâc non innixa: ignorabit tempora, & momenta rerum, quæ Pater in Summi Pontificis posuit potestate, qui in temporum ambage, hoc solarium non respicit, sacrum Patrem non consulit. Ex illo enim cælo habetur veritas, quæ mentes, & corda mortalium illustrat.

Adiice Magisterio summam in re iudiciariâ potestatem, vbi controuersia aliqua grauis suboritur, Pontifex aditur, ipse decernit, ipse iudicat. Sanctus Gregorius ait. *Si quam contentionem, quod longè faciat diuina potentia, de fidei causa euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasè dubietas, & pro sui magnitudine iudicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligentiùs veritate, relatione suâ, ad nostram studeat producere notionem, quatenus à nobis valeant congruâ sine dubio sententiâ terminari.* Nullum defectum, eclipsim nullam, patitur sol; qui Petri sedem illustrat. Id exorauit à Patre Christus. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Ad iudicium etiam pertinet, quòd in Romani Pontificis pectore, *doctrina, & veritas* reperiatur. Iudiciaria est illa clauis, quam gestat Petrus in manu, iudicando, aperit probis cælum; claudit improbis. Hilarius huc allusit, Petrum *Ecclesiæ Principem, & cæli iudicem dicens.* His omnibus addo, quòd sanctissimus Pontifex, à quo Orbis Christianus oracula præstolatur sua, quibus dirimat lites; non modò Summus Iudex est; verùm supra mundi Principes se effert ille cùm iudicat. Regali fulgentes dignitate, potestatem habent supra mortalium capita: ille ipsum iudicium infrà se habet, cùm sit *iudicij Dominus.* Scio tantam dignitatem, Deo attributam ab Euangelico vate: tamen non dedignatur ille Vicarium suum, eadem munire auctoritate, qua ipse; dicitur Deus, *iudicij Dominus*, quâ parui, quâ magni Orbis patrator, cum pro arbitratu suo, & punire, & absoluere potest peccantes. Ab ipsis mundi cunabulis, sanxêre fœdera, iudex, & creator,

Summa potestas iudiciaria in Pontifice.

Clauis Petri iudiciaria.

Hilarius Psalm. 131.

Isa. 30.18.

creator, vnum vtrique nomen fuit, dum creat, *Helohim* hoc est; iudex dicitur: ratio dignitatis geminatur in voce vnâ. Hùc accedit quod Deus *iudicij Dominus* indigitatur, quâ Pater est luminum; non enim à Democriti puteo veritatem hic iudex haurit, non illam emendicat ab indiciis, à coniecturis, à probationibus, à testibus, ab ipso confitente reo, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum? Iudicia in semetipsis iustificata sunt, non extrinseco lumine clarescũnt, quæ illustrantur diuino. Pontifex, quà homo, & iudiciis, & testibus, & probationibus indiget. Præmittit illa, vt famulitium, venienti domino; at cùm ad fidei momenta decernenda ascendit, cùm humanitate ex ipsas probationes videtur posuisse; Spiritu sanctô plenus; ex certâ scientiâ, iudicij dominus luce diuinâ illustratus, edit oracula, quæ submissè Orbis terrarum adorat, etsi peruicax quis audeat illa temerare, vt fidei diuinæ reus damnatur, cæteri iudices fidei humanæ innituntur; iudicij dominus, diuinæ.

Psalm. 18.

In canonizationibus Sãctorum Pontifex nõ modo iudex sed iudicij dominus.

Id totum inspice, cùm iustus aliquis in Sanctorum catalogo Pontificio decreto adscitur. præmittuntur probationes, quæ fidem humanam astruunt, ancillantur hæ probationes Pontificis iudicio. Ipse ex certâ scientiâ, lumine diuino illustratus, decernit, vt iudicij dominus; lucem certam, & diuinam afferre probationes humanæ non poterant, affert ipse cum iudicat: semper *iudicij Dominus*. Pontifex cum definit, quæ ad fidem diuinam pertinent, decisiones illius oracula sunt, propè Numen euadit, dum diuina decernit, iudicio ipsi dominatur, non seruit: itaque & supremus iudex, & iudicij dominus Pontifex.

Ex certa scientia non innixus præuiis probationibus iudicat.

Pontifex supremus legislator.

Tandem legislator summus. In Christi familiâ Pontifex ipse, præcipit, leges condit, iussa præscribit: patrem, & principem decet recta domus Dei gubernatio, quæ consistere nequit sine legibus, & rectâ viuendi normâ. Exlex populus, in innumera ruet mala, lex sepimentum, quo in orbita continetur errans gradus: eo allusisse Pythagoram puto, qui Leges appellat, *Ciuitatum coronam*, non modo ad decorem, & ornatum vrbis lex facit, sed circumsepit, ne lasciuiens ciuis incurrat in scelera, coronamentum

Lex ex Pythagora ciuitatum corona.

tum dicitur lex, qua veluti sepimento, nobili gyro circumdantur, & coronantur vrbes.

Adijce, quòd Fons perennis est Romana Ecclesia, à qua sanctæ constitutionum dimanant vndæ. Innocentius Papa, sic ad Patres Mileuitani Concilij ait: *Per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa; semper emanare, præsertim, vbi ratio fidei ventilatur.* Superfluum est, de tanto legislatore, ac legibus verba facere, cùm ipsum ius Pontificium, ipsi sacri Canones, ipsæ Constitutiones, disertissimè loquantur & clarissimè ostendant, quàm rectè ille iudicet, quàm ritè disponat de toto Orbe Christiano.

Romana Ecclesia fons perennis, à qua canones, constitutiones, leges in totum terrarum Orbē. *Conc. Mileu.*

Animus mihi erat, post hæc celsissima Pontificis Romani munera, ad præcipuum quod illi incumbit opus, descendere; nimirum per totum terrarum Orbem fidem Christianam propagare. Sed quia summi momenti res paucis expediri non poterat, de hac fidei propagatione sequentibus capitibus visum mihi fuit diffusè agere.

CAPVT X.

Expeditiones sacræ ad Christianam fidem propagandam, Præcipuum, ac nobilissimum Summi Pontificis munus.

VINEÆ cultum Patrisfamilias, quâ satori, quâ soteri debitum; proh facinus! Protoplasti flagitium, in dæmonis ditionem inuexit, qui scelere humanæ naturæ tumens, in eum se extulit furorem, vt ex affectata in Orbem terrarum tyrannide; audire voluerit, *Princeps Mundi, & Rector tenebrarum.* Cæterùm astu ille sathanico (deorum pluralitatem insinuans mendaci, & sacrilego ore) viam ad impium principatum sanxit. His enim dominari minimè poterat, quos peccare non docuisset? Sathanæ exemplum praui Principes sequuti, vt tutiùs regerent, procurarunt subditos suos superstitiosæ Religionis larua deuincire, vt poli-

Quo pacto dæmon mūdi Princeps audit.

Quo pacto insinuata à dæmone deorū pluralitas.

August. in lib 4 de Ciuit. c. 22. per totum. Principum quare aliqui hæreticis faueant.

ticis loris, adderent diuina. Egregiè Augustinus: *Dicit enim de generationibus deorum, magis ad poëtas, quàm ad physicos fuisse populos inclinatos: & ideò & sexum, & generationes, maiores suos, id est, veteres credidisse Romanos, & eorum constituisse coniugia. Quod vtique non aliam ob causam factum videtur, nisi, quia hominum velut prudentum, & sapientum negotium fuit, populum in religionibus fallere: & in eo ipso non solùm colere, sed imitari Dæmones, quibus maxima est fallendi cupiditas, sicut enim Dæmones, nisi eos, quos fallendo deceperint, possidere non possunt, sic & homines, principes non sanè iusti, sed Dæmonum similes, ea, quæ vana esse nouerant, religionis nomine populis tanquam vera suadebant, hoc modo eos ciuili societati, velut arctiùs alligantes, quò similiter subditos possiderent. Quis autem infirmus, & indoctus euaderet, simul fallaces principes ciuitatis, & Dæmones?*

Ambros. lib. de Paradis. cap. 13. *Iustin. l. contra gentes.* *Tertul. de idololatria in principio.* Idololatria cur crimen principale.

Dæmon itaque, primis parentibus impiè suadens: *eritis sicut Dij*, aperuit idololatriæ semitam, reserauit malorum cumulo fores, indixit claustra, & seras virtutibus, ac humanæ libertati. Rectè, & eleganter Ambrosius: *Licet aduertere idololatriæ authorem esse serpentem, & quòd plures Deos induxisse, in hominum videatur errorem, quadam serpentis astutiâ.* Ad eandem mentem hæc etiam Iustinus martyr: *His verbis Diabolus pluritatem Deorum inuexit, iactis ad idololatriam fundamentis.* His rudimentis, summo scelere natura humana temerata est. Eruditè Tertullianus: *Principale crimen generis humani, summus sæculi reatus: tota causa iudicij idololatria; Nam si suam speciem tenet vnumquodque delictum, & si suo quoque iudicio destinatur, in idololatria tamen crimine expungitur.* Acutissimè ille ad hoc vnum flagitium, scelera omnia deriuauit.

Iob. 3. In circuitu dæmonis velocitas, in perambulatione dominiū expressit. *Dydim. apud Pinedam.*

Cæterùm penè corruerat tota humana natura infando parentum nostrorum scelere. Mortalibus omnibus superbissimus Dæmon imperitabat. Hinc interroganti Numini, vnde veniret, vel quò pergeret, audet Sathan ad summum ostentandum imperium in Orbe terrarum, petulantissimè respondere. *Circuiui terram, & perambulaui eam;* Vbi in circuitu velocitatem, in perambulatione imperium expressit: Dydimus inducit Sathanam respondentem Numini

mini, his verbis: *Cùm aërea, & terrena subegerim, solus mihi Iob aduersatur; ego, illum deposcendi causâ venio.* Vix vnus in gentibus repertus, qui Dæmoni non daret manus, & sathanicæ tyrannidi, virili animo obsisteret. Vix vnus in gentilitate dæmoni obsistebat.

Dæmon, vt Principatum suum adstrueret, tenebrarum horrore inuoluens mortales, fugauit propè ab Orbe terrarum veram veri Numinis fidem, quæ in Palæstinam, malè tuta, ac celata secedens, ibique veluti in exiguo retenta loco à Iudæorum confinio egredi non audebat.

Rex Hebræus trahens in suæ gentis laudem, Orbis totius deliramenta, sic cecinit: *Notus in Iudæa Deus in Israel magnum nomen eius, & factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Vbi quidam. Deus solùm in Palæstina notus. *Psalm. 75.*

Gentes prophanæ, Numinis loco volunt
Sibi quisque quem fixit Deum.
Iudæa, verum nouit, & colit Deum,
Laudatque festis cantibus
Deum Syonis incolam, Solymæ sacris,
Cui templa fumant ignibus.

Igitur Sathan duas potissimum nationes cæteris omnibus minùs desipientes, adegit in sui cultum, Græcam, ac Romanam; studens, vt hæ augerent Deorum suorum numerum ex his viris qui heroicis virtutibus, & illustri aliquo facinore, cæteris mortalibus præcellerent, vt posset mortales, maioribus tenebris fallere, ideò numerati in eorum fastis, Saturnus, Iupiter, Mars, Mercurius. Itaque ex fœminis Venus, Iuno, Ceres, & id genus cæteri; quos ob heroicarum virtutum famam existimauit antiquitas dignos immortalitate. Hinc Roma cum famam miraculorum, & heroicarum virtutum Christi, veri Numinis persentisceret, ad legere illum in Deorũ catalogum Tiberius procurauit. Ita Tertullianus: *Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in sæculum introiuit, annunciatum sibi in Syria Palæstina; quòd illic veritatem illius diuinitatis reuelaret, detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui, Senatus, quia non in se probatum respuit. Cæsar in sententia mansit comminatus periculum accusatoribus Christianorum.* Respuit dæmonum consortium verum Numen; nec de Cæ- Homines cur adlecti in Deorum numerum. Tiberius Christum voluit inter Deorum numerum adscribere.

ſaris mandato, ſed de piſcatorum prædicatione, Roma fidem Euangelicam debebat haurire. Reliquæ nationes, & ritu barbaro, & moribus ſquallentes annumerandæ infra belluas, cum belluis diuinum cultum perſoluerent. Quò alluſit Virgilius canens de hac Deorum colluuie. *Omnigena Deum monſtra.* Eleganter hæc Ægyptiorum numina; monſtra Deorum, indigitantur, quia gens barbara fermè nullum erat animal, quod vel tellus ederet, vel aleret aër, quod ipſa non adoraret. De his Cicero: *Omne genus beſtiarum Ægyptij conſecrarunt.* Adiice ad nationum illarum probatiſſimum dedecus, etiam cœpas, lactucas, id genus olera coluiſſe honore diuino; quod feſtiuè ille irridens, cecinit.

Ægyptiorũ numina Deorum mõſtra appellat Virgilius.

Lib. 3. de nat. Deorum.

Olera adorata pro Numine.

Felices gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis,
Numina. ——

Hac itaque ratione ſatagebat dæmon, vt gens Romana ita Numinum numero implicaretur, vt dum plurima adoraret, nullum agnoſceret. Vrbs vna totum moderatura Orbem omnes circumuoluebat tenebris ſuis. Erubeſcebant cæteræ nationes illa reſpuere Numina, quæ adoraret Roma: quod alto conſilio Numinis permiſſum eſt, vt tota ſuperſtitio Deorum ſimul in vna Roma, veluti in vno corpore expiraret: quò etiam & Summus Pontifex Leo alluſit: *Hic conculcandæ philoſophorum opiniones, hic diſſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum quidquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum.* Roma igitur electa, vt ibi caſtra ſua Dæmon metaret, in fidem Chriſtianam, vbi diligentiſſimos haberet vanæ ſuperſtitionis propugnatores, ibi nactus obſtruendam viam veritati, vbi totus Orbis in vnam Vrbem conflueret. Gentis Hebrææ fides, à qua fax aliqua tot tenebris eſſe poterat, ſub modio iacebat abſcondita, ipſa lex Moſayca infirmata per carnem non poterat aſſurgere ad tam ingens faſtigium, vt ex ipſâ lumen in Orbem terrarum deriuaretur. Non niſi è cælo hoc luminis

Cur Roma tot coleret Deos.

Homil. in Cathed. Petri.

Fides Hebræorum cur non expanſa per Orbem.

minis iubar oriri poterat, quod totum Orbem terrarum illustraret fugatis tenebris obscurissimæ noctis.

Prima itaque expeditio ad Christianam fidem propagandam à Deo adducta est. Pater filium suum misit, vt sedentibus in tenebris, & vmbra mortis affulgeret lux diuina: & fidei Christianæ primordia tellus agnosceret è cælo, vt ait Apostolus, *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, misit filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* Pauli verba explicans Estius ex Hilario ait. *Præstitit per suam gratiam Christus missus à Patre, quod lex per carnem infirma non potuit.*

Prima expeditio ad fidē propagandā à Christo fuit.

8. ad Rom. 3.

Hâc itaque diuinâ expeditione adeò propagata fides Christiana, vt sonus illius in omnem terram exierit expulso dæmone; sic Christus oraculo suo. *Nunc iudicium est Mundi; Nunc Princeps Mundi eiicietur foras.* Tenebras, & rectorem tenebrarum è mundo vnà fugauit Christus. Cecidit à Principatu suo, & à titulo Princeps deturbatus, foras eiectus est è caliginis solio. Acutè, ac fermè scholasticè de hoc diuino triumpho Caietanus. *Ecce materia iustitiæ, & iudicij. Ecce ad quos ius dicitur hic mundo. Ad hoc vt Diabolus Princeps egrediatur foras. Non dicit, diabolus, non, tentator, non, seductor mundi huius, sed Princeps, quia non eiicitur à seducendo, & à calumniando, sed à principatu, non, particulari huius vel illius hominis, ciuitatis, aut patriæ; sed Mundi huius, principabatur enim, & adorabatur, vt Princeps Mundi huius Diabolus ante Christi mortem communiter à Mundo, hoc est, colebatur in omnibus diis gentium, & ab hoc principatu eiectus est, sublato per Christum, cultu eorum ablato ex Mundo, quamuis non ex singulis partibus simul idololatria, & hæc eiectio facta est, iure, non meritorum nostrorum, sed merito Christi communicato hominibus.*

Caiet. hic Ioan. 12. In prima missione à Christo deturbatus est dæmō à Mundi dominio.

Verùm, quod Paulus egregiè docuerat contestatus est Christus oraculo suo, arreptâ enim occasione confluentis ad ipsum turbæ, è Samaria, sic discipulos suos interpellat;

pellat; *Leuate capita vestra, videte regiones, quæ albæ sunt etiam ad messem*; A cælo hauserat hic segetum campus maturitatem suam, noctu legis Mosaycæ euanescebat in gramina, & inanium spicarum cassi vertices per ventorum ludibria, vbi semen amisêre, aërem suo cacumine spectantes, ingrata altitudine, studia agricolarum eludebant, nunquam ad maturitatem, & ad albedinem peruentura seges, nisi affulsisset Sol iustitiæ lumine, & calore suo. Benignitate itaque sacri Syderis sata flauescunt, & opperiuntur messoris falcem. Opportunâ itaque Christus Dominus similitudine illustrauit, quid pater mittens, quid ipse missus, egerint ad fidei propagationem. Redeat Caietanus sic Christum loquentem inducens. *Leuate oculos mentis. Regiones inspicite, non regionem Samaritanorum, vel Iudæorum, sed regiones vniuersas, vniuersorum populorum gentes, quia albæ sunt iam maturæ, & præparatæ in promptu vt metantur; hoc enim sciebat verum esse, non secundùm dispositionem existentem in gentibus, sed secundùm dispositionem diuinæ prædestinationis.* Hâc primâ expeditione complanata fidei semita est. nihil reliquum quod remorari volentem posset, sublatis impedimentis, eiecto foras Dæmone.

A Christo habet Messis quod sit matura; ab homine quod recondatur horrea.

Alba à cælo seges, à tellure, Messorum præstolabatur dexteram, ad quam accurrant ocyus illi ne herbescentes segetes aut obterantur ingrata glacie, aut immoderatis imbribus submergantur, aut rapiantur ab insidiosis auibus. Primum Christus egit efficiendum, alterum homini permisit, sed suo auxilio, ac virtute; Verum. Quo pacto sata flauentia, & matura si adhuc horrebat gentilitas deorum cultu; si nondum iacta semina, quo pacto vocantur messores ad falcem? Egregiè Chrysostomus in Caten. Luc. 10. illustrans verba Christi. *Messis quidem multa; sed qualiter Messem vocat, cum res ad præsens exordium sumatur. Nondum iacto aratro, & sulcis, de messibus tractat; Poterant discipuli vacillare, & dicere, qualiter nos, numerus breuis, emendare poterimus totum Mundum? idiotæ sophistas? munitos nudi? dominantes subditi? Ne igitur consideratione talium turbarentur, vocat*

Chrysost. in Cat. Luc. 10. Cur dicatur Messis matura.

Euange

Euangelium Messem, quasi dicat, parata sunt omnia. Mitto vos ad paratam collectionem fructuum eodem die, & serere potestis, & metere.

Primæ missioni accessit altera, quâ à Patre, & filio, Spiritus sanctus mittitur, quo homo è cœno emersus, cælesti virtute indutus, fermè euadens cælum, & enarret Dei gloriam, & propaget Christianam fidem per totum terrarum Orbem. Aduenit itaque Spiritus sanctus, vt à filio, & ab ipso Spiritu impulsus, ac roboratus homo, valeret expandere Christianam fidem. Egregiè Augustinus verba Ioannis illustrans. *Cùm venerit ille arguet Mundum de peccato. Nunquid Christus non arguit Mundum? An fortè quia Christus Iudæorum tantum genti loquutus est, Mundum non videtur arguisse; Spiritus autem sanctus in discipulis eius toto Orbe diffusis, non vnam gentem intelligitur arguisse, sed Mundum, sed quis audeat dicere, quod per discipulos Christi arguat Mundum Spiritus sanctus, & non arguet Christus, cum clamet Apostolus. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, quos arguit Spiritus sanctus vtique, & Christus, sed dixit ille: arguet Mundum, quasi dicat; ille diffundet in cordibus vestris charitatem, sic enim timore depulso habebitis libertatem.* Accurrit ad sacram expeditionem Spiritus inflammans viscera charitate suâ, vt arguat Mundum de peccato. Accurrit Filius illustrans intellectum sacrâ cognitione, quæ maior exigitur in Prædicatoribus, qui effundere debent sacram fidem per Orbem. Id etiam Augustinus docet; *Non enim æqualiter mente percipitur, etiam quod in fine pariter ab vtrisque recipitur. Ita fit, vt prædicatus ab Apostolis Christus crucifixus, & Iudæis esset scandalum, & Gentibus stultitia; & ipsis vocatis Iudæis, & Græcis, Dei virtus, Dei sapientia, sed carnalibus paruulis, id tantùm credendo tenentibus, spiritualibus autem capacioribus, id etiam intelligendo cernentibus. Illis ergo tanquam lacteus potus: istis, tanquam solidus cibus: Non quia hoc aliter in populis, isti aliter in cubiculis cognouerunt, sed quòd eodem modo vtrique, cum palàm diceretur audiebant pro suo quoque capiebant. Cùm enim Christus propterea sit crucifixus, & in redemptionem funderet sanguinem. De ipso itaque Christo crucifixo,*

Secunda Missio Spiritus sancti.

Augustinus. Cum Spiritu sancto etiam Christus arguit Mundum de peccato.

Idem obiectum diuersimodè pro ingenij capacitate à diuersis percipitur.

crucifixo, & ipsi cibum pro sua capacitate sumebant. Liceat mihi hac nacta occasione monere Theologum, quo pacto res vna ita intelligitur à multis, vt à nonnullis altiùs peruadatur, & quod paruulis lac est, sit adolescentibus & potus. Id etiam in cælo erit, Deus, quamuis totus à singulis beatis visus, non tamen æquè ab omnibus. *Stella* enim à *stellâ differt claritate*, pro singulis impertito glorioso lumine, vnusquisque Deum intuetur; hoc enim est, quod Schola terminis suis ait. *Videtur totus, sed non totaliter.* Redeo. Nulla itaque aderit sacra expeditio, nulla prædicatio futura, vbi Christus non adsit Concionatoris sui preambulo, ad fidem, iter merito, & gratia sua complanans, sic ille datâ fide promisit. *Cùm misit discipulos suos in omnem ciuitatem, & locum, sed quò erat ipse venturus*, id illustrans Gregorius ait, *Prædicatores autem suos Dominus sequitur, quia prædicatio præuenit & tunc ad habitaculum mentis nostræ Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt, ac per hoc veritas in mente suscipitur. Hinc namque eisdem Prædicatoribus Isaias dicit. Parate vias Domini; rectas facite semitas eius.* Quis tali expeditione missus, quamuis inter lupos, alacer non pergat ad messem? Rectè Chrysostomus in Catenâ. *Erat enim inter omnia pericula, eorum solatium virtus mittentis: Hoc sufficit ad consolationem vestram, hoc sufficit ad sperandum, & non timendum superuenientia mala, quæ significat, subdens, sicut Agnos inter lupos.* Expendo, vt sacrâ expeditione tuti pergerent ad sacram messem, operarij, presto adest cum illis diuina mittentis virtus. Sacro itaque Spiritu ducti sacri milites, & Christi virtute muniti, tutò discurrere possunt per totum terrarum Orbem, & afferre salutarem fidem.

Quo pacto in cælo Deus altius ab aliquibus videtur cum omnes totum videant ita vt nil diuinum lateat videntem.

Greg. hom. 17. in Euangel.

Chrysost. Missionarij cum gaudio pergant ad propagandã fidem & cur.

Cæterùm has sacras missiones expedire quibus oppigneratum ipsum cælum diximus, Christi Vicario Summo Præsuli demandatur. Dignum tanto honore opus, Filij, ac Spiritus sancti, ministerium exercere, & obire Apostolicum munus, in omnem terram expandere Christianam fidem. Clamat Paulus ad Summos Pontifices Petri successores. *Imitatores mei estote. In quo præcipuè* subdit Chrysostomus. *Quærere quæ communem omnium comprehendant vtilitatem*

Sacræ expeditiones ad Summum Pontificem spectant.

vtilitatem. Hæc perfecta Christianæ religionis regula. Hic certissimus terminus, hoc supremum examen quod significat Paulus; Imitatores mei estote: Apud Summum Pontificem illibata manet rectæ religionis regula, hac metanda fides totius Orbis Christiani, & qui ab hac recesserit vel hanc excesserit, vt infidelis, ac peruicax arguendus. A sancti Petri Sede, tanquam à lucentissimo candelabro haurire vnaquæque natio debet lucem, tenebris suis; In fidei propagatione stat præcipuũ Apostolici muneris fastigium: In Romana fide firmus consistit Christianus Orbis; In illius propagatione, legat sanctissimus Pater, culmen honoris, ac dignitatis suæ: quæ est, vt totius Orbis saluti consulat. *Maximum, ac perfectissimum bonum illud* aiebat Clemens Alexandrinus, *quando à malè faciendo, & à re malè gesta, ad virtutem, & bonam doctrinam possit quis alium traducere.* Priuati militis est, ciuicâ donari, dum à nece liberat commilitonem suum, Summi verò Ducis est, de totâ fugatâ, fusâque hostili acie, ac deuicto Principe, triumphare. Cùm ex Christi mandato, sit omni creaturæ prædicandum Euangelium, ad culmen Apostolicæ dignitatis pertinet, expedire sacros milites, ad hanc in dæmonem pugnam. Deus ipse fermè reueritus Apostolicã dignitatem noluit nubes soluere, in Euangelicam, ac Christianæ Fidei pluuiam, nisi accedente Summi Præsulis mandato; Vati veteris testamenti permissa pluuia est, quâ maderet tellus. *Non erit, ait Dominus, per annos tres, ros & pluuia super terrã, nisi per os tuum.* Vbi Seleuciensis Præsul ait. *Reueritus est tamen Prophetæ zelum.* Datur Prophetæ siccitatis arbitrium; sed Pontifici Romano potestas facta est, eloquij sancti rorem, doctrinæ pluuiam ita spargendi, vt totius Orbis terrarum euadat Christianus. Reddenda fidei felicitas, ac sua (vt ita dicam) fortuna est, quæ tunc erit quãdo homo abrenunciat Sathanæ; salutari lauacro expiatus Christo iungitur. Cum Origene loquor. *De Antinoo, vel alio quouis istius modi, tùm apud Ægyptios, tùm apud Græcos fides est, vt ita dicam infelix, de Iesu autem felix; & fortunata esse, & explorate accuratéque perpensa videtur.* Ex his expeditionibus felicitas, ac fidei fortuna pendet

Cur ad Pontificem spectent hæ missiones.

Basil. Seleuc. orat. 11.

Deus aliquo pacto reueritus Pontificem.

Origenes

Fides quo pacto & felix & fortunata dicatur.

cum per illam victo Dæmone Gentiles iunguntur Christo, ad eorum perennem felicitatem. Tunc fides felicior, cùm fœcundior; nam *infelix oleaster* à Poëta dicitur, quia sine fructu. Ex insito gentilitati verbo diuino, fides felix, ex oleastro oliua redditur. A Missionibus fidem haurire totam hanc felicitatem, validissimo argumento astruxit Paulus ad Romanos 10. *Omnis qui innocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt. Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo audient sine prædicante? Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* A missionibus igitur, & prædicatio, & auditus, & fides ipsa, & inuocatio diuina pendet.

Arbores fructus non edétes dicũtur infelices apud Varronem, apud Virgilium infelix oleaster quia infœcunda.

Quid non operatur prædicata fides? Æthiopis Reginæ Eunuchum, ante ad gratiam, quàm ad suam domum rapuit. Latronem antequam solueret pœnam, cælitibus annumerauit. Egregiè de vtroque Chrysologus. *Nec minus animat me illius spadonis exemplum, quem fides ante rapuit ad gratiam, quàm currus ad Indiam, domúmque reuocaret.* De latrone. *Accedit, & latronis mirabile documentum, qui tunc rapuit paradisum, quando latrocinij sui pœnas appensus est, vt solueret.* Quid illa operata fuisset nisi missa, nisi prædicata, ad Eunuchum importata à Philippo; ad latrones, ad eum qui patientiâ suâ prædicauit fidem diuinam. Quid mirum si magna illa operatur fides? ait Apostolus. *Sancti per fidem vicerunt Regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij.* Et cætera, quæ Paulus elegantissimè prosequitur, sed annunciata ab Apostolis. *Rogate igitur Dominũ messis, vt mittat operarios in messem suam,* sic hortatur Christus.

Chrys. serm. 61.

Mira quæ operatur fides prædicata.

Heb. 11. 83.

Rogandus Pontifex vt expediat missiones.

Ex diuino mandato itaque Orbis terrarum Summum Pontificem adire debet, & adorare, vt mittat operarios in messem suam. Superioribus æuis desiderabantur fortassis operarij; *Messis quidem multa, operarij verò pauci.* Verùm à cælo legiones, vel meliùs dicam, Religiones aduenêre, ex his delectus fiat, ad sacras missiones: Quot parati (reticeo cæteros) milites ad sacram fidem baiulandam, ex Dominicanâ familia? Quot ex Franciscana: quibus imperatum, vt sine sacculo, sine perâ, sine calceamentis pergant

gant ad secandam Christianam messem? Quot ex Societate Iesu qui ad has sacras expeditiones præcipuo sacramẽto deuouêre se ex sancti Ignatij iussu. Mea Religio, quamuis omnium minima, etiam illa in hac sacra palæstra desudat. Iberiam, Goridem, Caucaseos montes lustrauit, penetrauit etiam ad Indos, gnauiter ad remotissimas gentes baiulans fidem, quanto labore inter schismaticos, hæreticos, Gentiles illam inuexêre? ad singulos athletas descenderem, parco tamen viuentibus. Scio amantibus humilitatem, ingratas futuras sui laudes. Narrabunt consequentes ætates sacrorum militum luculenta facinora, ad æui sui decus, ad Religionis meæ gloriam. Parce Lector, si de Iacobo, de Stephano meæ Religionis Sacerdote, olim mihi familiarissimo subdam aliqua. Piissimus homo medicum corporum se fecit, vt animàbus mederetur; quanta patrauit in propaganda fide hic heros! Caucasea iuga ascendit, Iberiam penè totam lustrauit, Goridem penetrauit; mirabatur Iberia hominem, quem suspiciebat, veluti è cælo delapsum: Goridi templum Apostolorum Principi sacrũ, ritu Romano aperuit, vbi Turcico sermone festis diebus ad populum declamabat, egenus inter pauperes, more nostro oblata, non emendicata stipe viuens; humi cubabat centiculo amictus, pagos ac villas perpetuò peragrans, vt paruulos salutari lauacro expiaret, à dæmonis potestate illos liberans: Græcè, Turcicè, Ibericè, Armenicè, Persicè, rectè, & expeditè loquebatur. Quoties lacessitus maledictis siluit? mulctatus fustibus quieuit? vulneratus, gratias Deo egit? Demùm post incredibilem animarum messem, mortem sibi imminentem prædicens, euolauit, vt piè creditur, ad illam recipiendam mercedem, quam in baiulãda Christiana fide promeruit: (sterilis humus, vbi conditum serui Dei cadauer sensit, albis purpureisque floribus vernauit, propè texens corollam, illibato hominis Dei candori) plurima & mira sunt quæ in illius vitæ relatione, narrat doctus vir è nostratibus Franc. Maria Maggius, ex illo petat lector; sufficiat mihi libasse aliqua; quæ ad fidei expeditiones pertinent. Quibus autem armis præcincta pergat ad hanc pugnam, sacra acies, sequenti capite dicam.

Cuncta hæc cum non dũ approbata sint à sancta Romana Sede volo vt fides illa adhibeatur, quæ adhiberi solet historico pio à quo etiam & ipse habeo.

CAPVT XI.

DE SACRIS EXPEDITIONIBVS.

Quibus armis præcincti sacri Milites pergant ad propagandam fidem.

Missionarij tuti virtute mittentis.

PONTIFICIA auctoritate delecti sacri milites, ad importandam per Orbem terrarum Christianam fidem, alacres sese expediant armis diuinis, & mittentis virtute tuti. Spiritus sanctus quà missus à Patre, sacrarum expeditionum præcipuus auctor, fouet illas virtute, & calore suo, euehens missos ad immortalitatis fastigium, vt fermè à cælo, præsidiati auxilio diuino, annuncient Orbi terrarum Christianam fidem. Petrus hoc spiritu roboratus, cùm priùs minimè ausus esset Christum confiteri, obnitente ancillulâ, professus est illum reluctante Româ. Egregiè Augustinus. *Cùm Petrus acceperit donum Spiritus sancti, quem negauerat prædicauit, & quem confiteri timuerat, non timuit profiteri, priùs exemplo quodam fuerat edoctus, vt, quod fieri conuenerat nosset; sed nondum fuerat virtute fultus, vt, quod nouerat faceret. Instructus erat, vt staret, sed nondum erat firmatus, ne caderet, quod posteaquam per Spiritum sanctum factum est, annunciauit vsque ad mortem, quem negauerat timens mortem*, Petrus Spiritu sancto delectum habente, expeditus ad annunciandam Christianam fidem, fermè laureâ diuinâ decoratus, illius fidei euasit professor, quam pridem confiteri erubuit. Acutè Augustinus, & confessionis, & professionis discrimen innuit, confitebantur illi fidem, qui eam contestabantur voce; sed fermè clanculum, & in occulto. Profitebantur, qui factis, hoc est vinculis flagris, plagis, cruore ipso, palam faciebant Christum Quo sensu idem Augustinus, vt ostenderet haustam à Magdalena nouam virtutem ex osculis impressis Christi pedibus, ait. *Accessit ægra, vt rediret sana: Accessit ad Dominum immunda,*

Spiritus sanctus auctor sacrarum expeditionum quid egit in Petro.

Aug. tract. 93. in Ioan.

Discrimen inter confiteri, & profiteri fidem.

da, vt rediret munda: Accessit confessa, vt rediret professa: Professa quidem, paruipendens obmurmurantem Pharisæum, oblatrantes cæteros, propè fidei euadens magistra, lacrymis, capillis, osculis: palam profitebatur Christum. Nec insolenti vocabulo: Professores scientiarum illi audiunt, qui post exantlatos labores, in scholastica palæstra, curriculo totius disciplinæ absumpto, euehuntur ad cathedram, & ad instructionem cæterorum. Rediit Maria, è Christi vestigiis, magistra illius fidei, quæ ægrè traditur dumtaxat voce, nisi accedant oscula impressa, sparsi crines, profusæ lacrymæ, palam Christi diuinitatem contestantes; Tunc verè magistra Christianæ fidei fuit Maria, cum factis docuit. Optimè Tertul. id firmat in Apologetico. *Nec tantos inueniunt verba discipulos, quantos Christiani, factis docendo illa obstinatio, quam exprobratis, magistra est.*

Aug. l. 50. hom. 13.

Tertul. in Apol. in fine Obstinatio, id est, in patiendo constantia.

Adiice virtuti diuinæ, qua muniūtur sacri milites, ipsammet sacram fidem dulcissimo Iesu nomine, & cruore diuino armatam profligantem hostium phalanges, tantum sonitu suo Elegantissimè Ambrosius. *Iesus Naue, postea quam credidit, statim vicit, dignus qui fidei prælio triumpharet, denique non armis aratus, acies in bello produxit, nec ariete cæterisque tormentorum machinis, sed tubarum septem, Sacerdotum sono, murorum hostilium septa deposuit. Ita bellum immane conficit tuba, clangor, & infula Sacerdotis. Vidit hoc, & quæ excidio ciuitatis remedia desperaret salutis, quia fides vicerat; signa fidei, atque vexilla Dominicæ Passionis attollens, coccum in fenestra ligauit, vt species cruoris mystici, quæ foret Mundum redemptura, vernaret; ita foris nomen Iesu fuit præliantibus ad victoriam; intus spes Dominicæ Passionis præliantibus ad salutem.*

Ambr. l. 5. de fide cap. 4. Fides Christiana, non armis, sed sonitu, ac infula Sacerdotis suorū hostium victrix.

Miles igitur designatus ad sacram expeditionem; paret se ad profitendam fidem, ratus fore se victimam oblatam Deo, & duci ad lanienam, vt fidem Christianam cruore triumphali profiteatur.

Paterfamilias mittens seruos ad Agricolas, vt acciperent fructus, ad carnificinam potiùs illos, quàm ad colligendos fructus videtur expedisse; nam fermè omnes fuère irrisi, lapidati, occisi. Sed quia hæc omnia serena fronte sustinue-

runt, illis triumphus emersit è tormentis. Chrysostomus hom 8.ad Populum; *Nam hoc est, quod maximè Christi virtutē demonstrat, quoniā per talia vicerūt Apostoli, per vincula, per tribulationes, flagella, & extrema mala.* Nunquā hostem superaturi hi milites, nisi tormentis, flagris, lapidibus, ferro ipso probati. Hæc est directa via, qua Prophetæ, Apostoli, Martyres concessere, ad profitendam fidem. Commodum vt statim, ac expedita ad has sacras missiones sit acies sacra, illam martyrij candidatam dicas. Acutè Origen. *Quærere oportet quomodo serui mittuntur ad colonos vineæ, sed ad operari magis.* Satius opere interdum, quàm voce profitemur fidem christianam, sat enim benè operatur, qui tormenta pro veritate patitur.

Chry. hom. 4. ad popul.

Expediti ad missiones Martyrij cādidati. Origenes. Matth. 26.

Isaias Christianos messores ad sacras missiones designatos, vt falce sua metant Christi messem, laudat, vt celeres, pernicésque ad cursum, sed inter montium aspera cacumina fatigatos, detentos, ac propè impeditos; *Quàm speciosi pedes in montibus euangelizantium pacem. In montibus*, ait, vt ostendat imperuias esse, ac asperas semitas, quæ ducunt ad propagandam fidem, quas emetiri oportet destinatos ad sacram messem. Id præuidens Rex Hebræus perbellè expeditiones sacras à domibus eburneis erumpentes affirmauit; Vix enim pedem efferunt Apostolici viri, missi, vt omni creaturæ annuncient Euangelium Christi, ac in ludibria, in verbera, in plagas in gladium incidunt. *Rectè igitur à domibus eburneis* (inquit Hieronymus) *Ebur nisi radatur limis, diuidatur ferris, ac fibulis perforetur, obscurum, & horribile est; sic Apostoli erant, antequam vocarentur, sed postea quam vocati sunt, ferris secti, vngulis rasi, scalpellis scalpti, ac diuersis supplicijs elimati, facti sunt domus Dei.* Ab his domibus prodit Christiana fides, his ferris, his vngulis, his scalpris limata; splendet magis, vt splendore suo illustret Orbem Christianum. Idē & Patris familiâs seruis accidit, vt affirmat Hieronymus; *Posteà misit ad eos seruos, quos illi apprehensos vel ceciderunt, vt Hieremiā, vel occiderunt, vt Isaiam, vel lapidauerunt, vt Nabot, & Zachariam, quem occiderunt inter templum, & altare. Legamus epistolam Pauli ad Hebræos, & ex eâ plenissimè discimus, quid seruorū Domini, & quanta perpessi sunt.* Verùm

Isaias.

Psalm. 44.

Missionarij emergunt à domibus eburneis. D Hieron. in Psalm. 44.

D. Hieron.

Verùm miro modo tunc albeſcit ſeges, flaueſcunt ſata, tumens pondere ſuo apparet ſpica, rident gemmæ in vitibus; ſpondet cælum copioſam meſſem, exhibet illam tellus, cum agrorum coloni, & vineæ operarij patiuntur vincula, cruciatus, mortem ipſam; granum enim in terra cùm periit, pullulat in ſegetem ampliorē. Egregiè Tertullianus, *Nec quicquam proficit exquiſitior quæque crudelitas veſtra, illecebra eſt magis, ſecta plures efficimur, quoties metimur à vobis, ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Et ſic à ſecatâ falce meſſe; gradimur ad arbores, quæ etiam illæ, à ferro hauriunt meliorem vitam. D. Gregorius Nazianzenus, quem S. Maximus lib. de patientia refert, arborem quamdam eſſe affirmat, quæ reſecta pullulat, & cum ferro certat, etſi poëtarum fabulis locum damus, morte ipſa viuit, ſectione germinat, ſuccreſcit decerpta. Ad arborem ſimilem alluſit Horat.

Miſit inter lupos.

Tertull. in Apologet.

Cum patiuntur Miſſionarij pullulant in ampliorem meſſem.

S. Greg. Naz. S. Max. lib. de patient.

Florét in arborem meliorem.

Horat. od. 4. lib. 4.

Duris vt ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes, animumq́; ferro.

Chryſoſtomus illuſtrans à Chriſto expeditam ſacram miſſionem, luporum ſæuitiei permiſſam. *Hinc* (ait) *Chriſti virtus maximè patet, quòd lupi ſuperentur ab ouibus, quæ cum in medio luporum ſint, & hinc atque inde, morſibus luporum lacerentur, non modò non deficiunt; ſed lupus in naturam ouium tranſmutatur: maius certè atque admirabilius eſt, mentem, atque animam aduerſariorum commutare, quàm gladios ipſos ſuperare.* Opprobria ipſa, & cruciatus, quæ milites ſacri ſuſtinuere, verſarunt in meliora mentes infidelium, lupos in oues, Saulum in Paulum commutarunt, patientia, ac laboribus fidei ſacræ inſinuatis, gliſcit ſacra meſſis: ſine illis herbeſcunt ſegetes, vel obrutæ ingrata glacie, vel vitiatæ rubigine, aut aliâ tabidâ lue corruptæ, pereunt, & perit cum illis ſpes tota laborantis agricolæ.

Matth. 10. Chryſoſt. ibi.

Verſant lupos in oues.

Acutiſſimè petiit D. Thomas, cur à Deipara, & à Chriſti præcurſore Ioanne, nulla ferantur patrata miracula, cùm ab Apoſtolis, Martyribus, aliiſque Sanctis legantur innumera: Reſpondet egregiè. *Quia miracula erant ad Chriſti doctrinam comprobandam: igitur ſoli Chriſto eiuſque diſcipulis,*

Cur de beata Virgine, & de S. Ioanne Baptiſta non leguntur patrata miracula.

lis, qui erant bainli doctrinæ Christi conueniebat miracula facere. Baiulantibus Christi doctrinam, præsto sunt miracula, fermè ad succollandum onus parata, quo premuntur Apostolici humeri, fides, non pedibus suis pergit ad barbaras, ac Gentilium terras: tunc nobilior illa incedit, cum sine pedis vsu; sed portata, ac baiulata sanctorum virorum humeris, intrat Ethnicorum viscera. Hieronymus ex versione L X X. illustrans Isaiæ locum. *Fily tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent* vbi L X X. *Filiæ tuæ super humeros portabuntur* sic ait. *Diligentius attendendum est; filij enim, qui robustiores sunt, ipsi per se de longè veniunt; & ad fidem Domini congregantur. Filiæ autem, quæ imbecilliores sunt, & pro fragilitate sexûs necdum in virum venêre perfectum, Apostolorum portantur humeris, vt deferantur in sinum Abrahæ.* Currur triumphali fertur fides, vecta Apostolicis humeris. Quidni superabit totum terrarum Orbem, tanto triumpho: Opportuna, & perbella allusio est, ad baiulatam à Christo Crucem, in qua ille triumphans omnia ad se trahit; de quâ Cyrillus. *Triumphauit in Cruce suâ, aduersariorum cateruas, & malignas potestates enertens,* cum illo triumphârunt, & martyres, Ambros. *Triumphi sunt, Martyrum palmæ.* Designati ad tam sacrum opus, & fidem, & crucem, vnâ portabant, vocati, & ipsi ad triumphum. B. Lucas, vt ægris inueheret salutem, & gentibus Euangelium, Crucem iuxtâ, & fidem tulit, quò alludens Ecclesia canit. *Qui iugiter crucis mortificationẽ in suo corpore pro tui nominis amore portauit.* Euãgelista à mortificatione laudatur, lãguidè ille Euangeliũ prædicabit, in cuius corpore baiulata Crux minimè præcessit. Secunda sãctissima Virgo, sic loquebatur ad Tyrannũ. *Applica ignes, saxa, gladios, flagella, fustes, & virgas, quas tu pœnas intuleris, tot ego glorias numerabo; quot violentias irrogabis, tot ego computabo, palmas.* Inspice Matthæum, vnâ, & fidem succollantem, & crucem, factus vtriusque declamator, & victima. Sic ille audit ab Hyppolito. *Victima, fructus virginitatis.* Iphigenia è regia stirpe lectissima fœmina, suadente Apostolo, illibatum puritatis florem Deo sacrauerat; ad odorem sacri lilij nauseantes Tyranni, agricolam purissimi floris, sacris operantem impiè victimârunt. Ipsemet Christus Dominus:s

D. Thom. 3. p. q. 27. ar. 5.

Fides baiulata intrat barbarorum corda.

Isaia 50. versio. LXX. D. Hieron.

Cyril. in es. num. 5.

S. Ambros. exhort. ad Virgines.

In orat. S. Lucæ.

Adhelm. de Virgin. c. 26.

Hyppol. apud Baro. in Martyr. p.

Matth. victima virginitatis.

minus,& baiulat crucem,& inuehit fidem. Vtrũque Moyses complexus est; De Christo loquens. *Expandit alas suas, assumpsit eos, atque portauit in humeris suis.* In expansione alarum, alluditur ad Crucem; in portatione, ad baiulatam fidem. S. *Hieronymus illustrans Regis Hebræi locum Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* Sic ipse vertit. *Portabit nos Deus salutis nostræ.* Rarò vltrà pergit salus ad remotissimas plagas, nisi summo labore, summóque conatu baiulata. Designatus Paulus ad sacram expeditionem adornatur in vas electionis, vt portet Christi fidem, coram Gentibus, Regibus, & filiis Israël. Hoc vase baiulatum est, sacrum nomen, & ex illo in totum Orbem terrarum verum Numen effusum est.

Moses Deuterон. 32. Christus Dominus baiulãs crucem inuehit fidem. *Psal. 67.20.* *S. Hieron. in p. 8.* Fides baiulanda est ad remotissimas regiones. Paulus electus vas vt baiulet fidẽ.

Magnum illud mysticæ Theologiæ sydus Dionys. Areopagita affirmat, adscitos, ad animarum procurandam salutem, fermè vocatos ad importandam Christi Crucem: vel si mauis dicere, ad illam comportandam cum Christo. *Dei cooperatorem fieri in conuersione animarum, diuinámque cooperationem palam cunctis ostendere, Dei operatio est, quæ palam per nos ostenditur, ministri operationum nos, Christus auctor.* Diuino decreto comparatum est, vt operarij missi ad colligendum ex messe frumentum, horreis cælestibus recondendum; vel ad referendos ex vinea fructus, palato diuino sapidissimos; sustineant cum Christo amarissimam Crucem; Nequissimus mundus sceleris sui se argui non patitur, nisi arguentes rependat Cruce, Qui mella sacra conficere, & fauos suos vindicare à barbara manu cupit; armis aculeum, paratus sit cum illo, & vitam ponere.

Dionys. Areop. cœlest hierarch. cap. 3.

Et spicula cæca relinquunt
Affixa in venis: animásque in vulnere ponunt:

Eleganter Ambrosius compoſuit Sacerdotes apibus. *Qui sicut apes castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cælestis exhibent, aculeum legis exercent, pari enim modo ad sanctificantes suaues, & ad refectionem; seueri sunt ad vltionem.* Aculeata faui protectio, mors illi est. Non deerat aculeus Paulo, qui ait. *Audacius scripsi vobis ex parte, tanquam in memoriam nos reducentes propter gratiam, quæ data est mihi à Deo, vt sim minister Christi in Gentibus, sanctificans Euange-*

Ambrosius serm. 89. Sacerdos in arguendo similes apibus. *Ad Roman. 15. 16.* Paulus in arguendo aculeatus.

 lium

lium Dei, vt fiat oblatio gẽtium, accepta, & sanctificata in Spiritu sancto. Vbi Theophylactus. *Haudquaquam igitur me incusandum existimabitis, si vos appello, & alloquor, exposcit enim sacerdotale hoc meum officium, vt Euangelium prædicem, qua in re vobis vtor pro cultro, estis enim vos hostiæ loco: Quis ergo Sacerdotes insimulabit illatæ iniuriæ? qui nouaculam admouerit ad immolationem iam destinatis:* En tibi ex Theophylacto, quàm aculeatè Paulus Euangelicæ incubuerit prædicationi, qui, & caput cum aculeo posuit.

Theophil. ibi.

Similiter Ioan. Bapt.

Ioannes Christi præcursor, liberè arguit Herodem, vt restituat vxorem marito. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, qui priùs dederat mella, *libenter eum audiebat Herodes, & eo audito multa faciebat*, vt tamen custodiret fauum suum, vitam ipse posuit: Prophetæ, Apostoli, Martyres, dum vel ad messem commearunt, vel ad vineam pergerent, vt exigerent fructus; variis cruciatibus enecti, glorissimè munere defuncti sunt suo.

Hac lege vnusquisque destinatur, ad sacras missiones, vt baiulet fidem, mittuntur enim veluti agni dilaniandi luporum rabie. Clemens Papa epistola ad Ianuarium, animum constantem in fidei prædicatione, & in ferendâ crucei, fermè pertinacem, *victorem* appellat; propè de triumpho securum, quem Ethnici teste Lactantio desperatum dixêre, *desperatos vocant, quia corpori suo minimè parcunt.* Macti igitur virtute ad sacras expeditiones, milites designati, baiulate crucem, profitentes Christi fidem; Deus absoluit, quos Mundus damnat, præmiis cumulat, quos ille punit. Sic vincunt sacri milites, dum apparent victi, & cum indigitantur desperati, spes illorum immortalitate plenissima, firma manet in cælo: rubricant palmarem vestem, ad triumphum, cùm sanguinem triumphalem effundunt.

Lact. l. 5. cap. 9.

Christiani dicebantur desperati & cur?

LIBER

LIBER QVARTVS,

SACRA

ALIQVOT EXPENSA;

De quibus ſymbola in parabola de Vinea.

Indiculus Capitum huius libri.

LIBER

LIBER QVARTVS.

Ædificauit Turrim.

Turris symbolica Templum.

CAPVT PRIMVM.

De Templo, ac sacro eius ritu.

FORMOSAM Turrim in medio vineæ à Patrefamilias ad sui delicias, ad domesticorum commoda, ad frugum tutelam excitatam; Vmbram fuisse sacrarum ædium affirmat S. Hieronymus his verbis. *Haud dubito quin Turris Templum sit de quo ait Michæas & Turris nebulosa filiæ Syon. Turris nebulosa propter præsentiam maiestatis latentem nobis in Templo.* In Templis enim Numini paratur habitatio, orantibus domus, virtutibus promptuaria. Felicem turrim Paradisi æmulam! Qua Deo in terris si non nobilis, & vrbana, rustica tamen, & deliciosa domus ornatur. Cæterùm in maximum mortalium decorem cedit, quòd humi Deus nasci, adolescere, & mori volens, post repetitam cælestem aulam, amet in terrenâ domo latere, & vsque ad sæculi cōsummationē rusticari in suâ turri.

Hieron. in Catenabis.

Templum rustica sed deliciosa Dei domus.

Immensum Numen vbique esse; quis in dubium reuocabit? Veritas non modò Christianis religione sacra, sed Ethnicis etiam exploratissima, & Poëtarum fabulis decantata,

Deus vbique est, & quomodo.

Etiam apud Ethnicos hæc veritas nota.

Clemens Alex. l. 2. Stromat.

Fora sunt Iouis omnia plena
Compita, cum pagis, omnes cum aquore portus
Omnes aquè vtimur Ioue, nos ex partibus omnes.

Ad eundem sensum Euphorion, atque Æschilus apud Clementem Alexandrinum,

Iupiter est æther, est terra Iupiter,
Cælúmque & omnia Iupiter, & si quid supra.

Cur Persæ Ioui non admittebant Templa.

Cicero l. 2. de legibus.

Idcircò Persæ negabant soli, quem Iouem suum dicebant; admittenda Templa, quippe putabant indignum, quod tanta maiestas vllis tectorum angustiis coërceretur. Ad eandem mentem Cic. lib. 2. de legibus affirmabat *non esse parietibus includendos Deos, quibus omnia deberent esse patentia, & libera, quorum hic Mundus omnis Templum esset, ac domus.* Ipsa Roma primis annis, ritu Persico, Templis Deorum & statuis caruit: Numina culta tunc in lucis, in siluis, in editis montibus. Ita S. August. lib. 4 de Ciuitate Dei cap. 36. Rectè tamen fideles sacra Templa excitant Numini, tanquam habitanti in ipsis. Vinea namque tota est sub patrisfamilias potestate, quà operator, quà moderator, quà Dominus, habitationem verò solummodo in turri habet. Vbique terrarum Deus est, quà præsens, quà potens, quà existens, sed illius habitatio, & domus, in Templo est. Eleganter, & acutè S. Hipponensis Præsul Augustinus. *Illud est mirabilius, quòd cum Deus vbique sit totus; non tamen in omnibus habitat, non enim in omnibus dici potest, quod ait Apostolus, Nescitis quòd Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Vnde falsum est, vbique esse Deum per Diuinitatis præsentiam. Propter hanc enim Dei habitationem, vbi proculdubio gratia dilectionis Dei agnoscitur, non dicimus Pater noster, qui es vbique, cum & hoc verum sit, sed Pater noster, qui es in Cælis, vt Templum eius potiùs in oratione commemoremus.*

Mundus totus Deo Templum. *S. Aug. l. 4 de Ciuit. Dei cap. 36.*

Aug. epistol. 57. ad Dardanum.

Quo pacto speciali modo Deus in Templo esse dicitur.

Pari ratione Deus in Templo, ac in cælo.

Psalm. 135.

Pari itaque ratione Deus in cælo est, ac in Temlo. Templum æquatur cælo, in vtroque adoratur Deus, sed in vno cælatim, & sub velo, in altero explicatè, ac in maiestatis throno, Manus supplices, quæ attolluntur ad cælum, extenduntur etiam ad Templum: vtrumque eadem præsensentia venerandum. Rex Hebræus ait: *Extollite manus vestras*

stras in sancta, sed iam pridem Moysi demandatum, *Extende manum tuam in cælum.* Templo, ac cælo idem exhibendus honor, & cultus. Reuela Numinis vultum, Templum erit Cælum: Vela cælum redibit ad Templum. De vtroque D. Bernardus; de visione, & schola Iacobæa loquens. *Terribilis ait est locus iste, & omni reuerentiâ dignus, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli sancti frequentant, quem suâ quoque præsentiâ Dominus dignatur.* Aperta, & complanata Angelis semita est, à Cælo ad Templum, à Templo ad Cælum: ascendunt, & descendunt illi, eandem venerantes Dei Maiestatem, in culmine scalæ cælum, in imo, Templum, in vtroque habitans Deus.

serm. 2. de dedicatione Templi.

Angelis cõplanata via à cælo ad Templum.

Ipsamet Christiana pectora, Templa Dei viui dicuntur, quia in ipsis cælestis gratia ex inhabitante spiritu effusa est. Potissimùm in sacratissimâ Christi carne, splendidissima elucet Templi ratio. Hinc & Templum Christus Dominus, corpus suum nominat: *Possum templum hoc destruere, & tribus diebus reædificare illud.*

Christianorum pectora Templum Dei dicta & cur?

Matth. 26.

Natura cùm non posset dignum Deo Templum attollere, aduocauit gratiam, quæ compaginans Christi corpus, dignas Deo ædes excitauit. Eleganter S. Ambrosius: *Verè Templum Dei Christi corpus, in quo est nostrorum purificatio corporum. Verè Templum Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit esse contagium, sed ipsa pro delicto totius Mundi fuit sacrificium. Verè Templum Dei caro illa, in quâ Dei imago fulgebat, & plenitudo corporalis inhabitat, quando ipse Christus est plenitudo, ergo ad ipsum spectat, Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*

Ambrosius in Psalm. 48.

Christus Dominus Templum Deo dignũ.

Exultat gratia se Deo tale ædificâsse templum, natura famulante: vbi pulcherrima, & originaria æterni parentis imago adoratur, vbi hostia offertur digna Deo; vbi tantus lucis candor, vt præ illo, & astra praua, & cælum cœnum appareat; & quod ad spem mortalium erigendam maximè facit, Templum misericordiæ inscribitur. Festinent itaque peccatores, ægri, miseri, æstuantes miseriarum pelago veluti ad sacrum portum, ad portum salutis, vt redeant iusti, integri, felices. Adiice quòd ab huius sacri Templi foribus, suauissimus pendet titulus, &

Christus Templum misericordiæ.

omninò mortalibus salutaris. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.*

Virgo Maria Dei Templum.

Post Christi Domini, excitatum à gratia Templum, ausa est ipsa, & alias parare sacras ædes, Deo non indignas, Virginem efficit matrem, vt in eius vtero haberet Christum, in anima plenitudinem gratiæ; in vtroque, veluti in sacro Templo Deum. Eleganter idem Ambrosius: *Possumus per Templum Dei, Beatam Mariam intelligere, & Templum, apertum, quia in ipsa visibilis factus est Dominus Iesus Christus.* Sacro huic Templo nunquam oppessulatæ fores, nunquam clausæ ianuæ peccatoribus sunt apertissimæ, par enim erat, vt quæ cæli cardines recludebat iustis, reseraret in terris, Templi ianuas peccatoribus.

Ambr. in c. 11. Apocal.

Sacro huic Templo nunquam oppessulatæ fores.

Quot iusti sunt tot Templa Deo excitata.

2. Cor. 6.

Tandem gratia artifex facta peritior, quot iustos effecit, tot excitauit Templa Deo: *Nescitis quòd Templum Dei estis vos?* Quæ, non reformidant impiorum hominum, ac Dæmonum arietes, at semper impauida, ac tuta, ad quemlibet hostilitatis impetum facta. Lucia Virgo lectissima, vt in lupanar deferretur iussit sæuus tyrannus, at gratia, quæ eam sacrauerat in Templum, firmauit fermè in immobilem columnam, contra debacchantium carnificum impetum; quousque ipsum Templum verteretur in victimam, vtrumque peractum, cum ignis vnum & alteram in odorem suauitatis hausit. Sic & cæteri omnes iusti, vt Templa nobilissima Deo dicantur.

Lucia virgo quo pacto Dei Templū.

Templa sumptuose in Dei honorem ædificata.

Pari ratione, qua gratia, causa est, & natura, arte humana accedente, ingentes moles in Dei honorem attollere. Templa excitare, vbi multus lapis, ac marmor eminet, vbi purpura, & aurum, & argentum lucet, vbi gemmæ splendent: vbi florum multitudo halat odorem: Domus Dei nobilis ornatus, accurrit tamen gratia, & mortalium consilio excitatas ædes, sacras facit, & Dei sedem: Pulchrè D. Bernardus. *Quid enim lapides isti potuerunt sanctitatem habere, vt eorum solemnia celebremus? Habent vtique sanctitatem, sed propter corpora vestra, corpora vestra esse sancta quis dubitet, quæ tēpla sancti Spiritus sunt. Itaque sancta sunt animæ propter inhabitantem Spiritum, sancta sunt corpora propter animas, sancta etiam propter corpora domus.*

Serm. 1. de dedicat. Ecclesia.

Cur sanctæ dicuntur Tēpla materialia.

Deum

Deum sanctissimas has istas ædes incolere, ipsa diuina operatio comprobauit. Dei proprium est operari nostram salutem, & in hoc operosum esse Numen, liquet præcipuè in Templo. Adsciti etiam administratorij spiritus, in ministerium nostræ salutis. Egregiè idem S. Bernardus. *Adam positus est in Paradiso vt operaretur, & custodiret illum: sic secundus Adam in Ecclesia, in horto deliciarum; siquidem deliciæ suæ cum filiis hominum.* Cùm operatur salutem nostram, tùnc deliciatur cælestis Adam in Paradiso suo. O quàm pulchrè stipatus liliis, coronatus rosis, laureatus floribus; modò studet, vt arbor iuxta fluenta plenissima posita, fructum edat tempore suo; Modò putat, fouet, fodit vites, nec vt syluescant patitur, & in fructus erumpant degeneres, & Paradiso indignos. Modò oleastris hospitalem facit oleam, vt ex eâ oleum quo æternùm splendeant exprimatur, & virgines plena lampade exeant obuiàm sponso. Sed præcipuè nobili huic hortulano de fructu vitæ cura est, & de corde humano, à quo homini spiritus, & vitæ deriuant: Hoc pomum in manu huius Agricolæ perpetuo est, illius fermè non modò Agricola, sed figulus est, vultque factitium illud esse atque ad genium suum efformatum, *fingit singillatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorum.* Innumera sunt, quæ sanctus hic Adam molitur in hoc suo Paradiso. Rectè Basilius: *Assistunt Angeli verba describentes: Adest Dominus affectus intrantium considerans. Preces cuiuslibet Deo manifestæ sunt. Alius ex affectu tantùm orat, alius scitè, & prudenter Ecclesiam quærit. Quidam perfunctoriè, nec acri attentione, summis labris verba loquitur.* Hæc omnia attentissimè intuetur Deus, & inspicit è suo domicilio. Ob hoc firmo, & perpetuo aspectu, factum Templo nomen, à tuendo, vel intuendo, illud dicitur; ita Varro. *Quaqua intuerant oculi, à tuendo Templum dictum* Quocircà cælum, quà tuimur esse illud Templum dictum, Ennius.

Contremuit Templum magnum Iouis altitonantis.

Et Settimius hymno in Ianum, quia bicipiti fronte omnia videt, hac ratione dicit excitata fuisse illi plurima Templa.

Templa domus vbi Deus operatur nostram salutem.

Serm. 2.

Aduolant Angeli in ministerium nostræ salutis missi.

Deus vult cor nostrum factitium atque ad illius genium elaboratum.

Psal. 32. 15.

Homil. 5. in Psalm. 28.

In Templo à Deus: eo Angeli adsunt affectus intrantiũ Templum metãtes.

Templum à tuendo dictum.

Varro l. 6. de lingua latina.

Ennius.

Iane Pater, Iane tuens diue biceps biformis.
O chare rerum sator, ô Principum Deorum
Stridula cui limina, cui cardines tumultus,
Cui reserata mugiunt, aurea Templa Mundi.

Prouerbium *Oculus, Domini in agro fertilissimus.* Fertilem esse agrum ex domini oculis, in prouerbio est, quanto magis ex diuinis luminibus, dicam fertilissima sacra Templa? Ab hac specula Numen aspicit mortales, vt eorum miseriis munificentissimè prospiciat. Deus mortales aspicit vt illis prospiciat. Immunes à miseriis sunt sedentes in Templo, qui illud ingrediuntur iam misericordiarum multitudinem tenent, *Ego autem*, canebat Vates Regius, *in multitudine misericordiæ introibo in domum tuam.* *Psalm. 5.8.* Innumera sacris in ædibus præstita beneficia, ipsa appensa anathemata loquuntur, in ipsis pictis tabulis leguntur. Ab hac speculâ sponsus sponsam amantissimè aspicit, per fenestras, & per cancellos prospiciens. Has turres nulla tonitrua feriunt, nullæ iræ, nulli timores sacram ædem deformant, ibi tantùm suauitates, deliciæ, & meri amores. Hæc omnia in Dei Templo agnoscebat Rex Hebræus, cum sua cythara dulciter canebat. *Vt videam voluptatem Domini, & visitem Templum eius.* *Psalm. 26. 4.* Concinit Vates Euangelicus. *Lætificabo eos in domo orationis.* *Esai. 56.7.* Templum Dei voluptas & deliciæ. Ethnici vrgentibus vel propriis, vel communibus malis, properabant ad templa, quorum pauimenta ipsa putabant sibi salutaria. Ipsa Templi pauimenta salutaria sibi putabant Ethnici. Ad depellendum pestem, quæ Romæ grassabatur, naufragantes, ac penè obruti sæculi vndis ad Templa confugiunt, vt caput attollant à sæculi æstu, & confragosæ ratis reficiant armamenta. Hinc Chrysostomus sacra Templa *portus spirituales* dixit, quò, qui tuti appellunt, deosculantur sacram arenam. *Chrysostomus hom. 24 de bapt. Christ.* Templa portus spirituales.

His locis putauit Antiquitas affixa beneficia diuina, & Deos, quos noxiolos in Vrbe haberent, in Templis rebantur propitios habituros; In Templis fermè affixa beneficia. Hinc religione in furorem versâ, vt Deorum compescerent abitum, vinculis, ac catenis onerabant sua Numina, sperantes illa etiam iniuriis, & contumeliis lacessita, dummodo in Templis permanerent, benefica habituros. Gentiles vt placarent Deos suos vinciebant loris. De Tyriis dubitantibus ob iratum Apollinem, & Erculem discessurum è suo Templo, hæc refert Curtius. *Curt. Lib. 4. de ruit. Alex.* *Aurea catena deuinxere simulacrum, araque Herculis,*

culis, cuius Numini vrbem dicauerant inseruêre vinculum, quasi illo Deo Apollinem retenturi. Non contenti vincisse Deos catenis, voluerunt & carceribus mancipare, Templa vertentes in carceres; itaque illa vittata, ac oppessulata tenebant, quò Deas, Deosq; etiã inuitos cogerent ad templa quasi ad vincula damnatos: ad hunc morem allusit Papin.

Pande fores superum, vittataque Templa Sabæis Papinius.
Nubibus, & pecudum fibris spirantibus imple.

Sic vittis laneis cingebant Templa, putantes in his circumseptos Deos, & omnino præclusum illis ad fugam aditum. Ad hanc mentem Cyrillus Alexandrinus inducit verum Deum sic ad Hebræos loquentem peregrinis superstitionibus irretitos. *Ego illos honestaui, illi verò eò insipientiæ deuenêrunt, vt vestimenta sua ligantes funibus velamina facerent adhærentia altari.* Eò etiam & Liuius collimauit. *Laudque cum integumento, quæ Ioui apposita fuit, decidit.* Adebant etiam & plumbum, vt magis Deorum simulacra figerent templis.

Cur Templa vittata.

Comm. in Amos.

Titus Liuius l. 40.

Suffusóque in vestigia plumbo.

Tanta his sacris locis Religio, vt tunc noxiosos Deos putarent propitios, cùm in illorum cultum excitarentur sacræ ædes: A Diis enim his beneficiis delinitis, nulla timebant mala, nec vlla sibi formidabant aduersa. Hinc cautum in Vrbe Româ, vt extrà Vrbis pomæria, Templa construerentur Timori, Pallori, & Paupertati, sperantes tunc ab his bona, cum procul essent ab Vrbe, & à Ciuium laribus. Vitruuius iubet, Templa Diis tutelaribus ædificanda in celsissimis locis, vnde vrbis mœnia conspicua forent, ferè castrorum subitura vices, tutiores vrbes existimantes à Templis, quàm à mœniis, vel à castris. Prophanum monitum, quod sacrum fecit verbis suis, Rex Hebræus, de vero Numine sic loquens, *Nisi Dominus ædificauerit Ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Quod etiam prauus poëta his versibus non prauis cecinit:

Prudent. Symph.

Templa excitata vt Deos noxiosos redderẽt propitios.

Templa cur extra pomæria ædificata Timori, Pallori, Paupertati.

Vitruuius.

Psalm. 126.

Ni cœpta Dominus iuuerit, frustra
moles superbas adtum.
Ni Dominus vrbium seruet, incassum excubat
muris vigil custodia.

Vitruuius. Iuuet etiam Vitruuij verba hîc appendere, *Ædes verò sacræ, quorum Deorum maximè in tutelâ ciuitas, in celsissimo loco ædificentur, vnde mœnium pars maxima conspici possit.*

Vrbes tunc tutæ quando in tutela Numinis. Tunc rebantur Romani futuram sine discrimine Vrbem, cum Deos suos prospicientes mœnibus haberent. Quis enim vrbi timor, cum eius confinia Deorum haberent domicilia, qui sarta-tecta custodirent omnia?

Honor habitus Templis & cur. Hinc à mortalibus honor maximus ædibus diuinis habitus, quas cùm ingrederentur, sacer horror perfundebat ingredientium membra, cùm cogitarent se Numina in propriis laribus inuisere, quos nemo audebat penetrare pede calceato, quod & religioni Christianis fuit. Proclus ait, *Adeamus cum fiducia si lubet ad sanctificandum huius secundi tabernaculi locum, soluto mortali calceo.* An hic ritus à sacris deriuauerit ad Ethnicos, vel ab Ethnicis ad sacros, incertum est, affirmat Cyrillus, *Soluere calceamenta iussit Moyses, illum sacrorum institutorum interpretem, ostendens nondum purum esse, neque omnino à corruptione, atque mortuorum operum qualitate liberam vitam illius, quæ ex lege ducebatur incessu; in quo autem reliquiæ corruptionis, ac mortalitatis insistant; cùm nefas esset ad Deum accedere, id Gentilium consuetudine, diuinus ille Moyses didicerat. Neque in Templa adibant pedes calceati calceis exanimatorum animantium pelle contectis, id enim ex eorum legibus inter immunditiæ genera recensebatur.* Tamen parce vir tante. Quid Moysen ab Ethnicis didicisse asseris quod ex ore diuino excerpsit? Nonne ad illum vox Numinis à Rubo detonans, *Ne accedas huc, solue calceamenta, locus in quo stas terra sancta est?* Ad inhabitantem in æde sacrâ Deum, pede nudo accedere lex è cælo verat, & diuino oraculo cautum in disciplinam mortalium, vt submisso cultu, magnáque reuerentiâ, sacra Templa adirent. Quò etiam pertinent lustralis aquę sacri fontes præ basilicarum foribus appositi, hâc aquâ dealbati fideles, expiatis labeculis excitantur ad diuina, vt pede mundo, & purâ mente inhabitantis Diuinitatis locum intrent.

Procl. orat. 6. Antiqui ingrediebantur Templa nudis pedibus.

Cyrill. lib. 2. de adorat. Soluere calceamenta in ingressu Templi an prophani ex sacris, an sacri ex prophanis excepere.

Exod. 3.

Cur aqua lustralis & sacri fontes præ foribus Ecclesiæ.

Cæterùm; in hoc etiam Templum exæquatum cælo dum nemo nisi purgatus flammis intrat cælum, nemo nisi candi

candidatus frigidà intrat Templum, vt sic, & Cœlites, & terrigenæ in ingressu sacrarum ædium, vnà canant, *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Ad purgantem ignem allusit mos antiquus, qui ex auro purissimo Templi fores exornabat, vt de Alexandrino Templo Chronicon illius vrbis testatur. Ad vndas allusit Chron. Alex. delubrum, quod in Templi vestibulis aspiciebatur, ita dictum ab aquarum fontibus ibi appositis. Cæterum à loci dignitate factum vt sacræ fidelium preces nescio quam pulchritudinem ac decorem hauriant, & pulchriores in Pulchritudo conspectu Numinis niteant orationes in sacris ædibus fusæ, quàm in domestico lare. Hanc nouam, & accedentem ex sacro loco orationi formam aduertit Rex Hebræus, *Domum tuam decet sanctitudo*, vertunt alij, *Pulchruit sanctitudo*, eadem sanctitas pulchrior in Templo quàm domi, ea lem oratio formosior in sacris, quàm in propriis ædibus.

Pulchritudo & decor aliquis sacris precibus à loco sacro. Psalm. 65. Psalm. 92.

Halat sanctitatem sacer locus, cum ex D. Thomæ probabili placito expientur animæ labeculæ in sacris ædibus. Latet cælestis ignis excitans amoris flammas in fidelium pectoribus. Non Vestalis virgo est, quæ nutrit hunc ignem, sed Angelus tutelaris, & perpetuus sacri Templi incola. Huc accedit sacra Præsulis manus Numini dicans, & sacrans locum, quò in celsiorem formam, & in Dei ædem attollitur, varium marmor, & congestus lapis ibi indita Dei virtus, quà preces cælum ascendunt, quà descendunt gratiæ; contritis sceleribus accensa amoris diuini lucidissima flamma. Macch. 3. *Verè Dei virtus quædam in loco ipso: qui habet in cælo habitationem, visitator & adiutor est loci illius.* Etiam Ethnici expetebant sacram Antistitis dexteram ad sacranda fana, ne prophana dicerentur:

D. Thom. 2. 2. q. 84. ar. 3

Templi dignitas à sacra Præsulis manu sacrante.

Hinc augusta nitent sacratis munera Templis
Aurea Phœbeis certantia lumina Templis.

Marc. Mars. Astron. lib. 5.

Et ipsi sperabant salutem ex Numinis præsentiâ in suo Templo; patet ex pictis, & appensis tabulis,

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Fixa docet Templis multa tabella tuis

Tibullus.

Proh facinus ad Templum, & Præsulis dexterâ sacrum, & Numinis habitatione sanctum, & effusis beneficiis conspi-

Inuectiua in non frequentantes Templa.

cuum, Christiani hac præcipuè tempestate suis contenti penatibus desertũ relinquunt, vt cum Vate sacro ipsæ Templorum semitæ lugeant, *Viæ Sion lugent, eò quòd non est, qui vadat ad solemnitates.* Primores viri ferme indignati sacra adire Templa, ædiculas domi suæ parant, in sacrarum ædium desolationem. Egregiè Chrysost. *Domus priscis temporibus Ecclesia erat, nunc ipsa Ecclesia in domum redacta est.*

Thren.1.

Chrysost. homil. 74. in Matth.

Verùm magis ingens, & atrox facinus in ætatem nostrã Christiana prauitas contulit, vt domum orationi, domum turpium negotiationum faciant. Clamat Chrysost. *Multi ad formas mulierum aspiciendas, ad tantum flagitium attendis imminentes animaduersiones è cælo. Non mireris quomodo fulmina vndique non deferantur, quomodo cuncta funditus non euertantur, hæc non fulminibus solùm, sed etiam gehenna supplicio dignissima.* Hinc probum antiquis consilium, in sacris ædibus separare à mulieribus viros, pariete medio, & quos Numinis præsentia non compescit, cogat ex ligno paries. *Oporteret quidem interiori pariete viros à mulieribus disseparari. Verum quoniam non vultis necessarium esse, patres nostri putauerunt saltem his ligneis parietibus vos disseparare.* Antiquum sanctorum Patrum ritum nos Clerici Regulares in nostra Templa instaurauimus, his ligneis parietibus puritatem munientes aduersùs lasciuientium iuuenum væsaniam. Luget lacrymis amarissimis Chrysostomus, suis temporibus Ecclesiam in ipsa Ecclesia non reperiri. Quippè deformatum negotiationibus, illic forum ad lites, emporium ad nundinas, compita ad murmurationes, reperitur, vna non tamen reperitur Ecclesia. Declamat sanctissimus Præsul, *Multi pergunt ad templum Domini, non vt orent, sed vt negotientur, vt ciuilium, domesticorumque negotiorum sermones faciant. Vnde cætera faciliùs in Ecclesia deprehendas, quàm Ecclesiam ipsam.*

Inuectiua in pergentes ad Ecclesias vt pulchritudinem mulierũ lustrent.

Chrys. hom. 74. in Matth.

In Ecclesia locus mulierum ac virorum dicitur.

In Ecclesia non reperitur Ecclesia.

Chrys. homil. 38. in epist. ad Corinth.

Finio cum Tertulliano, & quod ille de gentilium fanis, vtinam in nostra Templa ad Christianorum dedecus non possimus detorquere, *In Templo adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque æditüorum vt sacerdotis tabernaculis sub iisdem vittis, & apicibus, & purpuris, & thure flagrantem libidinem.*

Tertullian. in Apolog.

CAPVT

CAPVT II.

TORCVLAR SYMBOLICVM.

Altare Deo sacrum.

SACRAM Templi maiestatem, ad augendas Altaris laudes deriuare, haud mihi animus est; cùm, contra, Aræ & decorent laudibus, & nobilitent victimis, & illustrent facibus ipsa templa. Extructa enim periti artificis manu templa sunt, vt numinum Altaria, quæ antiquitatis incuriâ vagabantur incertis sedibus, decentiori cultu, firmas, ac statas inuenirent in sacris Ædibus. Porrò ipsemet, vel florum, vel frondium, vel luminum ornatus, quo prisci decorabant aras suas, vt in campis ac in syluis squallebant syluestri horrore, sic nitescebarit in Templis pompâ diuinâ, lucernæ, faces, funalia, quæ penè innumera apposita aris, non tantùm lucem impertiebant syluis, sed & saltibus nomen luci, quò fortassis Poeta a'lusit.

Aræ templis antiquiores, ac nobiliores.

Ab lumine, quo fulgebāt aræ, & saltibus luci nomen.

Festáque pallentis hilarent Altaria luci.

Stat. 3. Syl.

cultu nobiliori illustrabant templa. Ab aris igitur sacra Templa, & lumen, & cultum, & decorem habuêre.

Cæterùm adumbratam Altaris dignitatem in symbolico Torculari ferè omnes Patres cum Hieronymo sentiunt, quorum tamen auctoritatibus, rationum pondera Ericius, & Euthymius addidêre: *Torcular*, ait ille, *quia sicut in Torculari vua exprimuntur, sic in Altari hostia immolantur.* Addit hic, *Torcular est Altare, in quo sanguis Christi effunditur.* S. Augustinus ex sancti altàris dignitate, quanta sit Martyrum apud Altissimum existimatio, ingeniosè dimetitur. In altari enim sacra eorum lipsana tumulata in pace quiescunt. Expendens Apocalypsis oraculum: *Vidi sub altare Dei animas interfectorum.* De sanctis Innocentibus sic fatur: *Quid reuerentiùs, quid honorabilius dici potest, quàm sub illâ arâ requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in* quâ

Torcular, altare.

Hieronym. in catena hic.

Eric. & Euthym. in cat.

Cur sanctorū corpora tumulata in Altari.

S. Augustin serm. de SS Innocentib.

Apoc. 6. 9.

Indiculus Capitum huius libri.

LIBER

LIBER QVARTVS.

Ædificauit Turrim.

Turris symbolica Templum.

CAPVT PRIMVM.

De Templo, ac sacro eius ritu.

FORMOSAM Turrim in medio vineæ à Patrefamilias ad sui delicias, ad domesticorum commoda, ad frugum tutelam excitatam; Vmbram fuisse sacrarum ædium affirmat S. Hieronymus his verbis. *Haud dubito quin Turris Templum sit de quo ait Michæas & Turris nebulosa filiæ Syon. Turris nebulosa propter præsentiam maiestatis latentem nobis in Templo.* In Templis enim Numini paratur habitatio, orantibus domus, virtutibus promptuaria. Felicem turrim Paradisi æmulam! Qua Deo in terris si non nobilis, & vrbana, rustica tamen, & deliciosa domus ornatur. Cæterùm in maximum mortalium decorem cedit, quòd humi Deus nasci, adolescere, & mori volens, post repetitam cælestem aulam, amet in terrenâ domo latere, & vsque ad sæculi cõsummationẽ rusticari in suâ turri. *Hieron. in Catena bio.* *Templum rustica sed deliciosa Dei domus.*

Immensum Numen vbique esse; quis in dubium reuocabit? Veritas non modò Christianis religione sacra, sed Ethnicis etiam exploratissima, & Poëtarum fabulis decantata. *Deus vbique est, & quomodo.*

Etiam apud Ethnicos hæc veritas nota.

Clemens Alex. l. 2. Stromat.

Fora sunt Iouis omnia plena
Compita, cum pagis, omnes cum æquore portus
Omnes æquè vtimur Ioue, nos ex partibus omnes.

Ad eundem sensum Euphorion, atque Æschilus apud Clementem Alexandrinum,

Iupiter est æther, est terra Iupiter,
Cælúmque & omnia Iupiter, & si quid supra.

Cur Persæ Ioui non admittebant Templa.

Cicero l. 2. de legibus.

Mundus totus Deo Templum.

S. Aug. l. 4 de Ciuit. Dei cap. 36.

Idcircò Persæ negabant soli, quem Iouem suum dicebant; admittenda Templa, quippe putabant indignum, quod tanta maiestas vllis tectorum angustiis coërceretur. Ad eandem mentem Cic. lib. 2. de legibus affirmabat *non esse parietibus includendos Deos, quibus omnia deberent esse patentia, & libera, quorum hic Mundus omnis Templum esset, ac domus.* Ipsa Roma primis annis, ritu Persico, Templis Deorum & statuis caruit: Numina culta tunc in lucis, in siluis, in editis montibus. Ita S. August. lib. 4 de Ciuitate Dei cap. 36. Rectè tamen fideles sacra Templa excitant Numini, tanquam habitanti in ipsis. Vinea namque tota est sub patrisfamilias potestate, quà operator, quà moderator, quà Dominus, habitationem verò solummodo in turri habet. Vbique terrarum Deus est, quà præsens, quà potens, quà existens, sed illius habitatio, & domus, in Templo est. Eleganter, & acutè S. Hipponensis Præsul Augustinus. *Illud est mirabilius, quòd cum Deus vbique sit totus; non tamen in omnibus habitat, non enim in omnibus dici potest, quod ait Apostolus, Nescitis quòd Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Vnde falsum est, vbique esse Deum per Diuinitatis præsentiam. Propter hanc enim Dei habitationem, vbi proculdubio gratia dilectionis Dei agnoscitur, non dicimus Pater noster, qui es vbique, cum & hoc verum sit, sed Pater noster, qui es in Cœlis, vt Templum eius potiùs in oratione commemoremus.*

Aug. epistol. 57. ad Dardanum.

Quo pacto speciali modo Deus in Templo esse dicitur.

Pari ratione Deus in Téplo, ac in cælo.

Pari itaque ratione Deus in cælo est, ac in Temlo. Templum æquatur cælo, in vtroque adoratur Deus, sed in vno cælatim, & sub velo, in altero explicatè, ac in maiestatis throno, Manus supplices, quæ attolluntur ad cælum, extenduntur etiam ad Templum: vtrumque eadem præsentia venerandum. Rex Hebræus ait: *Extollite manus vestras*

Psalm. 135.

ſtras in ſanctâ, ſed iam pridem Moyſi demandatum, *Extende manum tuam in cælum.* Templo, ac cælo idem exhibendus honor, & cultus. Reuela Numinis vultum, Templum erit Cælum: Vela cælum redibit ad Templum. De vtroque D. Bernardus; de viſione, & ſchola Iacobæa loquens. *Terribilis ait eſt locus iſte, & omni reuerentiâ dignus, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli ſancti frequentant, quem ſuâ quoque præſentiâ Dominus dignatur.* Aperta, & complanata Angelis ſemita eſt, à Cælo ad Templum, à Templo ad Cælum: aſcendunt, & deſcendunt illi, eandem venerantes Dei Maieſtatem, in culmine ſcalæ cælum, in imo, Templum, in vtroque habitans Deus.

ſerm. 2. de dedicatione Templi.

Angelis cõplanata via à cælo ad Templum.

Ipſamet Chriſtiana pectora, Templa Dei viui dicuntur, quia in ipſis cæleſtis gratia ex inhabitante ſpiritu effuſa eſt. Potiſſimùm in ſacratiſſimâ Chriſti carne, ſplendidiſſima elucet Templi ratio. Hinc & Templum Chriſtus Dominus, corpus ſuum nominat: *Poſſum templum hoc deſtruere, & tribus diebus readificare illud.*

Chriſtianorum pectora Templum Dei dicta & cur?

Matth. 26.

Natura cùm non poſſet dignum Deo Templum attollere, aduocauit gratiam, quæ compaginans Chriſti corpus, dignas Deo ædes excitauit. Eleganter S. Ambroſius: *Verè Templum Dei Chriſti corpus, in quo eſt noſtrorum purificatio corporum. Verè Templum Dei caro illa, in qua nullum peccati potuit eſſe contagium, ſed ipſa pro delicto totius Mundi fuit ſacrificium. Verè Templum Dei caro illa, in quâ Dei imago fulgebat, & plenitudo corporalis inhabitat, quando ipſe Chriſtus eſt plenitudo, ergo ad ipſum ſpectat, Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.*

Ambroſius in Pſalm. 48.

Chriſtus Dominus Templum Deo dignũ.

Exultat gratia ſe Deo tale ædificâſſe templum, natura famulante: vbi pulcherrima, & originaria æterni parentis imago adoratur, vbi hoſtia offertur digna Deo; vbi tantus lucis candor, vt præ illo, & aſtra praua, & cælum cœnum appareat; & quod ad ſpem mortalium erigendam maximè facit, Templum miſericordiæ inſcribitur. Feſtinent itaque peccatores, ægri, miſeri, æſtuantes miſeriarum pelago veluti ad ſacrum portum, ad portum ſalutis, vt redeant iuſti, integri, felices. Adiice quòd ab huius ſacri Templi foribus, ſuauiſſimus pendet titulus, &

Chriſtus Templum miſericordiæ.

omninò

omninò mortalibus salutaris. *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.*

Virgo Maria Dei Templum.

Post Christi Domini, excitatum à gratia Templum, ausa est ipsa, & alias parare sacras ædes, Deo non indignas. Virginem efficit matrem, vt in eius vtero haberet Christum, in anima plenitudinem gratiæ; in vtroque, veluti in sacro Templo Deum. Eleganter idem Ambrosius: *Possumus per Templum Dei, Beatam Mariam intelligere, & Templum, apertum, quia in ipsa visibilis factus est Dominus Iesus Christus.* Sacro huic Templo nunquam oppessulatæ fores, nunquam clausæ ianuæ peccatoribus sunt apertissimæ, par enim erat, vt quæ cæli cardines recludebat iustis, reseraret in terris, Templi ianuas peccatoribus.

Ambr. in c. 11. Apocal.

Sacro huic Templo nũquam oppessulatæ fores.

Quot iusti sunt tot Templa Deo excitata.

Tandem gratia artifex facta peritior, quot iustos effecit, tot excitauit Templa Deo: *Nescitis quòd Templum Dei estis vos?* Quæ, non reformidant impiorum hominum, ac Dæmonum arietes, at semper impauida, ac tuta, ad quemlibet hostilitatis impetum facta. Lucia Virgo lectissima, vt in lupanar deferretur iussit sæuus tyrannus, at gratia, quæ eam sacrauerat in Templum, firmauit fermè in immobilem columnam, contra debacchantium carnificum impetum; quousque ipsum Templum verteretur in victimam, vtrumque peractum, cum ignis vnum & alteram in odorem suauitatis hausit. Sic & cæteri omnes iusti, vt Templa nobilissima Deo dicantur.

1. Cor. 6.

Lucia virgo quo pacto Dei Tẽplũ.

Templa sũptuose in Dei honorem ædificata.

Pari ratione, qua gratia, causa est, & natura, arte humana accedente, ingentes moles in Dei honorem attollere. Templa excitare, vbi multus lapis, ac marmor eminet, vbi purpura, & aurum, & argentum lucet, vbi gemmæ splendent: vbi florum multitudo halat odorem: Domus Dei nobilis ornatus, accurrit tamen gratia, & mortalium consilio excitatas ædes, sacras facit, & Dei sedem: Pulchrè D. Bernardus. *Quid enim lapides isti potuerunt sanctitatem habere, vt eorum solemnia celebremus? Habent vtique sanctitatem, sed propter corpora vestra; corpora vestra esse sancta quis dubitet, quæ tẽpla sancti Spiritus sunt. Itaque sanctæ sunt animæ propter inhabitantem Spiritum, sancta sunt corpora propter animas, sancta etiam propter corpora domus.*

Serm. 1. de dedicat. Ecclesiæ.

Cur sanctæ dicuntur Tẽpla materialia.

Deum

Deum sanctissimas has istas ædes incolere, ipsa diuina operatio comprobauit. Dei proprium est operari nostram salutem, & in hoc operosum esse Numen, liquet præcipuè in Templo. Adsciti etiam administratorij spiritus, in ministerium nostræ salutis. Egregiè idem S. Bernardus. *Adam positus est in Paradiso vt operaretur, & custodiret illum: sic secundus Adam in Ecclesia, in horto deliciarum; siquidem deliciæ suæ cum filiis hominum.* Cùm operatur salutem nostram, tunc deliciatur cælestis Adam in Paradiso suo. O quàm pulchrè stipatus liliis, coronatus rosis, laureatus floribus; modò studet, vt arbor iuxta fluenta plenissima posita, fructum edat tempore suo; Modò putat, fouet, fodit vites, nec vt sylaescant patitur, & in fructus erumpant degeneres, & Paradiso indignos. Modò oleastris hospitalem facit oleam, vt ex eâ oleum quo æternùm splendeant exprimatur, & virgines plena lampade exeant obuiàm sponso. Sed præcipuè nobili huic hortulano de fructu vitæ cura est, & de corde humano, à quo homini spiritus, & vitæ deriuant: Hoc pomum in manu huius Agricolæ perpetuo est, illius fermè non modò Agricola, sed figulus est, vultque factitium illud esse atque ad genium suum efformatum, *fingit singillatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorum.* Innumera sunt, quæ sanctus hic Adam molitur in hoc suo Paradiso. Rectè Basilius: *Assistunt Angeli verba describentes. Adest Dominus affectus intrantium considerans. Preces cuiuslibet Deo manifesta sunt. Alius ex affectu tantùm orat, alius scitè, & prudenter Ecclesiam quærit. Quidam perfunctoriè, nec acri attentione, summis labris verba loquitur.* Hæc omnia attentissimè intuetur Deus, & inspicit è suo domicilio. Ob hoc firmo, & perpetuo aspectu, factum Templo nomen, à tuendo, vel intuendo, illud dicitur; ita Varro. *Quaqua intuerant oculi, à tuendo Templum dictum* Quocircà cælum, quà tuimur esse illud Templum dictum, Ennius.

Templa domus vbi Deus operatur nostram salutem.

Serm. 1.

Aduolant Angeli in ministerium nostræ salutis missi.

Deus vult cor nostrum factitium atque ad illius genium elaboratum.

Psal. 32. 15.

Homil. 5. in Psalm. 28.

In Templo Deus: eo Angeli adsunt affectus intrantiū Templum metātes.

Templum à tuendo dictum.

Varro l. 6. de lingua latina.

Ennius.

Contremuit Templum magnum Iouis altitonantis.

Et Settimius hymno in Ianum, quia bicipiti fronte omnia videt, hac ratione dicit excitata fuisse illi plurima Templa.

B b Cc *Iane*

Iane Pater, Iane tuens diue biceps biformis.
O chare rerum sator, ô Principum Deorum
Stridula cui limina, cui cardines tumulus,
Cui reserata mugiunt, aurea Templa Mundi.

Prouerbium *Oculus, Domini in agro fertilissimus.*

Fertilem esse agrum ex domini oculis, in prouerbio est, quanto magis ex diuinis luminibus, dicam fertilissima sacra Templa? Ab hac specula Numen aspicit mortales, vt eorum miseriis munificentissimè prospiciat. Immunes à miseriis sunt sedentes in Templo, qui illud ingrediuntur i im misericordiarum multitudinem tenent, *Ego autem*, canebat Vates Regius, *in multitudine misericordiæ introibo in domum tuam.* Innumera sacris in ædibus præstita beneficia, ipsa appensa anathemata loquuntur, in ipsis pictis tabulis leguntur. Ab hac speculâ sponsus sponsam amantissimè aspicit, per fenestras, & per cancellos prospiciens. Has turres nulla tonitrua feriunt, nullæ iræ, nulli timores sacram ædem deformant, ibi tantùm suauitates, deliciæ, & meri amôres. Hæc omnia in Dei Templo agnoscebat Rex Hebræus, cum sua cythara dulciter canebat. *Vt videam voluptatem Domini, & visitem Templum eius.* Concinit Vates Euangelicus. *Lætificabo eos in domo orationis.* Ethnici vrgentibus vel propriis, vel communibus malis, properabant ad templa, quorum pauimenta ipsa putabant sibi salutaria. Ad depellendum pestem, quæ Romæ grassabatur, naufragantes, ac penè obruti sæculi vndis ad Templa confugiunt, vt caput attollant à sæculi æstu, & confragosæ ratis reficiant armamenta. Hinc Chrysostomus sacra Templa *portus spirituales* dixit, quò, qui tuti appellunt, deosculantur sacram arenam.

Deus mortales aspicit vt illis prospiciat.

Psalm. 5. 8.

Psalm. 26. 4.

Esai. 56. 7.

Templum Dei voluptas & deliciæ

Ipsa Templi pauimenta salutaria sibi putabant Ethnici.

Chrysostomus hom. 24 de bapt. Christ.

Templa portus spirituales.

His locis putauit Antiquitas affixa beneficia diuina, & Deos, quos noxiolos in Vrbe haberent, in Templis rebantur propitios habituros; Hinc religione in furorem versâ, vt Deorum compescerent abitum, vinculis, ac catenis onerabant sua Numina, sperantes illa etiam iniuriis, & contumeliis lacessita, dummodo in Templis permanerent, benefica habituros. De Tyriis dubitantibus ob iratum Apollinem, & Erculem discessurum è suo Templo, hæc refert Curtius. *Aurea catena deuinxere simulacrum, araque Herculis,*

In Templis fermè affixa beneficia

Gentiles vt placarent Deos suos vinciebant loris.

Curt. Lib. 4. de vit. Alex.

tulit, cuius Numini vrbem dicauerant inseruêre vinculum, quasi illo Deo Apollinem retenturi. Non contenti vincisse Deos catenis, voluerunt & carceribus mancipare, Templa vertentes in carceres; itaque illa vittata, ac oppessulata tenebant, quò Deas, Deosq; etiã inuitos cogerent ad templa quasi ad vincula damnatos: ad hunc morem allusit Papin.

Pande fores superum, vittataque Templa Sabæis Papinius.
Nubibus, & pecudum fibris spirantibus imple.

Sic vittis laneis cingebant Templa, putantes in his circumseptos Deos, & omnino præclusum illis ad fugam aditum. Ad hanc mentem Cyrillus Alexandrinus inducit verum Deum sic ad Hebræos loquentem peregrinis superstitionibus irretitos. *Ego illos honestaui, illi verò eò insipientiæ deuenerunt, vt vestimenta sua ligantes funibus velamina facerent adhærentia altari.* Eò etiam & Liuius collimauit. *Laudque cum integumento, quæ Ioui apposita fuit, decidit.* Addebant etiam & plumbum, vt magis Deorum simulacra figerent templis.

Cur Templa vittata.

Comm. in Amos.

Titus Liuius l. 40.

Suffusóque in vestigia plumbo.

Tanta his sacris locis Religio, vt tunc noxiosos Deos putarent propitios, cùm in illorum cultum excitarentur sacræ ædes: A Diis enim his beneficiis delinitis, nulla timebant mala, nec vlla sibi formidabant aduersa. Hinc cautum in Vrbe Româ, vt extrà Vrbis pomæria, Templa construerentur Timori, Pallori, & Paupertati, sperantes tunc ab his bona, cum procul essent ab Vrbe, & à Ciuium laribus. Vitruuius iubet, Templa Diis tutelaribus ædificanda in celsissimis locis, vnde vrbis mœnia conspicua forent, ferè castrorum subitura vices, tutiores vrbes existimantes à Templis, quàm à mœniis; vel à castris. Prophanum monitum, quod sacrum fecit verbis suis, Rex Hebræus, de vero Numine sic loquens; *Nisi Dominus ædificauerit Ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* Quod etiam prauus poëta his versibus non prauis cecinit:

Prudent. Symph.

Templa excitata vt Deos noxiosos redderẽt propitios.

Templa cur extra pomæria ædificata Timori, Pallori, Paupertati.

Vitruuius.

Psalm. 126.

Ni cœpta Dominus iuuerit, frustra
moles superbas adtum.
Ni Dominus vrbium seruet, incassum excubat
muris vigil custodia.

Vitruuius. Iuuet etiam Vitruuij verba hîc appendere, *Ædes verò sacræ, quorum Deorum maximè in tutelâ ciuitas, in celsissimo loco ædificentur, vnde mœnium pars maxima conspici possit.* Tunc rebantur Romani futuram sine discrimine Vrbem, cum Deos suos prospicientes mœnibus haberent. Quis enim vrbi timor, cum eius confinia Deorum haberent domicilia, qui sarta-tecta custodirent omnia?

Vrbes tunc tutæ quando in tutela Numinis.

Honor habitus Templis & cur.

Hinc à mortalibus honor maximus ædibus diuinis habitus, quas cùm ingrederentur, sacer horror perfundebat ingredientium membra, cùm cogitarent se Numina in propriis laribus inuisere, quos nemo audebat penetrare pede calceato, quod & religioni Christianis fuit. Proclus ait, *Adeamus cum fiducia si lubet ad sanctificandum huius secundi tabernaculi locum, soluto mortali calceo.* An hic ritus à sacris deriuauerit ad Ethnicos, vel ab Ethnicis ad sacros, incertum est, affirmat Cyrillus, *Soluere calceamenta iussit Moyses, illum sacrorum institutorum interpretem, ostendens nondum purum esse, neque omnino à corruptione, atque mortuorum operum qualitate liberam vitam illius, quæ ex lege ducebatur incessu; in quo autem reliquiæ corruptionis, ac mortalitatis insistant; cùm nefas esset ad Deum accedere, id Gentilium consuetudine, diuinus ille Moyses didicerat. Neque ij Templa adibant pedes calceati calceis exanimatorum animantium pelle contectis, id enim ex eorum legibus inter immunditiæ genera recensebatur.* Tamen parce vir tante. Quid Moysen ab Ethnicis didicisse asseris quod ex ore diuino excerpsit? Nonne ad illum vox Numinis à Rubo detonans, *Ne accedas huc, solue calceamenta, locus, in quo stas terra sancta est?* Ad inhabitantem in æde sacrâ Deum, pede nudo accedere lex è cælo vetat, & diuino oraculo cautum in disciplinam mortalium, vt submisso cultu, magnâque reuerentiâ, sacra Templa adirent. Quò etiam pertinent lustralis aquæ sacri fontes præ basilicarum foribus appositi, hâc aquâ dealbati fideles, expiatis labeculis excitantur ad diuina, vt pede mundo, & purâ mente inhabitantis Diuinitatis locum inirent.

Procl. orat. 6. Antiqui ingrediebantur Templa nudis pedibus.

Cyrill. lib. 2. de adorat. Soluere calceamenta in ingressu Templi an prophani ex sacris, an sacri ex prophanis excepere.

Exod. 3.

Cur aqua lustralis & sacri fontes præ foribus ecclesiæ.

Cæterùm, in hoc etiam Templum exæquatum cælo dum nemo nisi purgatus flammis intrat cælum, nemo nisi candi

candidatus frigida intrat Templum, vt sic, & Cœlites, & terrigenæ in ingressu sacrarum ædium, vnà canant, *Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Ad purgantem ignem allusit mos antiquus, qui ex auro purissimo Templi fores exornabat, vt de Alexandrino Templo Chronicon illius vrbis testatur. Ad vndas allusit delubrum, quod in Templi vestibulis aspiciebatur, ita dictum ab aquarum fontibus ibi appositis. Cæterum à loci dignitate factum vt sacræ fidelium preces nescio quam pulchritudinem ac decorem hauriant, & pulchriores in conspectu Numinis niteant orationes in sacris ædibus fusæ, quàm in domestico lare. Hanc nouam, & accedentem ex sacro loco orationi formam aduertit Rex Hebræus, *Domum tuam decet sanctitudo*, vertunt alij, *Pulchritudo sanctitudo*, eadem sanctitas pulchrior in Templo quàm domi, ea lem oratio formosior in sacris, quàm in propriis ædibus. Halat sanctitatem sacer locus, cum ex D. Thomæ probabili placito expientur animæ labeculæ in sacris ædibus. Latet cælestis ignis excitans amoris flammas in fidelium pectoribus. Non Vestalis virgo est, quæ nutrit hunc ignem, sed Angelus tutelaris, & perpetuus sacri Templi incola. Huc accedit sacra Præsulis manus Numini dicans, & sacrans locum, quò in celsiorem formam, & in Dei ædem attollitur, varium marmor, & congestus lapis ibi indita Dei virtus, quà preces cælum ascendunt, quà descendunt gratiæ; contritis sceleribus accensa amoris diuini lucidissima flamma. Macch. 3. *Verè Dei virtus quadam in loco ipso: qui habet in cælo habitationem, visitator & adiutor est loci illius.* Etiam Ethnici expetebant sacram Antistitis dexteram ad sacranda fana, ne prophana dicerentur:

Hinc augusta nitent sacratis munera Templis
Aurea Phœbeis certantia lumina Templis.

Et ipsi sperabant salutem ex Numinis præsentiâ in suo Templo; patet ex pictis, & appensis tabulis,

Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi
Fixa docet Templis multa tabella tuis

Proh facinus ad Templum, & Præsulis dexterâ sacrum, & Numinis habitatione sanctum, & effusis beneficiis conspicuum,

Chron. Alex.

Pulchritudo & decor aliquis sacris precibus à loco sacro.
Psalm. 65.
Psalm. 92.

D. Thom. 2. 2. q. 84. ar. 3

Templi dignitas à sacra Præsulis manu sacrante.

Marc. Marf. Astron. lib. 5.

Tibullus.

Inuectiua in non frequentantes Templa.

cuum, Christiani hac præcipuè tempestate suis contenti penatibus desertũ relinquunt, vt cum Vate sacro ipsæ Templorum semitæ lugeant, *Viæ Sion lugent, eò quòd non est, qui vadat ad solemnitates.* Primores viri ferme indignati sacra adire Templa, ædiculas domi suæ parant, in sacrarum ædium desolationem. Egregiè Chrysost. *Domus priscis temporibus Ecclesia erat, nunc ipsa Ecclesia in domum redacta est.*

Thren. 1.

Chrysost. homil. 74. in Matth.

Verùm magis ingens, & atrox facinus in ætatem nostrã Christiana prauitas contulit, vt domum orationi, domum turpium negotiationum faciant. Clamat Chrysost. *Multi ad formas mulierum aspiciendas, ad tantum flagitium attendis imminentes animaduersiones è cælo. Non mireris quomodo fulmina vndique non deferantur, quomodo cuncta funditus non euertantur, hæc non fulminibus solùm, sed etiam gehenna supplicio dignissima.* Hinc probum antiquis consilium, in sacris ædibus separare à mulieribus viros, pariete medio, & quos Numinis præsentia non compescit, cogat ex ligno paries. *Oporteret quidem interiori pariete viros à mulieribus dissepa-rari. Verum quoniam non vultis necessarium esse, patres nostri putauerunt saltem his ligneis parietibus vos dissepararе.* Antiquum sanctorum Patrum ritum nos Clerici Regulares in nostra Templa instaurauimus, his ligneis parietibus puritatem munientes aduersùs lasciuientium iuuenum væsaniam. Luget lacrymis amarissimis Chrysostomus, suis temporibus Ecclesiam in ipsa Ecclesia non reperiri. Quippè deformatum negotiationibus, illic forum ad lites, emporium ad nundinas, compita ad murmurationes, reperitur, vna non tamen reperitur Ecclesia. Declamat sanctissimus Præsul, *Multi pergunt ad templum Domini, non vt orent, sed vt negotientur, vt ciuilium, domesticorumque negotiorum sermones faciant. Vnde cætera faciliùs in Ecclesia deprehendas, quàm Ecclesiam ipsam.*

Inuectiua in pergentes ad Ecclesias vt pulchritudinem mulierũ lustrent.

Chrys. hom. 74. in Matth.

In Ecclesia locus mulierum ac virorum dicitur.

In Ecclesia non reperitur Ecclesia.

Chrys. homil. 38. in epist. ad Corinth.

Finio cum Tertulliano, & quod ille de gentilium fanis, vtinam in nostra Templa ad Christianorum dedecus non possimus detorquere, *In Templo adulteria componi, inter aras lenocinia tractari, in ipsis plerumque æditorum vt sacerdotis tabernaculis sub iisdem victis, & apicibus, & purpuris, & thure flagrantem libidinem.*

Tertullian. in Apolog.

CAPVT

CAPVT II.

TORCVLAR SYMBOLICVM.

Altare Deo sacrum.

SACRAM Templi maiestatem, ad augendas Altaris laudes deriuare, haud mihi animus est; cùm, contra, Aræ & decorent laudibus, & nobilitent victimis, & illustrent facibus ipsa templa. Extructa enim periti artificis manu templa sunt, vt numinum Altaria, quæ antiquitatis incuriâ vagabantur incertis sedibus, decentiori cultu, firmas, ac statas inuenirent in sacris Ædibus. Porrò ipsemet, vel florum, vel frondium, vel luminum ornatus, quo prisci decorabant aras suas, vt in campis ac in syluis squallebant syluestri horrore, sic nitescebarit in Templis pompâ diuinâ, lucernæ, faces, funalia, quæ penè innumera apposita aris, non tantùm lucem impertiebant syluis, sed & saltibus nomen luci, quò fortassis Poeta alusit.

Aræ templis antiquiores, ac nobiliores.

Ab lumine, quo fulgebãt aræ, & saltibus luci nomen.

Festáque pallentis hilarent Altaria luci. — Stat. 3. Syl.

cultu nobiliori illustrabant templa. Ab aris igitur sacra Templa, & lumen, & cultum, & decorem habuêre.

Cæterùm adumbratam Altaris dignitatem in symbolico Torculari ferè omnes Patres cum Hieronymo sentiunt, quorum tamen auctoritatibus, rationum pondera Ericius, & Euthymius addidêre: *Torcular*, ait ille, *quia sicut in Torculari vuæ exprimuntur, sic in Altari hostiæ immolantur.* Addit hic, *Torcular est Altare, in quo sanguis Christi effunditur.* S. Augustinus ex sancti altaris dignitate, quanta sit Martyrum apud Altissimum existimatio, ingeniosè dimetitur. In altari enim sacra eorum lipsana tumulata in pace quiescunt. Expendens Apocalypsis oraculum: *Vidi sub altare Dei animas interfectorum.* De sanctis Innocentibus sic fatur: *Quid reuerentiùs, quid honorabilius dici potest, quàm sub illâ arâ requiescere, in qua Deo sacrificium celebratur, in*

Torcular, altare.

Hieronym. in catena hic.

Eric. & Euthym. in cat.

Cur sanctorũ corpora tumulata in Altari.

S. Augustin serm. de SS Innocentib.

Apoc. 6. 9.

quâ offerantur hostiæ, in qua Dominus est Sacerdos, sicut scriptum est: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech; eleganter tanti exhibiti cultûs rationem subdit: *Conuenienter, & quasi pro quodam consortio, ibi Martyribus sepultura decreta est, vbi mors Domini quotidie celebratur, sicut ipse ait, Quotiescumque hæc feceritis, mortem meam annunciabitis donec veniam, scilicet vt qui propter mortem eius mortui fuerunt, sub sacramenti eius mysterio requiescant. Non immeritò, inquam, consortio quodam, illic occisis tumulus constituitur, vbi occisionis Dominicæ membra ponuntur: vt quos cum Christo vnius passionis causa deuinxerat, vnius loci religio copularet.* S. Bernardus, idem Apocalypticum oraculum expendens, fermè ex eadem fodina, qua Augustinus, nouum nobis aurum importauit, quo augeremus Altaris ornatum. Hæret difficultate perculsus ille, cur sub altari diuino audiantur Martyrum voces, quæ à Sanctis, Iobo patiente, ac mendico Lazaro, ab ipso Orco non resonant; sic mellitissimis verbis ipse: *Illud ergo primum moueri potest. Quid sibi uelit, quod Beatus Ioannes, sub altare Dei, audisse se perhibet sanctarum voces animarum, cùm Lazari animam non sub Altare, sed in sinum Abrahæ dicat eam ab Angelis deportatam. Nam sanctus Iob nunquam ad Altare ausus est aspirare, cum dicat: Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* Respondet pulchrè: *Aduenerat iam, fratres, tempus, quod sanctus Iob postulabat, donec veniret desideratus ille, qui sanguine suo deleret chyrographum damnationis nostræ, & flammeo accinctus gladio, aperiret Regna cælorum. Nullus omnino cuique sanctorum ad ea patebat accessus, sed prouiderat Deus noster, in inferno locum quietis; in hunc ergo locum descendens Saluator, contriuit portas æreas, eductosque cunctos de domo carceris, iam tunc sub altare collocauit.* Tam sanctum est altare, vt nemo vnus ibi dignè condi potuerit, quem non importasset dextera diuina: animabus ad cælum non patescente semitâ: nec corporibus patere Altare poterat: cùm peruia ara sacra corpori, tunc animæ cælum. Par erat, vt animarum, quæ Deo fruerentur, corpora in Altari quiescerent: dispar, sed fermè pares debebantur sedes animabus, & corporibus.

S. Bernardus serm. 3. de omnibus SS.

Pariantur Altare, & cælum.

ribus sanctorum, vnis cælum, & diuinitas; alteris Altare, & humanitas. Sic enim magnus, magnæ familiæ parens sua omnia in filiorum commoda distribuit, Animabus diuinitatem, quâ fruerentur: corporibus humanitatem, quâ quiescerent. Perorat egregiè idem sanctus. *Porrò Altare ipsum pro meo sapere, nil aliud arbitror esse, quàm corpus Domini, puto quòd ego super hoc sensum illius habeam, præsertim cum dixit: Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & Aquilæ.* Si anima euolauit ad cælum, euolet caro ad Altare, vt Aquilæ descendant ad corpora.

Bern. ibid. Altare Corpus Christi.

Cæterùm Altaria meritò sanctus Augustinus cum Abrahæ sinu, cum terrestris Paradisi amœnitate componens, censet illa, his omnibus nobiliora. *Legimus plerosque iustorum Abrahæ sinu refoueri, nonnullos Paradisi amœnitate lætari. Nemo tamen præter Martyres, melius meruit ibi requiescere, vbi & hostia Christus est, & Sacerdos, scilicet, vt propitiationem de oblatione hostiæ consequatur, & benedictionem, functionémque Sacerdotis accipiat.*

Aug. ibidem. Altare, & Abrahæ sinu, & Paradiso Terrestri longè nobiliùs.

Quanta sedet in altari dignitas! Supra, Numen habet, infra, Martyres: ipsum in medio, & Abrahæ sinu, & Paradiso deliciarum longè præstantius. Accedit ad maximam sacri Altaris laudem, quòd *Mensa Domini* indigitari possit, ibi Paterfamiliâs filios suos spiritali pabulo reficit, ibi expressis in torculari vuis, propinat pocula diuina, etiam ipse cælesti mensæ assidet cœnaturus: cœnat homo, & cum illo Deus. *Cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Porrò nos, vt pueli recenter nati, rationale lac petimus, non secus ac pulli pipantes, cibum ab aue matre. Pulchrè Rex Hebræus: *Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum sibi, vbi ponat pullos suos, Altaria tua Domine virtutum.* Author Græcus apud Agellium sic illustrat hemistichium: *Noster nidus, & incunabula, & oblectatio bonorum, sancta tua sunt Altaria: ab illis enim hiantes pulli, diuinum cibum, & salutarem poscimus.* Vtrumque sensum complexus sanctus Ambrosius, Altare pro mensa: in qua & mortales, & Numen vnà conuiuantur, elegantissimè accipiens, sobolem sacram sic alloquentem Christo, inducit, *Paratum habens conuiuium, quod dignum esse cælesti epulatione videatur, ideòque*

Altare cur Mensa Domini dicatur.

Psalm. 9. Ab altari cibum petimus, vt pulli hiantes ab aue matre.

Auctor Græcus apud Agell. hic. *S. Ambros. l. 5 de sacram. cap. 13.*

ait: Descendat frater meus in hortum suum; vt capiat fructum pomiferarum suarũ. Respondit Ecclesia suæ, Descendi, inquit, in hortũ meum, vindemiaui myrrhã cum vnguẽtis meis; mãducaui panẽ meum cũ melle meo, Bibi vinũ cum lacte meo, edite fratres, & inebriamini. Quæ est ista vindemia? Cognoscite vineam, & cognoscitis vindemiã. Vineam de Ægypto transtulisti, hoc est, populum Dei. En tibi ex Ambrosio lautissima conuiuia populo Christiano exhibita, vbi Christus ex conuiuis vnus, plebem suam, ad sanctam; ac spiritualem ebrietatem prouocans.

Christus in Altari conuiua est prouocans fideles suos ad sanctã ebrietatem.

S. Ambr. ibid.

Liturgi Altare circundabant candidati.

Puritas qua accedendum ad Altare.

Verùm, ne quid metaphoræ deesset, vt enim conuiuarum turba, ex antiquo more, candidata conuiuio adstabat, sic Liturgi sanctum Altare in albis vestibus circundant. S. Ambrosius inquit. *Gaudet Ecclesia redemptione multorum, & astare sibi familiam candidatam spirituali exultatione lætatur.* Cautum etiam iure est, vt ad altare nemo accedat, cum Deo pransurus Deum; non candidatus: Sic iubet S. Augustinus. *Rogo vos fratres, diligenter attendite. Si ad mensam cuiusque potentis hominis nemo præsumit cum vestibus consciβis, & inquinatis accedere; quanto magis è conuiuio Regis æterni; id est, ab Altari, debet se vnusquisque inuidia, vel odij furore repletus cum reuerentiâ, & humilitate subtrahere propter illud, Vade priùs reconciliari fratri tuo; & iterùm, Amice quomodo hûc intrâsti non habens vestem nuptialem?*

S. Aug. serm. 1. de dedicatione Tepli.

Matth. 5.
Matth. 22.

Hûc accedit, quòd sacrum Altare, ex Deo puerulo in cibum apposito, in antro Bethlehemitico nato, Mensa dicitur, & Præsepe. *Bethlehem domus Panis.* Rectè ex Gregorio interpretatur; vt Altare, Præsepe, & cœnaculum foret. Luculenter Chrysostomus: *Hæc mensa, vicem explet Præsepis: nam & hic ponitur corpus Domini, non quidem fasciis inuolutum, sicuti nunc, sed vndequaque Spiritu sancto conuestitum.* Fideles; vt hæc indicarent mysteria, integumentis vel fictis, vel pictis, contexerunt Altaria, vt quoque possent pacto, sanctissimorum Christi natalium sacramenta exprimerent. Anastasius memorat; Zachariam Pontificem sanctissimum. *Fecisse vestem super Altare sancti Petri ex chrysoclauo, habentem natiuitatem Domini Dei, ornasséque eam gemmis pretiosis.* Igitur veteris æui sancti Præsules, integumentis exornabant Altaria, quæ in sacrâ,

Altare dicitur Mensa, Præsepe.

Chrys. st. ser. de sancto Philogo.o.

Anastasius.

Integumẽta Altarium olim natiuitatis mysteria exprimebant.

ac mysticâ mensâ celata sacramenta detegerent. Quantâ religione, quantóque cultu, sancti homines prosequerentur sacras aras; ipsamet operimenta, non leuia argumenta sunt. Synesius ait: *Velum mysticum, integumentum sacrum, Religionis argumentum.* Adiicio, fuisse grati animi signa, cumulata donariis Altaria. Saluianus: *Cùm à Deo dona accepimus, dona reddimus, ad domus videlicet dominicas statim currimus, vt illustremus donariis: sacra limina, aras, muneribus implemus.* Antiqui etiam, & comprobati moris fuit, statis temporibus, Antistite operante sacris, Altaribus solemnia offerre donaria. De Valente Imperatore Theodoretus. *Valens, sacra operante Basilio, Altari consueta obtulit dona.* Hæc cultûs genera, aras exornantia, Deo fuisse gratissima, eleganti, ac pulchrâ prosopopeiâ expressit Origenes, hûc monitum Saluatoris flectens. *Vnge caput tuum, & faciem tuam laua,* ait. *Quemadmodum totius corporis gloria, atque decor est facies; ac cultus, sic in omnium fidelium corpore, atque Ecclesiæ complexu, eminere Aræ sanctitatem mirabili pulchritudine, & decore. Igitur hanc laua, hanc exorna, & exalta, & honora, & glorifica ad gloriam capitis huius corporis, quod est Christus.*

Synes. epist. 67.

Saluianus lib. 6.

Theodoretus lib. 4. cap. 15.

Origenes Matth. 6.

Pulchra allegoria de ornatu, ac munditie Altaris.

Idem & miracula contestata sunt. Ambrosius de sanctissima Virgine Gorgonia hæc narrat: *Gorgoniam scimus Gregorij Theologi sororem, castissimis suis manibus Aram tenentem cum ardore propè incredibili preces funderet, claro miraculo sanctitatem consequutam.* Lectissimæ virgini, speciali lege datum, vt sacro Altari accederet illúdque manibus contrectaret. Laicis olim nedum tactio, sed ipsemet accessus prohibitus. Hinc apud veteres mystarum, ritus sacer inualuit, vt aram maximam, cancella vel marmorea, vel lapidea, vel saltem lignea definirent. Nullus laicus audebat vestigiis suis temerare sacros limites. Festiuè Gregorius cancella Altaris dicit, *Diuorum, ac hominum limen certum.* Sic ille ex apposito Altari termino, discriminauit Liturgos à laicis, vnos homines dicens, diuos alteros, vtriusque cognominis, altaris limine, veluti interprete futuro.

Ambr. ep. 14.

Dignitas Altaris comprobata miraculis.

Gregor. Nazian. orat. 3.

Altaria cancellis definita, ne accederet laicus.

A cultu etiam, & reuerentiâ, quâ prisca ætas habebat

> Altare cur dicitur ab Eusebio, *Reuerendum*. Allusio ad Rubum, quē in terra sancta vidit Moses.

Altare; illud, *Reuerendum*, Eusebius indigitauit, allusione ad sacram tellurem factâ, quam calcare audens pede calceato Moses, è Rubo (detonante Numinis voce,) audiuit. *Ne appropies huc, locus, in quo stas, terra sancta est.* Sic locus, in quo Altare situm, quamuis ex lapide impolito formatum, voluit Numen, vt inaccessus laicis foret, animi perturbationibus calceatis. Rectè sanctus Gregorius Nyssenus.

> *Greg. Nyssen. orat. de sancto Baptismo.*

Altare quamuis natura sua à cæteris non dissimile, & ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri construuntur, & pauimenta exornantur, sed quoniam Dei cultui consecratum, atque dedicatum est, ac benedictionem accepit mensa sancta, Altare immaculatum est, quod non amplius ab hominibus, sed à solis Sacerdotibus, iisque venerantibus contrectatur. Accedit sacra benedictio, à quâ habet Altare, quòd sacrum sit, & sanctum, vt ait idem Nyssenus. In Altari designatur præcipuus Dei cultus. *Altare, ait, cùm audio, adorationem intelligo, quam huic tabernaculo cælestes virtutes afferunt.* E' cælo volitant Angeli ad sacrum Altare. Iacob vix erexit lapidem in titulum, inumbrans sacrum, per olei vnctionem, ac illicò è cælo cernit ascendentes, & descendentes Angelos.

> *Genes.* 28. Altaris dignitas præcipuè à sacrante Sacerdotis dextera.

Altare, vt cultu maiori colatur, necessariam Sacerdotis manum sacrantem, etiam Gentiles tradidêre, cùm Altaria potissimùm veneranda putarent, à sacra Numinis dicatione. Hæc forma antiquæ dedicationis. *Iupiter optime maxime quandoque tibi hodie hanc aram dabo, dedicabóque ollis legibus, ollis regionibus dabo, dedicabo, quas hic palàm dixero, vti in primum solum huius aræ est, si quis hic hostiam sacram facit, quod in augmentum ne protollat, idcircò tantùm probè factum esto: Cætera leges huius aræ eædem sunt, quæ aræ Dianæ sunt, in monte Auentorio dedicatæ.* Et hæc de prophana sacra, & apud Hebræos dicatio. Paralip. cap. 7. *Fecitque Salomon die octauo collectam, eò quòd dedicásset Altare septem diebus, & solemnitatem celebrásset diebus septem.* Exod. 29. habes, quo pacto, quóue ordine dedicandum Altare.

> Vide *Alex. ab Alexand.* Altaris dedicatio & sacratio ab Ethnicis.

> Sacræ Aræ dicatio quæ & quomodo? *Exod.* 29

Verùm, quamuis præcipuus Altari cultus esset à dedicatione sacrâ, non à constructione, cùm illud surgeret à

lapide

lapide rudi, impolito, insecto. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super illud holocausta.* Tamen neque hæc prima Aræ rudimenta mysterio vacant. *Eligitur enim lapis*, ait Theodoretus, *non elaboratus artificis manu, non leuigatus ferro, non artificio vllo ornatus*; sed vix gliscens in tumulum aceruus lapidum, vel cespes, Altare dicebatur, nimirùm, vt extructum facilè destrueretur. Cùm enim in campis, vel in syluis passim excitarentur Altaria, loca vt plurimùm Iudæis, ac Gentilibus promiscua, fortassis euenire poterat, vt eadem ara sacris nobilitata oblationibus, deformaretur prophanis, sustinens Dei, ac dæmonum victimas. Absolutâ oblatione, consummato sacrificio, destruenda erat ara, ne tanto sceleri obnoxia foret, vt sacra temerarentur prophano ritu, & quæ seruisset Numini, eadem, & Dæmoni deseruiret.

Theodor. hic
Cur Altare ex lapide impolito excitatum?

Ne & Dæmonum, & Dei victimis obnoxium foret.

Adderem, noluisse Deum pacis, Altaria sua concisa ferro, quo mortales ab ipsis lapidibus monerentur, ne corda, vel manus gestantes ferrea, pacifico altari accederent. Egregiè Origenes. *Ex lapidibus integris constructum Altare, quibus ferrum non est infectum, qui ferrum pugnæ, ferrum litium nunquam recepit, sed semper pacificus fuit, semper quietus.* Diuino Oraculo inhibetur sacrificanti, Altare, nisi repudiato ferro, odiis, iurgiis, ac litibus detestatis. *Vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Denique, ex puro lapide, vel ex cespite ædificatum Altare, vt non ars, non astus, sed natura famularetur gratiæ. Sic elusceret magis maiestas altaris non emendicata humano artificio, sed comparata à gratia, & à cælo, quæ tunc potissimùm insinuatur, cùm accedit Sacerdotis dextera sacrans.

Origen.
Inhibetur sacrificanti Altare, nisi detestatis odiis.

Tandem peroro, affirmans, vel ipsum nomen præferre maiestatis decorem. Altare enim à sublimitate dicitur, siue quòd illud in montium excitaretur fastigiis, vt flamma sacrifica comburens victimas, eminus à turba confluente conspiceretur, Quò etiam allusisse videtur Numen, vocans Abraham vt ad montem pergeret sacrificaturus. *Super vnum montium quem monstrauero tibi.* Sic in sublime elatus & ipse Sacerdos supplices extendens manus, & oblata

Altaris vel ipsum nomẽ non vacat luce laudis.
Altaria in montium fastigiis ædificata ex antiquo ritu.
Genes. 16.
Cur Abrahã iussus vt sa-

crificaturus in montem pergeret? Quæ attétio antiquitus in sacrificiis. *Mut. laud. à Tertullian.in Apolog.*

oblata victima omnibus patesceret. Piaculare enim apud Ethnicos fuisset facinus, sacrificante Sacerdote, si vnus adesset, qui vel mente, vel corpore ad prophana spectacula vagaretur. Laudibus vsque ad cælum sublatus Mutius, *qui ne ab aris discederet*, vt ait Tertullianus, *dexteram suam libens in ara reliquit.* Hinc & præcones præmissi, plebem excitantes ad sacra, & virgâ corrigens obstrepentem turbam, & silentium indictum, ne vlla audiretur vox infausta, quæ à sacris amoueret intentos sacris.

Alexand. ab Alexand. Ritus antiquus in sacrificiis.

Huius antiqui ritûs extant vestigia aliquot apud Alexand ab Alexandro, *Publicus præco præcedens sacra, hoc age, clamitans, vocéq; excitat populum, & virgâ turbam submouet, qua commentaculum dicta est, silentium indicit, ne mala vox obstrepat, néve quid triste auribus accipiat, & sacris faueret, & intentos esse iubeat. Namque in Deorum sacrificijs taciturnitate in primis, & intentis animis, opus erat, qui si opus facientem, Sacerdos inter sacra vidisset temerari, & populi putabâtur religione inexpiabili, &c.* Cùm igitur Sacerdos & videre populum, & vicissim ab illo videri, religione sanciretur, in aliquo monte, vel in cliuo, sacra Ara extruenda erat, vt inde Sacerdos, & victima conspicerentur magis; etiam ipsa celsissima Crucis Ara, in quâ æterno Patri victima, Sacerdos, & Sacrificium Christus Dominus, in Caluariæ cliuo excitata, vt Orbi toti spectabilis foret.

Taciturnitas iussa præcipuè in sacrificiis.

Crux cur excitata in cliuo.

Altare cur Ara dictum? In illa ignis sacer, & iuramenta.

Dicebatur etiam Altare *Ara*, quia ibi igne sacro ardebant victimæ, oblatæ Deo; augebatur illi ex igne sacro honor, qui in ara splendebat; sic iuramenta, quæ olim per ignem fiebant, vt magis solemnia forent, firmabantur in ara; mos etiam ad Christianos deductus ad hæc vsque tempora perseuerat.

Ezech. 45. Templi Hierosolymitani ara dicta Ariel, & cur.

Tandem iudigitatum Altare apud Ezechielem *Ariel. Ipse enim Ariel quatuor cubitorum.* Ibi enim Altare describebatur, cuius summa pars, in qua oblata sacrificia Deo, dicebatur *Ariel*; sed cur *Ariel*? Qui ex Hebræo interpretatur *Leo Dei.* Apponitur *Dei* ex phrasi Hebræa, quæ cum explicare non valet magna, facit diuina, ita cedros Dei, montes Dei, flumina Dei, passim in Scriptura sacra, ad exaggerandam, vel celsitudinem, vel proceritatem, vel copiam,

piam, montium, lignorum, fluminum. Sed cur Altare, *Leo magnus*, quæ illi cum leone proportio? Verissimam illam puto sententiam, quæ non à maiestate capitis, qua leo se præfert bestiarum Regem; non à luminibus, quæ illi magna, lucentia, ac inter villosa supercilia scintillantia ignem; non à iuba regali inter colla, & armos effusa; non à laterum vi maiore; non à protuberante pectoris firmitate; non ab immani dentium rictu, Templi imaginem exprimit, sed ab eius vngue, quo atterit ouium, hircorum, vitulorum, boum, greges, ac armenta. A diffuso itaque cruore, à dilaniatorum corporum numero, ab internecione, & laniena perpetua victimarum, Altare Hierosolymitanum *magni leonis* sibi nomen arrogauit, cum nullum ibi tempus, dies, hora nulla, qua non iugulata, non dilaniata, armenta, & greges oblati. Elegantissimâ igitur analogiâ, ad explicādas innumeras victimarum oblationes, assumitur Leonis symbolum. Metaphorâ vsus consimili Iacob Patriarcha morti proximus, prædicēs Hierosolymitanum templū, illud indigetans lupi nomine, *Beniamin Lupus rapax, manè rapiet prædam, vespere diuidet escam:* Quam prophetiam Lippomanus, ac Hebræi passim de Templo interpretantur, ex innumeris ibi oblatis victimis, ac vespere inter Sacerdotes diuisis. Quadrat optimè vaticinium, tum vel maximè, quòd in Beniaminæ tribus confinio ædificandum Templum.

Quæ Analogia inter Leonem, & Altare?

Genes. cap. vlt. Lippomanus, & Hebræi.

Cur Templū Hierosolymitanum dicatur lupus rapax.

Verùm & hæc nomina non immeritò tribuenda reor Christianorum Altaribus, ac Templis, non ob ingentem victimarum copiam, cùm in aris nostris nisi vna, quæ salutaris extat & diuina, offeratur; Lupus tamen, & leo, Altare, ac Templum dicitur, dispergens, deuorans, dilanians illos, qui Templa ingredientes, audent altari inferre iniurias, prophanis intenti negotiis: Vagantes oculis, perstrepentes linguâ, ipsa videntur sacramenta, ac Sacerdotem aspernari; sed de hoc contemptu sat supra diximus, cum de Templo loquuti sumus. Præterea & Leo dicitur, cum Altare, Dei Vicarium dici possit, qui leo sæpenumero indigitatur: *Vicit leo de tribu Iuda.* Quando enim Altare contemnitur, contemnitur ipsummet Numen.

Altare Dei imago, ideo colendum.

men.

men. Sic Malach. 1. *Offertis super Altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te?* Statimque subdit. *In eo, quod dicitis, mensa Domini despecta est.*

Saluianus. l.4. de guber. Eccl.

Pro coronide, do Saluianum inuehentem in homines, debitum cultum non deferentes sacro Altari. *Ecclesias, vel potiùs Templa, atque Altaria Dei, minoris reuerentia quidem habent, quàm cuiuslibet minimi, & municipalis iudicis domum.* Heu facinus! minoris habentur supremi Iudicis ædes, à quo æternitatis librantur pondera, quàm magistratuum, à quibus vix momentanea, & leuia expenduntur. O mi homo, cogita tecum diuinum Oraculum: *Quid prodest homini si vniuersum Mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Verum Altare, quod paruipendunt homines, maximi æstimant Angeli. Finio cum Basilio, qui eleganter huc flectit, quòd Seraphim Angelorum nobilissimi, ignitum carbonem à sacro Altari, non manibus, sed forcipe tulerint. *Tecum reputa,* ait ille, *quanta fuerit amplitudinis Altare illud, quod quidem vix adiri poterat, vt ne auderet Seraphim manu attingere, sed forcipe ignem in manu accepit.* Rationem tanti cultûs expendens Hieronymus affirmat: *Gemmas pretiosissimas, carbunculos, non humanâ industriâ, sed potentiâ diuinâ inflammatas, ad purgandas peccatorum sordes; Quod autem Altare, sub quo animæ Martyrum, tunc videantur in cælo, & Ioannes in Apocalypsi loquitur, & calculus iste, qui à solis Septuaginta ἄνθραξ, id est, carbunculus est interpretatus, potest non carbonem significare, vel prunam, vt plerique existimant, sed ἄνθραξ, id est, carbunculum lapidem, qui ob coloris flammei similitudinem, igneus appellatur; ex quo intelligimus, Altare Dei plenum esse carbunculis, hoc est igneis calculis, & prunis, peccata purgantibus; vnde & scriptum de Deo legimus. Carbones succensi sunt ab eo.* Hem! Quantâ diligentiâ, quantoque cultu, & reuerentiâ colendum Altare, in quo Christi imago exprimitur, carbones inueniuntur igniti, sordes humanæ emaculantur. Deo suauissima, & illo, digna offertur victima.

Minoris à Christianis habentur ædes diuinæ, quam humanæ.

Angeli magnifaciunt nostrum Altare.

Cur forcipe carbonẽ ignitum tangunt. *Basil. Isaia 6.*

Hieronymus. Carbones in altari carbũculos fuisse.

CAPVT

CAPVT III.
TEMPVS FRVCTVVM.

Ceremonialia Sacramenta ſolemnitatibus aliquot affixa.

DOMVS ſuæ religioſam maieſtatem Paterfamilias adeò ſanctè inſtituit, vt poſt aſſignata munera, quibus ornati ſuo charactere, domeſtici incumbunt, poſt commendatas virtutes, quibus rectè, ſanctéque viuant, poſt ſacrum cultum, fidem, ſpem, charitatem, quo intimè Deo inhærcant; ne ritus ſacer corpori deeſſet, ceremonias adornauit, quibus familiares ſui, externo cultu venerarentur Altiſſimum, fermè ad inuidiam cæli. Deo ſenſibus pateſcente, cælites attoniti mirantur artificium diuinum, quo eleuata caro adorat Numen. Par enim erat, vt Verbum factum homo, ad culmen tam ſublime euehens carnem, corpus raperet ad ipſam Diuinitatis ſeruitutem; Porrò homine geminante cultum, ſpiritali adorationi, externam adiiciente, in æterno præmio conſors ſpiritus caro euadit, nedum alterius merito, ſed obſequio ſui. Ipſa ſtupet natura, cum conſpicit corpus appenſum animæ fermè ad illius dedecus, ipſo graui ſarcinæ pondere ſuſtolli ſpiritus, ad faſtigium cæli, & ad ipſum Dei famulatum.

Cur ceremoniæ inſtitutæ?

Natura ſtupet diuinum artificium, quo eleuata caro adorat Numen.

Oblatrent ad hæc myſteria minuticanes Caluinus, & Lutherus, tanquam ad ſacræ lunæ vmbras; quorum alter ſacramenta omnia eiurauit, alter eluſit, vterique ſacras ceremonias deteſtati. Proh facinus! Ceremonias, quas vt depoſitum ſacrum Timotheo Paulus tam ſtudioſè commēdat, quas tanto decore vniuerſalis Eccleſia per tot ſæcula retinet, tanto cultu venerantur ſancti Patres, contemnere audent horrenda hæc monſtra ad infamiam ſæculi ſui nata! De hæretico auſu ſacras ceremonias deridente, hæc Tudenſis. *Hæretici cùm non valent aliter decipere, mimorum*

Inuectiua in hæreticos.

Tudenſ. de hæreticis.

speciem induunt, & cantilenis, & sacrilegis iocis,& quæ fiunt à ministris Ecclesiæ Dei, in psalmis Ecclesiasticis, & in officiis cæteris, subsannationibus, & derisibus fœdant, vt vel sic valeant mentes fidelium fascinare, & ab Ecclesiasticis officiis reuocare. Hi frequenter subsannant clericos, & Ecclesiastica sacramenta, ipsis clericis, quibus iaculatoriè derogatur, nonnumquam præsentibus, dicunt bona esse huiusmodi, quia fiunt propter lætitiam excitandam; vnde non blasphemiæ, sed ioculatoria sunt credenda.

Hæretici irridét sanctas Ecclesiæ ceremonias.

Inter innumeras, quas adducere rationes in medium possem, cur Paterfamilias tanto studio domi suæ commendatas voluit sacras ceremonias; Vna illa erit, vt dies aliquot non Ecclesiastici Orbis annua resolutione tantùm læti forent, sed accedentibus ceremoniis, ipsa deuotione sacris. S. Augustinus ad Ianuarium scribens notauit, quibusdam solemnitatibus inesse vltra annuam festi orbitam, etiam ceremonias sacras, ad magna mysteria, ac sacramenta exponenda. *Sacramentum est autem in alia celebratione, cui rei gestæ ita rememoratio fit, vt aliquid etiam significare intelligatur, quod sanctè accipiendum est. Eo igitur modo agimus Pascha, vt non solùm in memoriam, quod gestum est, reuocemus, sed etiam cætera, quæ circa ea attestantur ad sacramenti significationem non amittamus.*

S. Aug. epist. 119. ad Ianuar. Aliquibus festis diebus, ex Augustino, latent in eorum ceremoniis sacramenta aliqua.

Prima lux, quâ agnoscimus cum sanctissimo Præsule sacramenta ceremoniarum Pascha est, his exultat, & lætatur Ecclesia, admonens plebem sacram, vt resurgente è tumulo capite, emergant cætera membra à fœdo flagitiorum conditorio, vbi iacent tumulata. Hûc respicit nouus è silice excussus ignis, inflammatus cereus, accensæ lampades, benedicti fontes. His ceremoniis rapitur homo, vt maiori cultu, ipsis vrgentibus elementis, concelebret sacra. Solemnis in Scriptura mos est, vt Mortalibus suo muneri deficientibus elementa sufficiant. Hebræi cùm sicca à lacrymis haberent lumina, spargunt frigidam, vt in Dei cultu calescerent. *Hauserunt aquam, vt effunderent in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illâ, atque dixerunt, peccauimus Domino.* Aqua, in orationis lacrymarum, ac pœnitentiæ subsidium asciscitur. Rectè Gregorius.

De sacris Paschæ ceremoniis.

Elementa aduocãtur in subsidiũ torpentis in deuotionem animæ.

Primò Reg. 14.

S. Gregor. in hunc locum.

rius. *Quid est aquam haurire, nisi de profunda aqua pœnitentis effusione lacrymarum fluenta producere?* Effusa ex vase aqua, est admirabile symbolum pœnitentis, cùm cor expiatum, abiectis piaculis, nil in se retineat pristini laticis, quem abundè non effuderit. Hoc petit liberioris vitæ detestatio, & conuersio recta ad suum Numen. His lacessiti symbolicis lacrymis Hebræi, veras effudêre. Sic placatur iratum Numen His omnibus adiice album colorem, ex quo nomen sacra Paschatis hebdomada sortita est, ad explicandum ingẽs plebis Christianæ gaudium. Vestimenta hæc sunt iustitiæ, & indumenta salutis, quibus indutum se Propheta cecinit, ad significandam recuperatam libertatem; resurgente Christo è tumulo. Candidas enim vestes assumptas in publicæ lætitiæ testimonium, in gratulatione ipsa contestatur Antiquitas. Cùm enim postulatus esset ad tribunal reus, innoxius inuentus posito squallore vestis, sumebat albam. Ita ex Ethnicis, Liuius l. 45. Suetonius in vita August. cap. *99*. Ex Hebræis Philo legatione ad Caium. Adiice & aliud mysterium. In sacrâ Christi resurrectione omnes candidatos esse cæli, quia magistratus, & sedes cælestes debent, ac possunt petere, Paulo clamante. *Consedere nos fecit in cælestibus.* Petitores enim magistratuum apud Romanos, candidati dicebantur, cretâ, & sulphure toga candefacta, vt non prensando solùm, sed candore, & luce, magistratus extorquerent. Christiani cruore diuino dealbati, ex dicto Apocalyptico. *Dealbauerunt stolas suas in sanguine Agni.* Mundi à peccatorum sordibus, posito scelerum squallore, assumpta innocentiæ veste, quid-ni petant cælestes sedes? vrgente Paulo: *Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* Mirum quantum hæ ceremoniæ valeant ad excitandum ad cælestia, sanctum, ac internum animi impetum.

Aqua effusa ex vase, ex eo, quod nil retinet, symbolum veri pœnitentiæ.

Cur dicatur alba sacra Paschæ hebdomada.

Isai. 61. 10.

Vestes albæ assumptæ in testimonium lætitiæ, & iustitiæ.

Christiani die Paschæ candidati possunt petere sacras cæli sedes. *Apocal.*

Post delibata Sacramenta in die Paschatis, iubet ad illa descendere, quæ læta sacro Purificationis die recolit Ecclesia, quibus spiritus assurgit ad verum, & cæleste lumen, materiali flammâ, quâ sponsa excitata ad sacri cultûs ardorem, ornata lumine, obuiàm ire audet sponso suo. Egre-

Mysterii in die Purificationis præcipuè de accensa candela. Cyril. Hierosolymit. Cathec. 22.

glè Cyrillus Hierosolymitanus. *Spiritu feruentes, ad hunc modum, & iucunditatem compositi festiuè, hodierno die lampades nostras exornemus. Tanquam filii lucis Christo, vero illi lumini cereo offeramus; quandoquidem lumen in reuelationem Mundo apparuit. Lumen itaque à lumine mutuati, super niuem dealbemur, super lac, & caseum emolliamur, super lapidem saphirum luceamus; super castas columbas, puri in cælo subuolemus, & quasi nubibus subuecti, Deo occurremus.* Quàm magna ex hâc ceremoniâ fidelibus sperat Cyrillus? Spiritale lumen, candorem niuis, volatum ad Cælum, conspectum Numinis. Quis crederet tot spiritualia bona, ab inflammatis cereis, tanquam à canalibus gratiæ potuisse in humanum genus deriuare? O sanctas ceremonias!

Lib. 1. de gestis Pontificum Angelorum.

Quantùm Deo arrideant hæc sacra mysteria, nobili miraculo comprobatum. Mirum enim est, quod refert Vuilliemus Malmesburiensis. *In Purificatione sanctæ Mariæ, frequente ciuium collegio in templo assistente, omnium repentè luminaria, seu casus, seu Dei nutus extinxit, omnibus stupefactis, matronæ cereus lucem accepit cælitus, communicatoque cæteris igne, timorem distulit, securitatem indixit.* Cælum, cum non dedignatur in societatem cerea lumina asciscere annuens vtramque flammam fore cælestem, & quà caro, & quà spiritus illustratur, testatum reliquit, quàm fuerit illi grata hæc luminis ceremonia.

Die palmarū Summus honor Christo exhibitus.

Pergo ad diem Palmarum, quæ palmam ferè, ac honorem summum Numini tribuit. Nobilissima hæc ceremonia, pueros Hebræos, parentes agnouit, hâc illi Christum adorant, hâc Deum agnoscunt. Ab illis obsequia exhibentur digna Numine, Christo triumphanti. Stratæ vestes ad mollienda Principis vestigia. Summus cultus apud veteres habitus est; dum quod alicui honori est; alterius subiicitur pedibus. Iesu tumultuario opere, Rex factus, vt talis agnosceretur ab omnibus, ad eius gressum, & ad regia vestigia vestes substratæ sunt. Idem ad magnum virtutis Catonianæ decus ostentandum, peractum illi à suo milite fuit, vestimenta enim strauêre in locis, per quæ ex Prouincia decedens, transiturus erat: auctor est Plutarchus. Pueri Hebræi, vestibus in terram stratis, palmarum

Reg. 4 cap.

Cur stratis vestibus additi palmarum rami.

ramos addidêre, vt non modò Regem agnoſcerent Chriſtum, ſed adorarent vt Numen veniens è cælo, id rectè obſeruatum lego à Poëta veteri.

Perque viam, vt Regi velamina purpurata,
Arboreáſque frondes, & olentia ſerta
Sub pedibus ſtrauêre omnes, voce fatentes.

Opportuniſſima Chriſto Deo homini ceremonia, qui σοφία κοσμήτης appellatur à Syneſio. Antiqui, vt affirmat Theodoretus, neque thus, neque victimas Diis ſuis offerebant, ſed arborum folia manibus decerpta, veluti primam pubeſcentis naturæ lanuginem, quæ comburebantur in Creatoris cultum, cui & fruges, & gramina, & omnia, quæ in tellure oriuntur adoleſcunt, cadunt, tribuenda ſunt. Percelebris apud Græcos etiam hæc ceremonia, & hic dies, quem βαϊοφόρον nominabant, βαΐον palmæ ramus dictus, eadem voce largitiones, & congiaria ſignificata, quæ benignitate Principum hâc die, in Palatinos, & Patriarcharum in Clerum effundebantur. Teſtis huius ceremoniæ Balſamon. *Præcelſam*, inquit, *Imperatorum circumſpectionem, & Patriarcharum magnificentiam cum reliquis auguſtam faciebant, & annuæ erogationes, & donorum, quæ βαΐα nominabantur munifica largitio.* Ritus hic ad honorem ſacræ huius diei facit, qua Chriſto honor exhibitus ex more patrio, Deo conſuetus; ita Ioſeph. *Iudæi patrio more in ſacrificiis poſt incenſas victimas, poſt gratiarum actionem, manibus geſtabant ramos myrti, & palmæ, ex quibus mala Perſeæ pendebant.* Palmis appenſa mala Perſeæ arboris, non ſine myſterio factum, nimirum, vt idem quod ore dicerent, etiam corde profiterentur. Frondes Perſeæ in ſimilitudinem linguæ faſtigiatæ, fructus in cordis imaginem efformati, egregiè exprimebat Numini honorem exhibitum linguâ, & corde. Adiice, quòd palmarum rami concutiebantur interdum, in triumphantis Ducis cultum, & ad id munus exhibendum ex longinquis partibus legati miſſi. Igitur Principi, quem ſummo cultu excipere geſtiebant, occurrebant populi cum ramis palmarum, & ſparſis in terram floribus. Sic egregiè Pilo legationem ad Caium, & Lucianus de Rhetorum ductore.

Theodoretus. Antiqui cur Diis offerebant frõdes. *Syneſius.*

Dies palmarum celebris apud Græcos.

Hac die palmaria congiaria diſtributa

Balſamon.

Ioſeph. lib. 1. cap. 3.

Cur palmis appenſa mala Perſeæ arboris.

Concutiebãtur rami palmarum in honorem triũphantis.

Tandem à palmis descendo ad puluerem, quo homo aspersus capite, sistitur ipso primo Quadragesimæ die ferme reus ad Tribunal sacrum. Non poterat opportuniori ceremoniâ, nec symbolo expressiori induci plebs Christiana pœnitens ad Numinis pedes, vt victos olim à Dæmone, & à Deo demissos ostentaret. Ita olim in sacris litteris rei sistebantur iudici, & victi milites duci triumphanti. Dauid ait. *Inimici eius terram lingent.* Hoc est, humum ore amplexabuntur, qui deinde admittebantur, sed serò, in conspectu victoris. Hûc etiam allusit Eremicola apud Hieremiam. Thren. 3. *Ponet in puluere os suum, si fortè sit spes.* Hoc est, supplicem se in conspectu Dei obiiciet, submissione, flagitiorum suorum sperans veniam. Videtur hæc ceremonia, ad pœnitentiam, & dolorem demonstrandum à naturâ ipsâ inducta, cùm etiam apud Ethnicos idem modus placandi Superos. Liuius sic inducit Romanas matronas pro auertendâ ab Vrbe peste.: *Strata passim matres, crinibus Templa verrentes, veniam irarum cælestium, finémque pesti exposcunt.* Quàm gratus sit Numini hic submississimus actus, lectissima fœmina Anna ostendit, in suo Cantico: *Suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Ecclesia annuit ex puluere hominem ortum, conuertendum in illum, vt sedeat cum Angelis, solium gloriæ tenens. Id verbis Ioëlis suadet: *Conuertimini ad me in toto corde.* Thesauros æternos spondet.: *thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Apud Isaiam etiam, puluis pro squallore, & miseria vsurpatus. *Finitus est puluis*: Philo inducit Hebræos accedentes ad Caium contectos puluere in pœnitentię signum. Ex his omnibus liquet, quàm sancta, quàm opportuna ceremonia cineris, in ipso pœnitentium dierum exordio.

[Margin: De ceremonia primo die Quadragesimæ exhibita. — *Psalm. 71.* — *Hieronym. Thren. 3.* — *Liu. lib. 40.* — *Primo Reg.* — *Isai. 16* — *Philo de legat. ad Caiū.*]

Verùm, non modo statis diebus ceremoniæ attributæ, sed innumeræ sunt, quas perpetuo ritu obseruat Ecclesia, ad spiritualem fidelium progressum, ad delectationem, ad exhibendum Numini cultum; his rationibus inuentas allegorias, asseuerauit Augustinus. *Quod aliquid per allegoricam significationem intimatum, plus moueat, plus delectat, plus honorat, quam verbis propriis dicerentur apertissimè.* Ceremoniæ;

[Margin: Ceremoniæ ab Ecclesia inductæ ad progressum spiritualem ad delectationem, ad exhibendum Deo cultum. — *Aug. epist. 109. ad Ianuarium.* — Cur inuenta allegoria.]

remoniæ allegoriam ſapiunt, hæc omnia in Chriſtianorum pectoribus elegantiſſimè operantur, mouent ac impellunt ad cæleſtia. S.Auguſtinus egregiè ſpiritualem hũc impetum ad cæleſtem flammam, his verbis expreſſit: *Ipſe animæ motus, quamdiù rebus terrenis implicatur pigriùs inflammatur, ſi inde feratur ad ſimilitudines corporales, vt inde feratur ad ſpiritualia, quæ illis ſimilitudinibus figurantur, ipſo quaſi tranſitu vegetatur, & tanquam in faculâ ignis agitatus accenditur, & ardentiore delectatione rapitur ad requiem.* Pigreſcit corpus numquam ſponte à ſede ſuâ ſubmoturum veſtigia, à ceremoniis impellitur ad motum, excuſſo torpore, neſcio quomodo ſuauiſſimè rapit homines ad diuina. Quot torpentes, ingreſſi ſacris diebus, baſilicas, viſis ceremoniis, impetum ad cæleſtia ſentiêre, & excuſſo torpore, Deo vacârunt? Ceremoniis ſacris, veluti rhedâ ſubuehentes pigrum corpus ad diuina. Domeſticorum ordo, elegans domus regiæ apparatus, exquiſita mundities in re ſacrâ, modus tam accuratus, perculſit Reginæ Sabæ pectus, vt à ſeipſa fermè excederet ad Salomonis amorem. Pluſquam Salomonica pompa in Eccleſiaſtico templo ſplendet, vbi in ſacris ceremoniis, Dei familia in ordine ſuo miniſtrat. Sacer ritus præcipuè in Miſſæ ſacrificio, impetum quendam, ac flammam excitat ad diuina in fidelium pectoribus. De Valente Imperatore refert Gregorius Nazianzenus, quòd cum veniſſet ad templum, vbi Baſilius Magnus faciebat ſacrum, ac rei diuinæ operabatur, obſtupuit; verbis illius vtar, *ad concinnam modeſtiam ac decorem Angelicum potiùs, quàm humanum, ipſe Baſilius Numinis referebat imaginem, exprimebant cæteri Liturgi, ac myſtæ, Angelorum, cæremoniæ, quibus ſacra fiebant in ſtuporem rapiebant omnes, qui eas defixo obtutu ſpectabant; ipſemet Imperator perfuſus ſacro horrore, niſi manus aderant aſſiſtentium, qui eum ſuſtinuerunt, humi collapſus foret.* Quid dicam de Eccleſiarum nitore, ac munditie? Hieronymus, Nepotianum ſuum laudat. *Quia erat ſollicitus ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pauimenta terſa, ſi ianitor in portâ, vela ſemper in oſtiis, ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta, in omnes ceremonias pia ſollicitudo*

Quo pacto homo accēditur ex ceremoniis ad ſpiritualem flammam.

Vis Eccleſiaſticarum ceremoniarũ.

Greg. r. Nazianz. orat. 20.

Obſtupuit ad illas Valens Imperator.

Munda ſupellex in Eccleſia conciliat deuotionem.

Hieronymus epiſt. 3.

do dispositâ non minus, non maius negligebat officium. Paucis interiectis. *Basilicas Ecclesiæ Martyrum conciliabula diuersis floribus, & arborum comis, vitium pampinis adumbrat, & quicquid placeret in Ecclesia, tàm dispositione quàm visu presbyteri laborem, ac studium testaretur.* Ne mireris, vitium pampinis decorata sacra altaria. Ex Leonis enim monitu. *Quæ in se sunt vilia, fides efficit pretiosa.*

Leo. serm. 2. de quadrag.

Non solùm, ad sacrum impetum, & ad motum diuinæ laudis faciunt hæc sacra mysteria; sed, mirum est, quantùm his deliciis capitur, ac delectatur animus. Sic sponsa filios suos sacri lactis vbertate nutrit. Quis crederet, vel ipsam crucis ceremoniam, quâ Christianus signat se, hilaritatem, & gaudium annuere mundo? Augustinus ait, *Hilaritatem significat Crucis latitudo in transuerso ligno, vbi figitur manus. Per manus enim opera intelligimus, per latitudinem, hilaritatem operantis, quia tristitia facit angustias.* Hinc monet ille, vt stantes oremus, in resurrectionis signum, Alleluia addatur psalmis, in cælestis gloriæ aspirationem, vbi hilares, & in cantica perpetua assurgemus.

Ceremoniæ et am hilaritatē creant.

Signū Crucis hilare Christianis. *August.*

Tandem ex Augustini sententiâ, cæremoniæ inuentæ ad sacrum Numinis honorem, & quò submissior cultus, eò sublimior honor, cui exhibetur Egregiè D. Thomas. *Habet hoc humanus affectus, vt ea, quæ communia sunt, non distincta ab aliis; minùs reuereatur, ea autem, quæ habent aliquam excellentiam, discretionem ab aliis magis admiretur, & reuereatur, vt inde etiam consuetudo hominum inolenit, vt Reges, & Principes, quos oportet in reuerentiâ haberi à subditis, vestibus pretiosioribus ornentur, & etiam ampliores, & pulchriores habitationes possideant. Propter hoc oportuit, vt aliqua specialia vasa, & speciales ministri, ad cultum Dei ordinentur, vt per hæc animi hominum ad maiorem reuerentiam adducerentur.* Ad Numinis reuerentiam, faciunt ordinata familia, Templa, altaria, festi dies, campani æris vsus, tandem ipsa sacrificia sacris referta ceremoniis, quæ dignæ sunt vt eas Angeli suspiciant. Ad idem etiam tendit vsus vestimentorum, quæ diuersimodè vsurpantur, talaria, manicata, cucullata: ipsemet color in sacramento est, quod vestes sint pullæ, albæ, subnigræ, cineritiæ, variæ.

Ceremoniæ inuentæ ad exprimendū cultum. *D. Th. 129. 102. art. 4.*

Singulis

Singulis sua non desunt mysteria: Ministri albati solemnibus diebus adsunt sanctissimo Eucharistiæ sacramento. Ad reuerentiam enim facit, exterior ille candor, intimi index, quo dealbati liturgi coram Altissimo stant. Gregorius Nazianzenus ait: *Vestibus in niueis astabat turba ministra: splendorem referens agminis Angelici.* Id etiam ad modestiam, & ad pudorem facit. Petrus, cum nudus piscaretur, Christum videns, vel cum discrimine vitæ, mare intràt vestitus. *Præcinxit enim se vestibus,* vt Christum inuiseret, sed pudori, modestiæ, & reuerentiæ duxit nudum corpus operiri vestibus. Tandem chorus ipse, in quo Religiosi viri, laudes Deo canunt, ex Chrysostomi sententia æmulatur ordinem, stationes, & choros Angelorum. Cæterùm vbique inspiciatur decor domus Dei, id est, flos pulchritudinis, qui solidissimo modo in fidelium corda se insinuat. Ceremoniæ igitur, animabus progressum quemdam addunt. Ad cælestem, & spiritualem hilaritatem impellunt fidelium corda, ad Deo honorem, quem creatura potest, exhibendum vrgent, in subsidium aduocatis vocibus, & precibus, ipsis externis actibus, interdum ipsis elementis. Hæretici detestantur externum cultum, internum iam pridem detestati. Abiectâ fide, sine qua impossibile est Deo placere, conculcatâ adoratione, spreto Numine, hæresis ad Atheismum degenerauit: hæreticus cùm insanire incipit, non desistit, vsque quò in corde suo dicat. *Non est Deus.* Hæc exordia hæreticorum, vt ad prauum illum perueniant finem, sine fide, sine arâ, sine templo, sine ceremoniis, sine Deo, Dæmoni se deuouerunt. Nos cultum, & ceremonias veri Numinis toto corde amplexamur; quia verissimam fidem tenemus, pro qua etiam mori parati sumus.

Gregor. Nazian. Car. 9.

Ceremoniarum vsus etiã ad modestiam exhibendam

Peroratio de ceremoniis, & earũ vsu.

Capvt IV.

Dies festi Tempus fructuum, quia in his experimur à Deo maiora beneficia.

A Deo in pectore sacri parentis flagrauit erga familiam suam flamma amoris, vt non sat illi fuerit extruxisse templa, excitâsse aras, instituisse sacrum ceremoniarum ritum, vulgâsse legem, prædicâsse consilia, quibus domestici, complanatâ viâ pergerent ad probitatis fastigium, etiam ex ipsâ anni periodo aliquot sibi vendicauit dies, quæ & terris festiuæ forent, & cælo, quibus mortales, & cælites mutuas sibi rependentes vices, mutua sibi præstantes obsequia proderent, quàm lætæ vtrique Orbi aduenirent sacræ hæ dies. Æmulatione pari, & Militans, & Triumphans Ecclesia, exprimere gestit, quàm gloriosè de carne, de Mundo, de dæmone vtraque triumphet, dum gratias, quas læta vna spargit; gaudens altera colligit. Cæterùm hæ dies, quibus tanta solemnitas adornatur, adolescunt, & roborantur in cælo; sed primordia sua agnoscunt à terris. Tellus parens, sed incrementa cælestia. Festos dies Christus Dominus, sanctissima eius Mater, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines; cruore, meritis, virtute, pudore suo, sacrârunt, viuentes in terris; Sed gratia cælesti, & adiumentis diuinis *sunt id quod sunt*.

> Cur dies aliquot festiui dicuntur & dicati Deo.
> Dies festi & cælo & Mũdo læti sunt.
> Festa dies primordia sua habet à terris sed perfectionẽ à cælo.
> Paulus inquit *gratia Dei sum id quod sum*.
> *Origenes in illud numer.* 28. *Quæ affertis mihi in diebus festis.*

Promiscua igitur & Paradiso, & Mundo, dies festiua est. Rectè aiebat Origenes, *est Deo magna festiuitas, humana salus. Ille fuit dies festiuus* addidit sanctus Augustinus, *quando Mundum redemit.* Eadem beneficia effusa à cælo; exhibita terris vtrobique festam diem pariunt.

> *Aug. q. 78. Noui Testamenti.*
> Cur tempus fructuum dicitur dies festus.

Meritò tempus fructuum, festos dies dicimus, quos edit terra, sed gliscunt ex incrementis haustis è cælo; sapiunt gustui diuino opera nostra, sed ea mellita dulcedine, quam ipsummet Numen infudit. Descendunt Angeli his diebus; vt colligant fructus, & in promptuariis cælestibus

> Angeli accurrunt ad colligenda opera nostra festis diebus.

lestibus recondant, gratia diuina sapidos. Ipse Sponsus, vt fructus pomorum suorum colligat, in vineam suam descendit. Idem exhibuit Christus Dominus: Materiale templum, festiua præcipuè die intrat, vt spirituales fructus excerpat ab humano corde. Sic eleganter Chrysologus. *Iam die festo mediante ascendit in Templum, quod Templum? Nescitis quod Templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis? Ascendit hodie Dominus nostri pectoris in Templum, qui tam clementer nostri corporis descendit in formam.* Aureo eloquio Chrysologus, Verbum carnem assumens (summam nimirum gratiarum impensam humano generi,) cum die festo componit, quo intrat in corda mortalium; vt ostendat fermè, parem exhibuisse benignitatem, corda nostra ingrediens, ac de cælo descendens. Qualibet festa die, quasi renascitur Numen ad vberiora beneficia elargienda mortalibus; Eodem fortassis & Petrus Damianus collimauit: festiuitates nostras, Neomeniæ, hoc est nouæ lunæ comparans; *Sol*, ait, *Christus*, *Luna sancta vniuersalis Ecclesia, deinde qualibet fidelis anima eius, qui splendor gloriæ, radiis illustrata.* Tunc nouum, ac plenum dicitur cæleste hoc luminare, quando lumen accipit à suo Sole, hinc Luna, vt Phœbæa lampas fabulis Poëtarum decantatur. Die festo potissimùm splendidissimi nitent Numinis radij, à Sole iustitiæ in quaslibet fidelium animas effusi, quæ inimicæ non sint luminis; renuentes illud, oppositis peccatorum tenebris. Hinc & Ethnicis exortæ fabulæ, festis diebus descendere Deos in fana sua, ad fauorem mortalium. Hinc, his diebus simulacra Numinum honorata pompa diuina, facibus, lucernis, funalibus. Sic ille.

Ipse etiam Christus.

Chrysologus serm. 85.

Qualibet festa die quasi renascitur Numen ad elargiendas nouas gratias.

Damianus epist. 26. l. 4.

Cur comparat dies festos Neomeniæ.

Sol iustitiæ clarius illuminat festā diem.

Inde domum repetam parnas vbi nempe coronas
Accipiunt, fragili simulacra nitentia cera. — *Horat.*

Sparsis etiam floribus, & mundo solo, ab æthere venienti occurrebant suo Ioui, vt his delinimentis, benignum, ac placatum experirentur qui fortè ad simulacrum, & ad ædem suam descendebat iratus.

Hinc nostrum placabo Iouem, laribúsque paternis,
Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores. — *Idem.*

Etiam & in foribus solemnis apparatus, quâ Numina credebant intratura Templa sua.

Cuncta nitent, longos crexit ianua ramos.
Et matutinis operantur festa lucernis.

Lucernarum splẽdor, cultus & pompa Deo sacra & cur?

Potissimùm, luminum, facum, ac lucernarum existimabatur tum apud Ethnicos, tum apud eos, qui veram profitebantur fidem apparatus dignus Deo. Nullum enim terris datum symbolum nobilius, quo cælestia exprimantur, luce ipsâ, idcircò, & ignis, qui in tenebrarum horrore positus, vndique suum spargit lumen, Dei symbolum existimatum apud Hebræos. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* In magnâ illa rupe, vbi insedit Numen, legem daturum Moysi, fulgura, ignis, & coruscantia lumina apparuere, vt spectante populo, claresceret, ibi cinctum nubibus Deum latere. Diuinus hic cultus, malignitate temporum, gliscente adeò mortalium ambitione, degenerauit ad homines. Persarum Regibus ignis præambulo fuit. Aduenienti Pompeo Neapolim, Parthenopæi, teste Plutarcho, facibus, ac funalibus accensis occurrunt. Deflexit etiam, sed maiori ratione, ad sacram pompam, luminum ritus. Præsules excepti cereis, facibus, & inflammatis lucernis, sic Fulgentius Episcopus Afer, Athanasius, & cæteri, quos Cedrenus, & Nazianzenus referunt, clero funalibus eunti obuiàm, honoratos.

Psalm. 97.

Exod 2.

Lucernarum pompa degenerauit ad hominum honorem.

Plutarchus in vita Pompei.

Splendent itaque sacræ ædes cereis, facibus, ac inflammatis lampadibus, festis diebus, vt innuant, ad mortalium fauorem, Deum descendere, cui abblandientes Mystæ terrenâ luce, exornant cælestem, ac diuinam. Verùm misso sacro facum ritu, ac fabulis. Certissimum puto, Deum festos dies sibi adiudicâsse, quia in his recludere gratiarum fontes decreuit peccatoribus, & auxilia ad benè, sanctéque viuendum conduplicare.

Diebus festis Deus gratias multiplicat.

Hinc postquam cæli, & syderum auctor numerari voluit hominibus, & suâ morte iter ad veram vitam sancire, aurea hæc ætas nobilitata cruore diuino, adeò abundat diebus festiuis; vt verè dici possit. *Tempus acceptabile, & dies salutis.* Rectè interdicta seruilia opera, fora, lites, iurgia,

2 Corinth. 6.

Explicatur quo pacto dies festiui deseruiant rebus sacris.

iurgia, vt homines operantes diuinis, excipiant beneficia cælestia, quibus referta sacra hæc tempora; Vt enim instrumenta, ac vasa, quæ sacramentis, id est, gratiarum fluentis, deseruiunt, sacrantur solemni ritu, sic etiam festi dies (quorum Sabbathum symbolum fuit) nobilitantur sanctitate, ac benedictione præcipua, quia his diebus, vberiores gratias depluere mortalibus Deus, alto suo consilio decreuit. Egregiè quæ diximus firmat Caietanus ingenti ingenij sui acumine. *Benedixit, & sanctificauit, id est, in eo benedictiones, & laudes fieri voluit, & sibi consecrauit, sicut vestes, & vasa sanctificantur, & benedicuntur, quando diuino cultui applicantur.*

Caietan. in c. 2 Genesis.

Pulchrè aduertit in sacra historia Ioannes, die sabbatho à Christo Domino ægrum detentum prauo, ac longissimo languore, restitutum sanitati. Festo die tàm insigne beneficium impertiendum, vt, qui luctuosè, & atro lapillo numerasset tot annos; festum diem agnosceret, sibi propitium, illúmque albo calculo notasset, cum & corpore, & spiritu sanus surgeret à grabatulo suo. Transtulit Deus gratiarum cumulum, quem effundere assuebat Hebræis die Sabbatho, in Dominicam; festiuitate vna in alteram commutata. Id egregiè ex manna, die Dominica completo colligit Orig. *Die autem sextâ parent quod inferant, vt sit duplum: Ex Scripturis apparet, quòd in Dominico, primo in terris datum est manna. Sic enim scriptum est Sex diebus continuis collectum est, septimâ autem die, quæ est Sabbathum cessatũ est. Ergo sine dubio initium eius à die primâ, quæ est dies Dominica, fuit; quòd si die Dominico pluit, & Sabbatho non pluit. Intelligant Iudæi, nunc prælatam esse Dominicam nostram Iudaico Sabbatho. Iam indicatum est quòd Sabbatho ipsorum, gratia Dei ad eos nulla de cælo descendit, panis cælestis, qui est sermo Dei, ad eos nullus. In nostra autem Dominicâ semper Dominus pluit manna de cælo.* Profectò de Eucharistico pane, de diuina voce, qua Deus variis modis monet mortales, de diuinis auxiliis, his diebus conduplicatis, intelligit Origenes, hoc manna veniens à cælo. Id etiam clarè paulò ante commonstrauerat: *Gratia Dei ad eos nulla descendit, quæ ad nos maxima descendit die Dominico.*

Ioan. cap. 12.

Languidus cur sanatus dies festo.

Ex manna quod pluit die Dominico colligit Origen. translatam solemnitatem Sabbathi in dominicam.

Origenes Exod. 16.

Mediolanensis Præsul Ambrosius, affirmat diebus festis (quos Dominus veluti magnificentiæ, & benignitati suæ destinauit) modo homo non renuat, decreuisse Deum ad virtutum verticem ducere mortales, vnde despiciant sæculi illecebras facti victores Mundi, ac carnis. *Festus autem dies Domini cum perfectarum virtutum gratia est; qua autem tunc perfecta sunt cum sollicitudinum sæcularium, & corporalium illecebrarum victor animus, delinimenta voluptatis excludat.* Victor sæculi Capitolium tenet virtutis, triumphat, è mundanis illecebris liber; qui die sexta soluit sæculi vincula, quibus cæteris diebus iacuerat horridus, & in squallida seruitute.

D. Ambr. l. 2. de Abel. & Caim.

Dies festi à Deo destinati, gratiis. Perfectionis iter a'r pitur à Christianis præcipuè die festo.

His sacris diebus sentiens Ecclesia paratum, adornatúmque Numen, ad præstanda beneficia, in ea potissimùm se insinuat, quæ cognatione aliqua ipsa solemnia attingunt, quæ celebrat. Nocte Christi Domini natalitiis sacra, quando sedenti in tenebris, & vmbra mortis humano generi, clarissima lux est oborta à cælo, assurgit sancta Parens Ecclesia, petens filiis suis omnium gratiarum cumulum, nimirùm in hoc tenebrarum horrore cæleste lumen, & post miseram vitam, æternam felicitatem. *Qui sacratissimam noctem fecisti veri luminis illustratione clarescere, da quæsumus, vt cuius lucis mysteria in terra cognouimus, eius quoque gaudiis in cælo perfruamur.* Metropolim festorum, sacram hanc diem, meritò dicit Chrysostomus. *Hanc sacram noctem si quis festorum omnium Metropolim dixerit, haud quaquam abhorret à veritate: tum quia nouâ indutus carne Deus apparuit Mundo: tum etiam quod claritas diuina præcipuè hac nocte pastoribus, Regibus, ac toti Mundo illuxit.* Vbi præcipuè ex Clemente Alexandrino stat festorum ratio ex vaticinio Regis Hebræi. *Hac dies, quam fecit Dominus, exultemus, & latemur in ea.* Sic ipse philosophatur. *Per eam, quæ per ipsum tradita est cognitionem, diuinis perfruamur epulis. Dies enim, dictum est Verbum, quod occulta illuminat, & per quod in lucem, & ad generationem accessit vnaquæque creatura.*

Ecclesia solemnitates celebrans ea petit quæ cum iisdem solemnitatibus cognationem aliquam habeant.

Dies Natalis domini Metropolis festorũ & cur?

Chrys. orat. pro S. Philogeno.

Clem. Alex. lib. 1. strom.

Festo die, quo Stephanus, Deo spectatore, ac cælitum plausu, de superato hoste triumphauit, hortatur sancta Ecclesia,

Quid petit Ecclesia in die S. Stephani.

clesia, vt fideles charitate, & patientiâ ornati de hostibus suis triumphare conentur. In solemniis Apostolorum, quos Deus posuit (fidei sacræ columina,) eadem orat, vt fidem viuam, hoc est, illam cum mandatorum obseruantia, indat fidelibus. In cæteris Sanctis, qui vel purpurati martyrio; vel candidati virginitatis liliis; vel doctoratûs infulis laureati, vel sacræ fidei decorati professione; vel gloriosissimo alio charactere consignati, conspicui supra cæteros ad nobilem triumphum peruenerunt; vota sua dirigit, vt id genus virtutis assequamur, nos pugnaturi, quale victores illi iam tenuêre. Die Hieronymo sacro, qui in exponendis diuinis arcanis, pœnè ad miraculum fuit Orbi litterario datus, magnis Doctoris merita interponit Ecclesia petitioni suæ, vt sacri expositores claram in perscrutandis Scripturis nanciscantur mentem. Adorat igitur, & petit Mater Ecclesia, probè cognoscens his solemniis reclusos gratiarum latices, quibus fideles felicissimè haurire possint, quæ rectè desiderant.

Quid in solẽnis Apostolorum.

Sanctus Proclus addit, festos dies, tutis portubus esse persimiles, in quibus respirant mortales à fœdis carnis tempestatibus, à vorticibus sæculi, à dæmonis procellis; quas sustinuêre, ac diuinâ fruentes aurâ, læti; ac tranquillati, arenam sacram adorant in sacro Templo. *Vt enim*, ait ille, *aduersis tempestatibus acti, traiecto infesti maris æstu, portubus gaudent tanquam fidissimo vitæ finu. Sic post multas negotiorum molestias, dum feriatur homo, celebritate tanquam requiete curarum, requietisque matre gaudet.* Asterius, dies festos vt matres, ac nutrices fidelium agnoscit: illis enim diebus pastores lac doctrinæ, probitatis cibum instillant suis ouibus. *Quasi*, inquit, *matres, ac nutrices populum congregant, & Sacerdotes ad docendum consedere faciunt, atque adeò tum discipulos, tum Doctores ad animarum curam ducunt; at impellunt.* Sacræ hæ dies loquaci silentio Præsules, Parochos, Prædicatores omnes monent, compelluntque, vt paruulis panem frangant, nec patiantur tempore acceptabili, & die salutis, carere filios doctrinæ pabulo.

Festi dies, tutis portibus cõparati.

Proclus orat. 3.

Asterius hom. an liceat homini dimittere vxorem.

Festi dies cõparati nutricibus.

Innumera sunt bona, quæ hæ sacræ dies pariunt mortalibus, quæ eleganter Proclus enumerat. *Festum dies molestiarum*

Proclus ibid.

Bona quæ pariunt festi dies mortalibus.

stiarum est obliuio, curarum somnus, lætitiæ seges, hilaritas, conciliatio, precationis tempus, pauperum messis, Ecclesiarum ornatus, Vrbium conuentus, inimicitiæ exitium, amicitiæ exordium, in terra cælum. O quàm rectè fructus, quos edit festiua dies enumerat Proclus: tamen ne longior sim, quatuor tantùm expendo. 1. Precationis tempus. 2. Pauperum messis. 3. amicitiæ exordium. 4. in terra cælum.

Cur dies festus dicatur precationis tempus. Meritò tunc dicitur. *Precationis tempus*, cùm orante pro nobis Ecclesiâ, referantur fluenta gratiarum, vt nobis facillimum sit, aperto tantùm ore, attrahere sanctitatis Spiritum. Inclamat è suggestu Sacerdos, excipiamus auribus Dei Verbum. Canunt lyturgi hymnos, ac laudes Deo? audiamus sacra cantica. Assident benigni iudices in conscientiæ foro, vt ligatum absoluant? afferamus scelera nostra, quibus vincti, vt liberi simus. Tandem, verbis sacris aduocatur è cælo Numen, delitescens sub panis speciebus? Ora, & corda aperiamus, vt repleamur ab vberibus consolationis suæ. *Pauperum seges.* En grex mendicorum adstat præ foribus, stipem petens à nobis, vt postea templum introgressi, demetamus aureâ falce, copiosissimam bonorum cælestium segetem. *Amicitiæ exordium.* Positis odiis, vnusquisque aræ accedat, hominum, & cælitum amicus, lætantur Angeli de peccatorum reditu ad bonam frugem, & de parta pace exultant homines. Tandem. *In terra cælum.* Dei impleta voluntate, sanctificatur homo, ex orationis Dominicæ monito. *Fiat voluntas Dei sicut in cælo, & in terrâ.* Diebus enim festis, terra nobilitata gratiis, ac beneficiis diuinis, euasit cælum. Audi ex Chrysostòmo, quot bona è cælo haurit nostra tellus his diebus. *In veris festis animarum salus, & concordia est, quies verò omnis, & tranquillitas, & charitas, & gaudium & pax, & mititas, & innumera bona.* Inspice quàm pulchrè, his stellulis picturatum cælum Ecclesiasticum: Intuere expressam in illo Sanctorum gloriam, ac beatitatem. Profectò his diebus, Templum, cælum est, & Paradisi imago.

Cur pauperum seges.

Cur amicitiæ exordiũ.

Cur in terra cælum

Chrysost. ser. 1. in Genes. Quot bona hauriat è cælo tellus festis diebus.

Inuectiua in perperã festa celebrantes. *S. Procl. ibid.* Verum, heu facinus! Qui sathanico ausu temerare tentauit cælum, deducere festos dies, ad orcum ausus est. S. Proclus ait. *Multæ sunt solemnes celebritates, non tamẽ æqualia*

lia feriarum lucra ; Aliæ quippè sunt à Deo constitutæ , aliæ à dæmone illatæ. Quo pacto dicemus festiuum tempus , quod dæmoni iurato generis humani hosti dicamus ? quod rependere ipsâ pœnarum æternitate debemus , tempus festiuum indigitabimus ? Idem sanctus in solemnia perperàm à gentilibus celebrata , sic egregiè inclamat. *Gentes sua festa celebrant, ac pudibundè affectus suos deificant.* Idem , sed planiùs Theodoretus. *Neque defuerunt , qui turpissima flagitia quæ vel ipsi accusant , & à quibus abstinere adolescentes magnoperè adhortantur , Deos nuncupârunt , & tanquam Diis cultum venerationémque exhibuerunt.* Interiectis paucis , variis enumeratis modis, quibus vitia in Numina asciscebantur , hæc subdit *Est quartum genus externæ cuiusdam insaniæ furorísque plenissimũ, quam enim patientem animæ vim appellant expertémque rationis, quamq; rationis imperio subiici adornât, hanc multæ gentes deificant, vimq; concupiscendi venerem, cupidinem, tunc ebrietatem, Dionysium vocant , Dionysius enim Liber pater interpretatur.* Hem : quò peruenit mortalium furor ? Quod in homine horrent homines, adorant in Numine , illique cultus , ac festos dies peragunt.

S. Proclus.

Theod. de vera gent. affectione.

Quo pacto vitia ab Ethnicis deificara.

Pergo ad Iudæos , de quorum detestandis solemnitatibus etiam Proclus hæc addit. *Iudæi festos dies agunt , sed ventrem Deum traducunt , feriásque post satietatem , peccatorum causas reddunt. In deserto , die actitantes auream imaginem adorârunt. Ad lites , & contentiones ieiunant. Hierosolymis festum diem celebrantes , Crucem aduersùs Dominum compegerunt.* Inspice fœdum festorum exitum ; innocentiam afflictam , sanctitatem crucifixam , Deo mortem illatam. Hæccine Iudæorum festa ? Verùm , quæ de Iudæis, ac Gentilibus præfati sumus ; in Christianos detorquere vtinam non possimus , qui festis diebus , & Baccho, & Veneri litant licentiùs, colentes Gentilium pudibunda simulacra. Ad Templa commeant , non vt Deum adorent, sed vt Venerem suam , quasi Numen lustrent in æde sacra. In hos crederem vibrata Dauidica tela *Tempus faciendi Domine, dissipauerunt legem tuam.* Dissipatam Dei legem, amarissimis lacrymis (quando colenda magis foret) ploramus.

De detestandis Iudæorum festis.

Inuectiua in Christianos diebus festis Templa frequentâtes vt venerem suâ colant.

Psalm. 140.

CAPVT V.

DE FERIIS ECCLESIASTICIS.

Ecclesiastico viro omne tempus fructuum est, quia illi perpetuò feriandum à rebus Temporalibus.

PATERFAMILIAS cum vrbanam seruitutem sanctè composuisset in cælo; decreuit adornare rusticam in terris, quæ æmularetur cælestem. Cum enim mortales rustici, & in vineâ nati, nequirent nancisci summam felicitatem, iussit ille, vt vitam agerent à iurgiis, à litibus, & à prauo opere feriatam, sicque cōcederent ad quietem, beatitatis vicariam. Cæterùm, vt in vinea, Pater æquè nobilem haberet familiam, ac in vrbe, vtramque honestauit titulo pari. Cùm enim vna à summo, quo fruitur bono, pleno omnium ore diceretur beata, alteram à perpetuis, quas illi indixit feriis, beatam fecit ore suo: *Beati serui tui qui assistunt coram te omni tempore.* Eâ enim lege adsciti mortales, vt Christi Domini augeant familiam, & dicantur ciues sanctorum, & domestici Dei, si ferias indicant operibus mundanis, vni Deo incumbentes supremæ suæ sorti; ideo & charactere honestatos, & Ecclesiæ mancipatos, & capite coronatos, & à cæteris segregatos, voluit. Primæ enim voces, quas limites sacræ seruitutis ingrediens audit Clericus, sunt, *Dominus pars hæreditatis tua, & calicis tui, ipse est, qui restituet hæreditatem tuā tibi.* Portione mundanâ abrenunciatâ totus in spe hæret supremæ sortis, gaudens in vineâ Christi rusticari, vt inde exploratum omnibus faciat, se iam ascitum in Dei familiam, ex Hypponensis Episcopi oraculo: *Rusticamini fratres, vt sitis ciues sanctorum, & domestici Dei.*

> Feriæ datæ sunt Clericis quasi vicariæ beatitudinis
>
> *2.Deuter.4.*
>
> Feriæ Clericis indictæ vt sorti suæ toto opere incumbant.
>
> Qui rusticātur in vinea ciues erunt sāctorum, & domestici Dei.
>
> *S.August. ad Fratres in Eremo.*

Tempora, ac dies à sanctissimâ hæc Liturgorum abdicatione, deperdito pseudo Deorum prophano nomine, acceperunt sacrum, cui accedens summi Præsulis sancti Syluestri auctoritas, constitutione Apostolica, feriæ dictæ sunt,

vt

vt familia Christi perpetuò feriata ab opere mundano vacaret Deo soli. Sic enim in Romano Breuiario: *Sabbathi, & Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadæ dies, feriarum nomine distinctos, vt iam antea in Ecclesia vocari cœperant, appellari voluit, quo significaretur: quotidie clericos abiectâ cæterarum rerum curâ, vni Deo prorsus vacare debere.*

Romanum Breuiarium in lectione S. Syluestri.

Sabbathi, & Dominici retentis vocibus, auctis cæteris diebus feriarũ glorioso titulo; Clericorum munus pulchrè expressum est. In summa, ac sacra quiete illud positum, Sabbathi, & Dominici nomina ostendunt. Itaque cum de ludibriis, ac illecebris mundanis agitur, prudens erit Clerico à morali philosopho responsum: *Non vaco ad ista: ingens negotium præ manibus habeo.* Origenes ex Paulo docet, his feriis, quo pacto tempus ab improbitate redemptum, probitati, ac sanctitati restituatur. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Dies malos habemus*, inquit ille, *quando carnalia pro spiritualibus quærimus: si quando huiusmodi desideria videris exoriri, scias te in diebus malis, ac pessimis positum, insiste orationibus, vt libereris à die illo, & sicut dicit Apostolus, eripiaris de præsenti sæculo nequam, vt redimas tempus.* Tempus impensum Deo, festum, ac feriatum est; Mundo, profestum, infaustum, prauum: illud, hoc redimit. In rebus mundanis fusum, euanuit, tunc redimitur; ac reuocatur in rectam, cum illud Deo consumitur. His feriis Clericus æternitatem nundinatur, cælum, beatitatem, ac Deum ipsum: illis præcipuè loquitur Paulus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum*, indignus, vt in Christi familia numeretur qui tempus lacerans, Christi ministerium macula, & vituperio inurit. Tunc illud impiè frangimus, & excruciamus, cùm otium à Deo nobis datum, iurgiis, litibus, ac offensionibus mutuis, corrumpimus. Etiam apud Ethnicos, Macrobio teste, tunc iugulatæ feriæ, cùm opera danda Diis, litibus, ac iurgiis dabantur. Halant hæ mundanæ illecebræ, lites, ac contentiones, adeò prauum, ac pestilens virus, vt cælum, aërem, tempus ipsum inficiant, ac deforment,

Cur Clerici retento nomine diei Sabbathi & Dominici ceteri feriæ vocantur.

Seneca.

Tempus quo pacto redimatur & ex prauo fiat bonum.

Orig. Homil. 1. in l. 1. Iudicum.

Tempus Deo impensum festũ: Mundo profestum.

Paulus 2. cor. 6.

Lacerantes tempus indigni qui numerentur in Christi familia

Iurgia & lites temerabant ferias.

Macrob.

Cur clericis indictæ feriæ.

Paulus.

Quo pacto tempus pariat æternitatem.

formentur, cui feriæ nostræ medicamini esse possunt, illud probitati, ac diuitiæ acceptioni reddentes, imò & fœcunditati. Quò & Paulus allusit: *Momentaneum hoc, & leue æternum gloriæ pondus operatur.* Pusillum hoc temporis spatium, quo Deo feriamur, nobis æternitatem parit; pauca grana copiosam messem edūt, & vile pretium emit ingentem mercem. Egregiè Hieronymus: *Nemo enim de diuitiis, & sollicitudinibus cogitans, potest sibi tempus redimere. Quando in bono opere consumimus, emimus illud, & nostrum facimus, quod malitia venditum fuerit. Redimentes igitur tempus, quod in diebus malis est, quodammodo immutamus illud, & dies malos in bonos conuertimus, facimus illud, non præsentis sæculi, sed futuri.* Tempus probitatem, ac sortem suam à possessore vendicat, si tenet illud malitia, malum, iniquum, detestabile; si virtus, probum, sanctum, æternum: gemit tempus maliciâ grauatum, gestit euolare ad virtutem. De illo ait sacer auctor. *Sufficit diei malitia sua.* Chrysost. *ipsummet tempus animauit, & veluti afflictum ab omnibus introduxit, quasi quod contra illos de imposita illius afflictione clamaret.* Quam præcipuè sustinet à rerum temporalium iniquo pondere. Hinc Augustinus. *Non dicitur crastinus dies, nisi in tempore, vbi præterito succedit futurum, vnde cum aliquid boni operamur, non temporalia, sed æterna cogitemus.* Accurrit clamanti tempori Ecclesia commiserascens sollicitudine rerum temporalium grauato, ferias indicit, vt à tanto onere saltem respiret in Ecclesiastico Orbe; sanctæ hæ feriæ Clericos faciunt à vitiis, & diuitiis immunes; redimunt tempus, reuocant irreuocabile, & obrutum sæcularibus negotiis ad cælestia perducunt; & ad æternitatem Pauper spiritu hoc pretio à sollicitudine rerum temporalium liber, redimit tempus, & emit, in beatitudine perennans, de illâ tanquam de mercede adiudicatâ emptori, Christus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Hieron. lib. 3. in cap. 5. in epistol.

Quo pacto redimimus tempus.

Tempus bonitatem & prauitatem vendicat à possessore.

Matth. 6.

Chrysost.

Tempus conqueritur de illis qui nimium illud grauant & ferias desiderat.

August. ser. Domini in monte.

Quid agunt feriæ Clerico.

Macrob. de feriis Rusticorum

Quæ erant antiquitus feriæ rusticorum.

Feriæ Ecclesiasticæ, nundinales sunt. Rusticus octonis diebus moratur in vineâ suâ, nono ad vrbem pergit, empturus æternitatem. Ad has ferias tendit Hebræorum Sabbathum, quò docemur, affixam bonis operibus quietem, nec ab illis vnquam separandam vi aliquâ.

Mutuis

Mutuis enim officiis, quies, & bona opera se fouent, vna alteram sequitur, vt perpetuò incedant simul. Egregiè Augustinus. *Obseruandum fuit Iudæis Sabbathum in vmbra futuri, quod spiritualem requiem figuraret, quam Deus exemplo huius quietis suæ, fidelibus bona opera facientibus, arcana significatione pollicebatur, quod etiam Iesus Christus, qui non, nisi quando voluit, passus est, etiam eius sepultura sua, mysterium confirmauit.*

Sabbathum Hebræorum vmbra feriarum Ecclesiasticarum.

Aug. ibidem. Quietis cum bonis operibus cognatio.

Feriabantur die vna Iudæi: Clericis vnaquæque dies feria est, vt ibidem Augustinus: *Gratia perpetuum Sabbathum iam obseruat.* Philo affirmabat *Virtutes carere tempore*, quia virtute prædito vnumquodque tempus, frugiferum, fructuosum, est, nec in vlla parte incultum, ac desertum, ideo damnatur ficulnea sine fructu Quamuis Euangelistæ oraculo. *Tempus fructuum nondum aduenisset*, quia assumpta illa in virtutis symbolum (dum aspera cortice, dulcissimo fructu) non circumscribenda erat tempore, vt illos ederet: *Virtus enim tempore caret*, cognata æternitati, inuariata perpetuò manet afflata sancto Spiritu, semper fructuosa erit fermè Dei æmula. Cæterùm qui spe futuræ quietis operatur, æmulatur Numen, operosum in sacris feriis, illius enim proprium est quietè operari. Pulchrè idem Augustinus. *Deum in se operari cognoscit, qui simul & operatur, & quiescit, & creaturæ præbens congruam gubernationem, & apud se habens æternam tranquillitatem.* Philo finxit hebdomadem totam à Sabbatho deriuare, ex ipso tanquam à virgine matre partum tempus Deo assumendum. Nescit virgo parere, nisi diuina *Quarta lex de semper virgine sine matre seruandâ hebdomade, vt creatura assuescat eius otio, reminiscatur eius, qui omnia fecit inuisibiliter.* Quæ symbolicè de Hebræis Philo aperte de Clericis Ecclesia, quæ iubet hebdomadam feriatam, nullo vexandam labore terreno, sed illustrandam splendore cælesti, cui non aduesperascat vmbra negotiorum, sed immaculata dies luceat perpetuò.

Philo de sacrificio Abel. *Mar. 10.* Virtutes quo pacto carent tempore: ficulnea cur damnata nō edēs fructus quando fructuū tempus non erat.

Deus operatur in quiete.

August. ibid. Sic in feriis operandum Clerico.

Quo pacto tota hebdomada fluit à Sabbatho ex Philone.

Philo in lib. quis rerum diuinarum heres.

Clerico negotiatori nec feria, nec quies est. Vt enim opera praua, sollicitudinem amaram operanti creant, sic bona, suauem, ac dulcem quandam requiem. Eleganter idem S. Augustinus. *Dicitur ideo Deus quieuisse, vt nos admoneret,*

Inuectiua in Clericum negotiatorē.

Aug tract. 20. in Ioan.

post bona opera quieturus, & ideò dicitur, quod Deus fecit opera bona valdè, & requieuit die septimo, vt non speres tibi requiem, nisi post bona opera. Adderem etiam in bono opere, pacem summam, & magnam animi tranquillitatem fore. In precibus Deo fusis, quid nisi & quies, & operatio? Vbi inebriatur orans ab vbertate domus Dei, & quiescit in lectulo Salomonis. Quæ pax in patientia coronante mortalium opera, quasi tangente beatitudinis metam, in abdicatione rerum temporalium sitam. Denique bona opera omnia, musicam, & quietem resonant. Ita Ambrosius. *Caueamus igitur, ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem harmoniam quasi concentum bonorum operum.* In hac harmonia, & in suauissimo concentu stat tranquillitas operantis.

In bonis operibus pax summa & magna quies.

Ambrosius l. 1. offic. c. 20.

Verùm scias, tunc ferias Ecclesiastico dignas, ac sacras, lyturgo esse; cum in illis ferientur oculi, os, aures, manus, mens, ratio, totus denique homo, vt mente & corde integro Deum suum diligat. Feriabantur lumina in Rege Vsitano, inita pactione, ne cogitaret de virgine. Oculi, turpes, ac fœdi negotiatores, circunspiciunt merces, vt nundinentur stupra, fornicationes, adulteria; nil verentes iugulare hoc impudico lenocinio sacras ferias. Tertullianus de cultu fœminarum ait. *Quid illis concupiscentiam importamus?* De mulieribus comptis, & ornatis sermo est, quæ pulchritudinem, veluti venalia mercimonia aspicientibus oculis ferunt, vt paciscantur concupiscentias, ferias omnes temerantes æstu prauarum cogitationum. Claude lumina, adde illis seras, ne tam turpi negotiatori pateant sacri dies. Adiice, quòd Numini sacer his feriis exhibetur cultus, oculis clausis, sed mente oculata. Seraphim astantia summo Deo ministratura, faciem, ac lumina sua, alis velabant, quamuis in amorem diuinum flagrātia ægrè tamen se Numini posse ministrare putant, apertis oculis. Ad eundem sensum Elias audiens Deum venientem è cælo, obuoluit vultum pallio, vt mente clariori illum intueretur. *Quis cæcus, nisi seruus Domini? Qui vides multa nónne custodies?* Ait Vates sacer.

Feriari debēt oculi, aures, os, manus mens totus homo.

Iob. Pepigi fœdus cum oculis meis ne cogitarē de Virgine.

Tertull. de cultu fœminarum.

Oculi illecebrarū turpes negotiatores.

Isai. 6.

His feriis exhibetur cultus Numini oculis clausis sed mente oculata.

Isai. 42.

Sacræ feriæ quo pacto fœdantur apertis auribus.

Fœdantur etiam sacræ feriæ, apertis auribus ad mundana

dana; deferunt enim ad mentem, tumultuantem turbam iurgiorum, litium, tricarum, quibus franguntur sacræ feriæ ex ipsomet Ethnicorum placito, teste Macrobio. Verùm interdum peiora habentur ex auribus, quæ possent in Bacchum, ac Venerem, sacras ferias importare. Castissimus iuuenis Ioseph, ad impudicæ fœminæ pellacia hortamenta sic respondisse fertur. *Hâc voce*, ait Seleuciensis, *non aliter mihi verberantur aures, ac gladio. Quomodò agam? quomodò conspurcatas aures medicabor? quomodò tuorum verborum abstergam meditamēta*; Cautum etiam apud Ethnicos, vt Varro affirmat, conuiuia virginibus, ne illę inter dulcia fercula, puris auribus, prauas excerperent voces. *Vltrò*, ait ille, *quòd maiores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt*. Inductæ feriæ sunt, vt purus ab illecebrarū æstu seruetur animus. Quæ enim pax vnquam erit ambusto ab libidinis igne, qui vsque ad perditionem deuorat, & omnia eradicat germina quietis?

Quo pacto temerata feriæ apud Ethnicos.
Basil. Seleuc. orat.
Cur antiquitus prohibebatur virginibus adesse conuiuiis.
Varro.
Claudendæ aures ne ferias temerēt.
Iob 12.

Oculis, ac auribus, os addo, quod etiam clausum iubeo, ne nundinetur, quod contaminare sacras ferias possit. Rex Hebræus non audebat reserata habere ora sua, ne peccator aduersùs illum consisteret. *Posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator aduersùm me*, quod sic ille versu non ineleganti illustrauit.

Etiam & os ne nundinetur lites & iurgia.
Psal 38.2.

Mecum ipse verbis abstinere ab asperis
& iurgiis decreueram,
Linguæ obseraui claustra fræno, pertinax
obmutui silentio,
Ac temerè ne quid os mali perfunderet
verbis bonis clausi exitum.

Statim lites, & iurgia foràs exiliunt, aperto ore: hæc adeò inuoluunt hominem, & turbatum relinquunt, vt vix illi sit reliqua spes futuræ quietis. Tunc Clericus feriabitur, quando, vt aiebat Tertullianus. *Os taciturnitate signabit.*

Tertull. de patient.

Ad manus deuenio, quæ, & illæ interdum ferias nostras vexant, dissentientes à linguâ. Rectè Tertullianus. *Potes linguâ negare quod manu confiteris, verbo destruere, quod facto struis. Multi probi sunt linguâ, improbi manu, nonnulli linguam habent manibus aduersam.* Vtramque aduoco ad celebrandas

Si quietem amas, os taciturnitate signa.
Quo pacto manus temerent nostras ferias.

celebrandas nostras ferias, habes etiam ex Bernardo quomodo manus ad solemnitatem feriarum trahas; sint illae plenae aromatum, quae Numini offerantur, sic S. Bernardus. *Habeat necesse est manus aromata sua, continentiam in carne, misericordiam in fratres, patientiam in pietate.* Patientiam, continentiam, misericordiam in manu habeat, & in ore qui feriari vult Numini.

Bernardus.

Etiam mens, & ratio ferias suas habet, & quod mirum est, captiuata quiescit, libera laborat. In altissimis mysteriis si hâc illâc discurrat mens humana, perit in labore suo, opprimitur enim ab ingenti gloriâ. Amplexata captiuitatem quiescet, quia captiuat intellectum in obsequium fidei, ut inter fideles seruos dignè numeretur.

Quo pacto mens & ratio feriatur.

Paulus.

In tã benè feriato homine, Deus non dedignatur etiã & ipse feriari: ita docet Ambr. *Noli esse fraudulentus, crudelis, immitis, ut in te Christus caput reclinet, denique, cùm fecisset pisciũ beluas, cũ fecisset ferarũ genera, & bestiarum, nõ requieuit, sed requiẽ habuit postquam hominẽ ad imaginem fecit suam, in quo requieuit, audi dicentẽ: Super quẽ requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos? Esto humilis, & quietus, ut in tuo quiescat affectu. Qui non requieuit in bestiis, multò magis non requiescet in pectore bestiali.* In homine quiescit Numen, sed qualem ipse efformauit, puro, innocenti, sancto, non quem perturbationes animi, & furiae deformârunt. Boue, & asino fouente quieuit in stabulo Bethlehemitico Christus, non tamen quiescet in pectore bestiali, boue, asinóque peiori.

Ambros. Exam. cap 6. Quo pacto in homine benè feriato feriatur ipsũ Numen.

Quieuit Dominus in antro Bethlehemitico asino & boue fouente non requiescet in pectore bestiali.

Ad sublimiorem vitam euocatur Clericus, quae sine abdicatione rerum temporalium, vel saltem ab illarum cupidine, stare nequit, sic lex diuina. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Diuus Thomas quaerit, num è praeceptis, vel è consiliis assurgat sanctioris vitae fastigium: affirmat in praeceptis, petendum vitae spiritualis verum iter: In charitate enim Dei, & proximi stat totius summa virtutis; consilia adhibenda veluti apparitores, qui charitati, ceu Reginae parant viam, ne regali incedenti pompa, turbentur vestigia è confluente turba. Temporalibus bonis veluti scrupulis durescit via,

Clericus non potest esse perfectus cũ cupidine rerum temporalium.

D. Thomas.

Perfectio non in consiliis sed in praeceptis & cur Temporalia bona cur impediunt viã ad perfectionem.

& impedita detinetur; quâ gradimur ad amorem Dei, ac proximi. Tricæ sæculares, ac negotia obnubunt mentem, cor, manus, pedes; confundunt vestigia, quâ ad Deum, quâ ad proximum imus. In paupere, qui vltrò abiecit omnia, triumphat charitas, expedita ad proximum, ad Deum euolat. Sancta Parens Ecclesia, videns temporalia hæc bona aduersantia diuino amori, ab his impedimentis petit solui filios suos, *vt corpore, & mente pariter expediti quæ Dei sunt liberis mentibus exequantur.* Hoc pondere aggrauatus, his clauatus compedibus, quis currere per mandatorum semitam ad Dei amorem poterit? euolabit ille, qui sancto afflatus Spiritu, pondus temporalium bonorum proiecerit.

Oratio Dominica 19. post pent.

Feriæ Ethnicorum, non æquè à liberis, ac à seruis olim custoditæ, cum illi, mentis quieti magis studerent: hi verò corporis, vt, *necessarium laboribus interponendis temperamentum.* Cicero de legibus: *Feriarum, & festorum dierum ratio, in liberis requiem habet litium, & iurgiorum: in seruis operum, & laborum.* Vtrumque vouet Ecclesia in suis feriis, *vt mente, & corpore pariter expediti, quæ Dei sunt, liberis mentibus exequamur.*

Seneca de tranquillit. animi.

Cicero de legibus. Discrimen liberorũ ac seruorum in custodiendis festis

Vna Clericis, vtpotè liberis propria est, in his & libera mens petitur, quâ libertate à Christo donati sunt, qui Deo seruiunt. Altera laicorum; qui mancipati seruitio hominum, corpus à labore, statis diebus reficere necesse habent. Feria perpetua est Clericis: pauci dies laicis ad quietem interpositi: mens enim semper libera erit, corpus sarcinam interdum portat, interdum ponit.

Feriæ Clericorum similes illis quas asseruabant liberi.

Cæterùm Clerici omnes, animo versent suo, cur illis indictæ feriæ? qualis illis vita, ac munus. Seruientes rebus temporalibus, & ambitioni, nescio an viuant, cùm viuere sit tempore frui: quo nemo fruitur, infensus Deo proximóque. Deuteron. 3. *Elige tu vt viuas.* Cicero, occupationibus quàm maximis impeditus ad Quintum fratrem vrgentem, ad augendam seruiendo ambitioni gloriam, respondet. *Faciam quidem, sed quando viuemus?* Ostendens, implicatum multis negotiis, nec sibi, nec Deo viuere. Venio ad Clerici munus. Proh monstrum! Adsunt, qui

Inuectiua in Clericos ferias non custodientes.

Deuter. 3. Impeditus nimiis negotiis ferrè nõ viuit *Cic. ad Quintum fratrem.*

abiectâ libertate, amant vilem seruitutem, & integri nesciunt viuere, ad lucra temporalia, ad illecebras effusi; diuidui, ac ferè semihomines viuunt. Expungendi à domesticorum Dei numero, & à laribus diuinis. Cautum etiam lege Canonicâ est, vt nemo sorti diuinæ adiudicatus negotiis sæcularibus se implicet. Muneri suo instat Clericus, corpore, & spiritu liber, quod est Deo intimè famulari. Monet perpetuò familiam suam è cælo amantissimus pater. *Quid prodest homini si vniuersum Mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Haud enim corpori erit lucrum, quin anima ingens damnum patiatur.

LIBER

LIBER QVINTVS
DE VINEÆ CVLTVRA,
ANALOGICE AD MORES.

Indiculus Capitum huius libri.

LIBER QVINTVS.

Plantauit Vineam.

CAPVT PRIMVM.

De Vineæ tùm ruralis, tùm mysticæ plantatione, ac culturâ.

MVLTA ac signatissima diuinæ prouidentiæ argumenta in hac vineæ plantatione elucent; Cùm enim prudenti vinitori plantandæ vineæ cogitatio subiit. Primùm de opportuno fœcundóque solo cogitat; deinde noxias euellit stirpes, quæ officere nouellæ vineæ possint; postremò luxuriantes, & syluescentes vites, ferro succidit; tum denique adultas vel cum statumine maritat; vel si quæ sunt viduæ in propinquo, propaginibus vestit. Contra hæc quæ ruralibus vinetis conueniunt, in mysticâ vineâ expendere mihi animus est.

Munera prudentis vinitoris.

Solum tunc ferax, cum à prauis stirpitibus purgatum: Cælestis vinitor cum mortalium aliquem in electissimam vineam adornat à prauorum consortio segregandum iubet. Rex Hebræus aulæ diuinæ morem probe noscens, fermè ipsi Numini abblandiens ait. *Domine à paucis de terra diuide eos.* Cosmas Indicopleustes apud Agellium Vatis petitionem illustrans inquit. *Paucos de terra eos, qui saluantur vocat; Ab his precatur hostes diuidi ad huc viuantes: nimirum improbos homines, ne conuersatione sua simpliciores lædantur.*

Psalm. 16. *Cosmas Indicopleustes* *Psalm.* *Agellius.*

Separationis iustorum, a prauis non leue prædestinationis argumentum. Ex Theophylacti sensu idem est prædestinatus ac segregatus.

Non leue prædestinationis argumentum in hâc prauorū, à proborum separatione apparet, ab hâc enim vita supremus Iudex segregare incipit agnos ab hœdis, decretoriâ die id completurus. Ex Theophylacti sensu in idem recidit segregatus, ac prædestinatus. *Segregatus in Euangelium Dei, id est, prædestinatus*, ait ille, *quemadmodum*, *& Hieremias alloquitur. Priusquam de vulua exires sanctificaui te.*

Pharisæorū, secta à separatione ab aliis, & nomē & dignitatē astruxit.

Pharisæorum secta Hebræorum nobilissima, teste S. Hieronymo à separatione asciuit sibi nomen, vt ex nomine dignitatem, ac sanctitatis existimationem acciperet. *Pharisæi, qui se quasi iusti separauerant, diuisi appellabantur.* Putabant Pharisæi se esse supra cæteros, quia diuisi à cæteris. Ipse Dominus cum gentē Hebræam separatam ab Ægyptiis, & ad terram Chanaam translatam voluit, tunc sub fide, ac tutela sua eam recepisse compertum omnibus fecit: Vates Regius ait, *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantâsti eam.* Cæterum Chananæorum stirpes à vinea Israëlitica inter Ægyptiacas labruscas vix nata, decreuit eradicandas funditus, ne illa sterilis, ac infructuosa marcesceret, ex earum contagio. Non absimile sanctissimo Patriarchæ Abrahamo accidit, cui indicitur, vt patrio relicto solo, cæcis vestigiis, in terras pergeret, quas consequentes ætates visuræ erant, suorum nepotum, ac posterorum subactas ditioni. Loth vi à praua regione pulsus, salutares colles petere cogitur; vt præpropera separatione, à prauorum infami consortio, vitam, ac salutem suam custodiret. *Festina, & saluare.* Summa itaque adhibenda Superiori Ecclesiastico diligentia est, vt separata à prauis stirpibus vinea, feraci solo, & clementi cælo perfruatur: neutrum enim habere poterit in prauorum societate, ac consortio.

Psalm. Cur Chananæi ab Hebræis separati.

Loth cur montēs iubetur petere. *Genes. cap.*

Prælatus manu sua colere debet suā vineam. *Columella. Basil. cap. 1.*

Cæterū Paterfamilias Vineam manu sua plantet. Vt enim ex Columellæ monito alienæ curæ minimè vineæ plantatio permittenda; *Cui vineta facere cordi est, ne aliena potiùs curæ, quam sua credere velit.* Sic Prælato interdictum, mysticam vineam demandare alienis manibus, ipse illam colat suis. Basilius ait: *In Vinea quæ est anima repositur copiosa vbertas fructuum; planè digna primigeniâ plantatione, & agrico*

agricolatione Dei ; *verè enim plantata est* , *& ad imaginem Dei creata.* Bonus vinitor opera sua, à prauis stirpibus solum mundat, & segregat ab his omnibus, quæ nocumento vitibus esse possunt ; Haud patitur in vinea includi, quæ fructuum vbertati aliquo pacto officiant.

Plantare aggrediens locum parat apricum. Vites enim apricissimæ sunt, & solaribus radiis impensè delectantur ideò in collibus ac locis sublimibus, à solerti, & prudenti vinitore vites satæ. Virgilius vinearum culturæ peritissimus, arboribus opportuna loca assignans ait. *Carth Ps. 79.*

Fluminibus salices, crassisque paludibus alni *Virg. 2. Georg.*
Nascuntur, steriles saxosis montibus orni,
Littora mirietis latissima, denique apertos:
Bacchus amat colles.

Ipsa experientia cõprobatum est, vindemias nobiliores in altis collibus locisque patentibus, quam ex campo, & ex valle. Vineam, de qua Isaias 5. ad denotandum satam in loco sublimi ; Sacer Autor affirmat sitam in *Cornu filij olei.* *Per oleum* vbertatem ; per *Cornu* eminentiam loci innuens, Cornu enim pars animalis protensa in altum ; vsurpatur ad signandam loci sublimitatem ; *filij olei* ad maximã vbertatem. Ex phrasi Hebræa *filius*, ad rem exaggerandam ponitur *filius mortis*, qui maximè mortem meretur. In Palæstina erat gleba fælix ad vbertatem, & ad prouentum opportunissima, quæ duplicatur per terram olei, vbertatis, ac abundantiæ symbolum. Itaque in loco sublimi plantanda vinea. Hinc Carensis ait. *Vinea radicata in eminenti loco in radio solis vinum bonum facit.* Porrò etiam mysticæ vites steriles sunt, Sole non affulgente. Dauid de illis loquens ait. *Lux orta est Iusto.* Sed cur potissimum iusto lux orta? cum etiam solares radij ex ipso Saluatoris oraculo, æquè in prauos, & probos inundent? Verum mystica vitis pensi non habet illuminatum aërem, quem haurit cum cæteris animantibus communem, sed intimum lumen petit, quo illi virtus, ac vigor infundatur. Rectè August. *Quæ lux orta est iusto, quæ non oritur iniusto? Non ista lux quam facit oriri super bonos, & malos. Est alia lux, quæ oritur iusto, de quâ luce non sibi ortâ, in fine dicent iniusti. Ergo errauimus.*

Illustratur Isaias in Cornu filiis olei.

Quo in loco plantanda vinea est. *Psalm. 96.*

Quam lucẽ, quem Solem exigat mystica vitis. *August. in Psalm. 96.*

à via veritatis, & iustitia lumen non luxit nobis, & Sol non est ortus nobis. Orto Sole diuino, nil horret tenebris, nil vmbrâ confunditur, exteriora omnia, & interiora nitescunt, hoc perfusa luminari. Dicta firmat Versio Hebræa, quæ habet teste Agellio. *Lux sata est iusto.* Vbi primum nota. *Sata* Rusticum verbum, & vineæ omninò accommodatum. Deinde Lux tunc sata iusto, cum abscondita in iusti solo, radices agens sensim gliscit, animam, & corpus illustrans. Nil enim reperitur in viro probo, quod ab hâc sanctâ luce, splendorem, & fœcunditatem non hauriat, Caput, cor, manus, pedes, membra omnia, sensus; totus denique homo hac luce illuminatur, perfunditur, purgatur: Eleganter de his omnibus Gregorius. *Omnibus membris (ait) purificemur, omnes sensus purgemus, nil in nobis sit imperfectum, nil denique luminis expers, relinquamus; Illuminemur oculis, vt rectè cernamus, illuminemur auribus, illuminemur linguâ, partim vt quid Dominus Deus loquatur hoc sic audiamus, partim ne gladius acutus, aut nouacula acuta simus. Olfactu curemus, nè effeminemur tactu, purgemur gustu faucibus, non molliter tangentes, nec rebus lenibus, & politis gaudentes.* A Sole Iustitiæ totum hoc lumen deriuat in mysticam vineam. A superiore (qui Dei vicem gerit) interdum id habet, nimirum, vt Solis radiis perfruens, serenitatem paret venienti Numini.

Agell. hic. Lux quo pacto sata in iusti corde?

Nazianzen. orat. 40. Nil est in homine quod à sancta hac luce non recipiat lumen.

Illuminatâ vineâ, vites crescunt vberiores ab hac luce. Quam pretiosa vina, & gustatui diuino suauia edunt irradiati hi palmites! Nullæ labruscæ conspiciuntur in hâc vineâ. Ibi maturescunt dulcissimæ vuæ, ab arboribus suauissimi pendent fructus, tali Sole aspiciente: Gemina itaque ratione quà Sol, quà Dominus, Christus vineam suam fouet? Fertilis est in agro Domini oculus. Cum neque *qui rigat*, neque, *qui plantat, sit aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Rationem reddit Sponsa, cur sibi vinea foret, quam Salomoni feracior. Ille suam (inquit) custodibus locat. Ipsa non permitto custodibus meam, sum enim illius ipsamet custos. *Vinea fuit pacifico, in eo, quod habet populos, tradidit eam custodibus; Vinea mea coram me est.* Vineæ prouentus Salomoni meo Spōso exiguus, vix pro fructu mille

Cur vinea sponsæ feracior quam illa Salomonis.

Cant. 8. 11.

mille capit: Vberiorem ex ipsis ipsa percipio, quæ vineam in conspectu habeo. Porrò ex Columellæ monito vinitori iuxta ianuam habitatio construenda est, vt intrantium, ac exeuntium conspectum habeat. Discant ex hoc Præsules, quanti momenti sit ad vberes ex vineâ percipiendos fructus, vinitoris conspectus..

Ex Columellæ monito vinitori construenda domus iuxta vineæ ianuã.

Monitum ad superiorẽ, ac Præsulem, vt quæ fiunt in Ecclesia sua suis aspiciat oculis

Hunc genuinum esse huius loci sensum rectè aduertunt recentiores, illustrantes hunc locum. Cæterùm non minùs ruralem, quam pastoritiam artem callebat Rex Hebræus, cum Dominum exorans diceret. *Respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam.* Diuina lumina exquirit mystica vinea, infructuosa est mortalium opera, non affulgente gratia diuina; Oculos in iusto se habiturum Deus spondet. *Intellectum tibi dabo instruam te in via hâc, quâ gradieris, firmabo super te oculos meos.* Fælix vinea anima iusti, & quidem feracissima in vberiores fructus perpetuò gliscens, cum dextera Dei plantatur, fœcundatur benignissima luce, ac Diuino Sole perfunditur.

Delrius in hunc locum.

Prælatus post adhibitã diligentiam suam vineã Numini cõmendet.

Psalm. 79.

Psalm. 31. 8.

Adiiciat vinitor, post plantatam in aprico solo vineam, post noxias stirpes euulsas; culturam, vt vites perpetuò magis, ac magis crescant: hæc duplex erit, Prima, vt siluescentes, ac præcisi palmites, igne comburantur, tali cinere vberiùs gliscunt vites, & fructibus mirum quantum exuberant. Carensis affirmat. *In aliquibus multiplicantur vineæ, quod quia in syluas degenerant, tunc homines cum comburant, optimè fructificant.* Altera erit in vitium propagatione, quia ex cinere, & ex puluere vberiores emergunt vites. Quod in agresti vinea vinitor; id Præsul obseruet in mystica, mortales multis animi perturbationibus agitati, in asperam, durámque syluam horrent, ac in lucum degenerant. Præsul, superflua secet, ac posteà amburat sarmenta; Ex tali enim cinere fœcundiores euadent vineæ. O qualis sylua Niniue? peccator, illecebris luxurians, sterilis omninò bonarum frugum; à superimposito tamen cinere fœcunditatem hausit. Eleganter August. *Niniue Ciuitas per ieiunia simul, & fletus sparsis cineribus, aperuit precibus cœlum, vt indulgentiam Dei deposceret, & salus gentibus comparata est.* Quam ferax facta Niniue, sparso cinere!

Quæ cultura adhibenda à vinitore vt vinea crescat?

Primo expurganda vinea

Carensis.

Secundo propaganda.

Quo pacto superiores expurgare, & propagare debeant suas vites.

Vitis à cinere fœcundior.

August in Psalm. 101.

Cineris cõsideratio iustũ eleuat.

nere: dum ipsum aperit cælum, ad indulgentiam impluendam mortalibus. Si verò è vinea ad vitam transire velimus; Vt fœcundantur ex cinere vineæ, sic glifcunt ex cinere vites. Idem August. loquens de Abrahamo: *Ecce cinerem se dixit Abraham; cum ex humilitate creuisset.* Non arescit iustus in cinerem resolutus, obtectus puluere, non obruitur mortuis, ipse cinis expensus, eleuat iustum, fœcundumque sanctorum operum parentem reddit. De Iacobo ait Scriptura: *Subleuauit pedes suos in lectum suum: & defecit, & appositus est ad populum suum.* Cur redigendus in puluerem, tunc eleuat pedes, quando pondere suo ruens iam ibat in terram? Respondet Chrysostomus: *Subleuauit pedes in lectum suum, quasi cum voluptate rem aggrederetur.* Tunc prata rident, tunc glifcunt segetes, tunc læta apparet mystica vinea, cum cinerem vicinum agnofcit: Vt enim cinis horridam syluam vertit in vineam ridentem, & floridam; Sic mortis cogitatio, mysticam; in regnum commutat Deo gratissimum. Virga à Moyse proiecta, coluber erat, è caudâ resumptus, redibat in virgam. In hoc facto adumbrabatur memoria mortis: quâ à serpente exorta: quâ colubri terminus, ac finis, cauda est; Hæc vbi in serui Dei manu, vertitur in virgam, miraculorum effectricem. Nil enim tam opportunè quàm mortis cogitatio obuersata animo, ac cogitata mente, ad bonam frugem mortales ducit, ac fermè regiis infulis coronat peccatores. Prçclarè August. expendens hemystichium: *Redemisti virgam hæreditatis tuæ.* De virga Moysi in colubrum versa, ait: *In caudâ serpentis mors est sæculi: sed in caudam redimus ad manus Dei, & efficimur stabilium regnum Dei: vt compleatur in nobis. Redemisti virgam hæreditatis tuæ.* Cinis igitur, in vineam, & in Regnum commutat syluescentem lucum. Adiice quòd mortis timor non raró salutem ægro reddit.

August. ibid. *Genes.* *Genes. 49. ex l. 20.* Iusti in morte lætitia. *Chrys. hom. 47. in Genes.* Per mortis cogitationẽ, in Dei manu collocamur, miraculorũ effectores facti. Mortis cogitatio quàm proficua cogitãti. *Psalm. 73. August. ibi.*

Medicus quidam familiaris meus, acri vir ingenio, in arte suâ, mea sententia, cum Æsculapio omninò comparandus; de Cardano illo Medicæ artis Sydere, rem mihi admiratione dignissimam retulit, quòd nimirum incutiens ægroto morti proximo, mortis timorem; liberauit à morte. Res ita se habuit. Quidam æger maximum sanguinis proflu

Cardanus à morte liberat ægrotum per mortis timorem.

Profluuium è naribus patiebatur: Medicamina tali morbo adhibita nulla experta sunt, ac planè superflua: actum de infirmi salute, Medici vno ore conclamabant: inter quos erat Cardanus, in quem salutis infirmi spes tota innitebatur. Hic vbi ægrotum inuisit vultu ad mœstitiam composito, desperatam salutem infirmo ipsi annunciat. Quo timore, lector, putas tunc concussum ægroti animum, iam se componit ad mortem, mox vt putabat resoluendum in cinerem. At ex timore illi parta salus, dum timet, sanatur; sanguis meticulosus, protinus ad cor fugiens, assuetam narium semitam reliquit, circa cor ita se constipauit, factus viscerum custos, vt in posterum non cogitaret diffundi per nares. Ita est. Quo enim magis homo à timore percellitur, eò à cruore magis custodiuntur viscera. Sic ille vitam, ac salutem à mortis timore hausit. Attende idem in mysticâ vineâ. Numen, vinitor factus, ex cinere fructum excerpit, & ex artificioso timore salutem. Fallor, nisi Clemens ad hoc factum respexerit; qui hæc Deo attribuit. *In summa dicam eius in incutiendo timorem, artificium: est fons salutis.* En tibi cinis quo pacto syluescentem vineam, & penè morti proximam, reddidit vitæ? Moritur enim vinea, dum syluescit, corrumpitur pulcherrima facies, redacta in syluam. O quot mysticis vineis syluescentibus, meditatus cinis, ac timor mortis attulit vitam! & illecebrarum senticeta recidens liberauit à morte? Incutite timorem Præsules: Prædicate nouissima, nam ex illis non rarò erit vineæ vestræ, & vita, & salus.

Clem. Alex. lib. 1. pædag. cap. 9.

Cinis cogitatus vitam animæ reddit.

Pastores curent, vt à concionatoribus nouissima inculcentur.

Sed ad Agricolam redeo, ad quem non modò vinea, sed propagatio vitium pertinet. Columella ait. *Virgam cùm à matre in terra deprimere voles, scrobem quoque cursus, quatuor pedum facito*; Vitis igitur cum apparet sepulta, tunc vberiùs propagatur. Idem de mysticâ vite Paulus. *Seminatur corpus animale, surgit spiritale.* Benedictus, & Franciscus, par diuorum omni æuo commendandum, vterque sepultus, in Niue vnus; in Spinis alter: Sed dum animale corpus sepeliunt ambo; propagantur è tumulo, ad vitam, & ad frugem meliorem. Hæc illa mors iustorum, quam dulci alloquio Balahamus tanto expetebat desiderio.

De vitium propagatione

Columella lib. de turb. cap. 7.

Sepelitur corpus animale, surgit spirituale. 1. *Cor.* 15.

Mors iustorum quænam sit? *Num. 23. Ambrof. lib. de bono mortis, c. 3.*

Moriatur anima mea morte iustorum. Vbi D. Ambrosius: *Moriatur anima mea in animis iustorum*, sic ipse legit, *id est, consepeliatur, vt sua vitia deponat. Iustorum assumant gratiam, qui mortificationem Christi in corpore suo, atque anima circumferunt. Mortificatio autem Christi, remissio peccatorum, abolitio criminum, carnis oblinio & assumptio gratiarum est.* Pulchrè in mysticæ vitis propagatione cuncta hæc inuenies. Cum animalis homo sepelitur, tunc spiritualis surgit. Veteris vitæ conditorium, propagatio nouæ est.

Hominis conuersio tanquam si è sepulcro in templum mutaretur. *Clem. Alex. l. 3. Strom.*

Hûc respexit Clemens, dum in mortificato corpore fœlicem agnouit exitum, conuersionem nimirum è sepulcro in templum, è cadauere in Deum. Sarcophagus, mortuorum domus; Templum est Numinis. Itaque tunc sepulcrum vertitur in templum, cum homo in Deum: Animal sepultum; spiritualis homo resurget. Eleganter ille his verbis: *Eis, qui sunt eiusmodi, dicit Dominus. Estote sicut Pater vester perfectus, ei caro est mortua, viuit autem ipse solus, & qui sepulcrum in sanctum Templum consecrauit, veterem peccatis obnoxiam animam, ad Deum conuertens, is non est ampliùs continens, sed peruenit ad actum impatibilitatis, vt Diuinam figuram induat, expectans.*

Baptisma pro sepultura designatur. *Rom. 6.*

Baptisma, in quo veluti sub latebrâ vita, mórsque adumbrata est, regenerationis lauacrum, & conditorium dicitur. *Consepulti enim sumus cum illo in baptismum, in mortem, vt quomodò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vita ambulemus.* Mystica vitis, cum in sepulcro latitat, tunc haurit vitam. Egregiè sanctus Ambrosius: *Qui non ita vi-* *Ambrof. lib. de bono mor. cap. 9.* *uit, vt secundum mortem anima sua viuat, is morti moritur, quia non est obnoxius morti: id est nexus cum ærumnosæ mortis amisit, non constringitur vinculis mortis æternæ.*

Religiosi descendunt in infernum viuentes.

Cæterum vitis propagatio cœnobitis, & cæteris omnibus, qui Numini, sacramento se deuouerunt, optimè congruit, dum in cellula, ceu in sepulcro conduntur, & fermè sub terra viuunt, extrema perpetuò meditantes. Hi sunt, qui sepulcro, & inferorum flammis viui se tradunt, vt illa effugiant mortui. Scitè Bernardus: *A cella* *Bern. in epist. ad fratres de monte.* *enim in cælum sæpè ascenditur; vix autem vnquam à cella in infernum descendunt.* Subdit. *Nisi sicut dicit Psalmista, descendant*

scendant in infernum viuentes, ne descendant morientes. Hoc enim modo sæpè cellarum incola in infernum descendunt; sicut autem assiduè contemplando, reuisere amant gaudia cælestia, vt ardentes appetant; sic & dolores inferni, vt horreant, & refugiant.

A cella rarò in infernum descenditur sæpè autem in cœlum ascenditur. *Psalm. 15.*

Propagationem hanc non vitem euitare, sed perennem illi vitam tribuere compertum est; cùm enim vitis in terram mergitur tunc intimè radicatur, & pastinata depressiùs, altiùs consurgit. Magnus ille vinitor, tunc apertam securitatem de mystica vite habet, cum inspicit positam humiliùs, pastinatam inferiùs, sepultam depressiùs. Id sub pastoritiâ metaphorâ Regius vates aperuit. *Exurge quare obdormis Domine? Facti sumus sicut oues occisionis, propter te mortificamur totâ die.* Quid Numini somnium conciliat, quid securitatem affert? nisi cum morti proximam, ac fermè sub crudeli carnificis manu pœnè mortuam intuetur ouem. Cùm enim illæ ad lanienam ducuntur, tunc decretoriâ die resurgent oues, non hœdi; cùm enim sæculo mori incipiunt, tunc cælestibus refectæ pascuis, incipiunt viuere. O felicem vitis prosternationem! per hanc semitam ad astra extolluntur veræ vites.

Pastoritia Metaphora.

Tandem adultæ vlmo indigent, ne repant humi; pulchrè de hoc coniugio Columella: *Si teneram vlmum maritaueris, nouam sufferet; Si vetustam vitem applicueris, coniugem negabit, ita sibi pares esse ætate, & viribus arbores, vitésque conuenit:* Vites nos sumus, vlmus Christus Cruci affixus; tali vlmo maritanda mystica vitis; quæ in coniugio nescit ætatem: dum viuit semper idonea cælesti marito est, cui adhærens eleuatur ad cælum. Quò etiam anhelabat Regius vates: *Mihi adhærere Deo bonum est.* Bernardus ait. *Ergo si cui nostrum cum sancto Propheta adhærere Deo bonum est, & vt loquar manifestiùs, si quis ita est desiderij vir, vt cupiat dissolui, & cum Christo esse, is profectò non secùs quam in formam sponsi suscipiet verbum in tempore visitationis, horâ videlicet, quâ se adstringit intus, quibusdam brachiis Sapientiæ, atque ibi sibi infundi senserit Spiritus sancti suauitatem.* Felix connubium! Cruci, vel crucifixo maritari. Adiice cum S. Zenone; Ne dum maritandam

Vitium cum arboribus.
Matrimonia qualia esse debent
Columella l. 5. cap. 5.
Christo, & Cruci adhærendum.
Psalm. 72.
Bern. ser. 2.
Zeno Ps. 79.

tandam

tandam vlmo vitem, sed tenacibus loris illi vinciendam: *Vbi adoleuerit*; inquit, *in vitem perfectam, ad iugumque peruenerit, eius omnes crines luxuriosi tonduntur, pura materia tabulatis infertur, nodis astringitur, ne à ligno, quo portatur, vel cuius adminiculo, vel ductu in vberes fructus longiùs inuitata producitur, vi aliquâ separetur.* Dictis, vt ad spiritualem sensum illa flectat, hæc ille addidit. *Lignum auxiliare, quo tenditur, vel portatur, Crucis est Dominicæ signum: sine quo viuere, immortalitatémque apprehendere ex toto non potest Christianus. Quod tabulatis infertur, cælestis via, vitæque altitudo monstratur. Ligaturis astringitur, cum renunciãs sæculo, sponsione factâ spiritualiter, sacris interrogationibus obligatur.* Acutè Zen. ad religiosos alludit, qui religiosis vinculis, crucifixo deuoti, illi sese tenaciter alligarũt.

Idem ibid.

Religiosi quo pacto vites?

Fulgentius plantas satas sub tali arbore felices affirmat. *Vbi seminant in lacrymis, nisi iuxta arborem Crucis, vbi est fructus proximus saluationis? Inde de latere eius sanguinis guttæ stillarunt, & pluuia cruoris, & aqua seminata est, tolerantiæ confessorum. De ipso ligno virentis, iuxta fontem sanguinis plantata virginitas floruit, castitatis cœpit seminis sui germina colligere purpurata. Nam vnde Martyres tolerant, nisi per Dominicam Crucem?* Sub sanctâ hâc arbore gloriantur satæ plantæ, ridentes adsurgunt omnes, & ad felicitatem optatam peruenisse gaudent; cum sub sanctæ Crucis tegmine viuant. Feliciores ipsæ vites, quæ brachiis suis Christum Dominum amplexãtur, ac suauissimè stringunt, cum regio Psalte canentes. *Nobis autem adhærere Deo bonum est.* Felix vinea, vbi gliscunt vites tali arbori, perpetuo, ac indissolubili coniugio maritatæ, abrenunciatis omnibus, quæ possident, subsequentes Christum in sublimia arboris euehuntur fastigia. Eleganter his verbis Zeno. *Ad iugum peruenit, cum prærogata omni facultate pauperibus, Crucem suam portans, consummata omni iustitia expeditior sequitur.* Aduertant igitur Superiores Ecclesiastici, quàm necessarium sit in vinea sua, separare vites à prauis stirpibus ne marcescant; subministrare lucem, vt radicentur altiùs, expurgare, & propaginare, vt gliscant celeriùs, & vuam edant vberiorem, palato diuino suauissimam.

Bona ex Crucis fonte manantia.

Fulgent. ser. de martyrib.

S. Zeno in Psalm. 79.

CAPVT

CAPVT II.

Plantauit Vineam.

Quo pacto mystica Vitis ab Ecclesiastico vinitore expurganda?

CVM de veræ vitis plantatione, propagatione, & coniugio, multa dixerimus, reliquus noster sermo ad illius expurgationem excurrat. De qua hæc eleganter sanctus Zeno Præsul Veronensis: *Luxuriosi crines falce tonduntur, id est, omnia peccata, Spiritus sancti vigore amputantur.* In qua præcipuè prolixam vinitoris prouidentiam expendit Basilius: *Vinea enim, ait, anima est. Per vices autem, ac sensim multiformi prudentiâ colitur sui Conditoris; qui fructus vberes proferentem expurgat; vt cumulatiores edat fructus.* Concinit Clem. Alex. *Putare oportet, fodere, ligare, & reliqua facere, falce, vt sentio, ligone & aliis rusticis instrumentis, ad vitis curam opus est, vt nobis fructum producat exculentum.* Eodem enim videtur vterque collimasse ostendens potissimum in sedula palmitum, ac inutilium sarmentorum expurgatione positam culturam vitis: hanc etiam mortalibus fore perutilem Bernardus eleganter docuit. *Quis enim ita ad vnguem omnia à se superflua resecauit, vt nihil se habere putet, putatione dignum? Credite mihi, peccata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta. Parum est semel putâsse: sæpè putandum est: imò si fieri potest semper, quia semper quod putari oportet inuenies* Origenes Iobum inducit, dum comam capitis sui tondit, sic loquentem: *Vitis enim sum benè macerata, abscindo à me vniuersa superflua, vt in congruis omnibus dicar purgatus, ac iustitiæ perferam perfectum fructum.* Hinc Domini nostri oraculum de mystica vita: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat.*

Zeno in Psalm. 79.

Basil. in cap. 1. Isaia.

Clem. Alex. lib. 1. Strom.

Putationis typus omne tempus. Cant. 2.

Bernard. ser. 48. Premens illud, tempus putationis aduenit.

Iob 1.

Vtilitates animæ ex putatione.

Ex palmitum purgatione vinitori cumulatior fructus, & vinea

vinea feracior. Clemens his verbis: *Syluescit enim vitis, nisi putetur: ita etiam homo; luxuriantes autem, adnatásque propagines, Verbum, qui est gladius, expurgat, cogens appetitiones; ne fructum ferre desiderent:* Perorat conclusione maximâ expensione dignâ. *In hac prouidentiâ adhibet omnes sapientiæ machinas.* Cùm enim passiones nostras Deus amputat, tam suauiter, tàm fortiter, tàm prudenter agit, vt in eis præcidendis omnes adhibuisse sapientiæ suæ machinas, videatur. Id vno, ac altero ab arte Medica deducto exemplo, nimirum à ferro expellente in apostemate succrescentes humores, à dietâ noxiam siccante in stomacho pituitam, eleganter ostendit Clemens. *Chirurgus*, ait, *ferro aperit apostemata, vt diuisa, humor fluat, ne deinceps torqueat ægrotum: ita etiam in appetitionibus agit Deus: curat aperiendo, nam secat, & diuidit, quos vidit nimio affectu in discrimen adduci. Est enim reprehensio*, subdit idem, *veluti quædam Chirurgia affectionum animæ. Abscessus autem humorum veritatis affectione, quos sectione oportet coarguere. Medicaminam autem potioni, aut applicationi est similis, probri insimulatio, quæ resoluit affectiones, quæ iam occaluerant, impudicæque, ac libidinosæ vitæ sordes expurgat, fastusque ac superbiæ carnes, quæ excreuerant, exæquat.* Ad apostematis tumorem, cum resecatum detumescit, est allusio.

Clemens lib. 1, pædag. c. 8.

In putatione prouidentia omnes adhibet sapientiæ machinas.

Clem. Alex. Deus Chirurgo, & medico in animæ curatione similis.

Sanum, ac verum hominem reparans, ac restituens. Mira arte egregius hic Medicus luxuriantes animi perturbationes secat. Benè itaque Clemens adnotat in his. *Apertas sapientiæ diuinæ machinas.* Vitis Dauid; surculus, & luxurians palmes natus ex Bersabæa puer, integra vite cæditur palmes. *Verumtamen filius, qui natus est, morietur.* Quod ideo factum, vt castigata vitis, ex Seruatoris sententia, fructum plus afferret. Chrysostomus, exponens has palmitum sectiones, *tribulationes à Deo immissas*, ait, *quibus superflua luxuriantésque passiones reciduntur.* Cùm Deus mortales vexat, tunc sapientissimi agricolæ personam sustinet; qui iuxta *Sapientiæ suæ machinas*, vites putat. Hinc vates Regius ait: *Cùm occideret eos.* En tibi præcisio, & palmitum amputatio, ad quam fructus propti, cumulatioréśque sequuntur. *Quærebant eum, & diluculò veniebant ad eum.*

Clem cap. 9.

Tribulationes purationes sunt vitium.

2. Reg. 12.

Chrysostomus Ioan. 15. in catena.

Psalm. 77.

Si petas, quo pacto ficcetur humor, quamuis non extrinsecùs effusus, intime tamen noxius. Idem Clemens ibidem ait: *Iam vero admonitio est, veluti quædam dieta ægrotantis animæ, quæ sunt sumenda, consulit; & quæ non sunt, prohibet. Hæc omnia tendunt ad salutem, & sanitatem æternam.* Nedum dieta, sed fames prodigi filij luxuriantes humores ficcauit, qui à se effusus, ad se tandem rediit. Scitè Chrysologus. *Fames reuocat, quem saturitas exulârat.*

Correctio fraterna admonitio dieta est ægrotâtis animæ.

Chrys. ser. 2.

Secandæ igitur, vel ficcandæ sunt animæ perturbationes, veluti infructuosæ propagines, luxuriantésque palmites, quos acutè *appendices* Clemens Alexandrinus appellat. *Oportet*, ait, *cum parte rationatiuâ facti simus superiores, minorem, quæ est in nobis creaturam superare; perturbationes, animi appendices* Seca, præcide infructuosos palmites, & vitij noxios, sterilescunt enim ab his, & vitæ, & vineæ.

Clem. Alex. l. 2. Strom.

Quæ resecâda sunt.

Succus inditus viti à naturâ, ad vina producenda, dum in pampinares palmites diffunditur, infructuosè languescit. Ita Epicurus apud Clementem Alex. *Expetendum, & eligendum est, quod primum à seipso trahit ad seipsum: quod videlicet est omnino in motu.* Exemplo glistentium palmitum, sarmentorumque id patet. Luxuriantia enim sarmenta, quæ à vite prodeunt, ex Columellæ monito, amputanda ab agricolâ, vt ad se contracta virtus, vberior, & fructuosior persistat. Itaque vinitor resecet inutiles noxiásque appendices, si vberes cupis bonorum operum fructus, perturbationibus enim animi vrgentibus, torpet prudentia, cæteræque virtutes languent. Hâc ratione, noctem, à εὐφρόνη à benè prouidendo sapientes dixêre: ex nocturno silentio matura consilia, veluti partes prudentiæ prodeunt, cum enim recedit à sensibus anima; tunc prudentia præstò adest, fœcunda consiliorum parens, docens ad se conuersum hominem, & non aliorsùm effusum, quo pacto sapienter moderetur sua. Eruditè idem Clemens. *Varia autem affectio fit per eam, quæ est circa res materiales affectionem. Quâ quidem ratione mihi videtur noctem vocâsse εὐφρόνη, quoniam anima tunc cessans à sensibus, conuertitur ad seipsam, &*

Epicurus, Clem. Alex. 12. Strom.

Columella lib. 4. cap. 74.

Noctis tempus consiliis maturandis aptius.

Clem. Alex. lib. 4. Strom.

est magis prudentiæ particeps : propterea ergo sacra quoque mysteria maximè noctu fiunt : significantia eam, quæ noctu fit, animæ à corpore contractionem. Hic agricolæ scopus, dum secat palmites, vt intrò reuocet malè effusam virtutem. Hæc dum vexat, Numinis intentio, prauos effectus deputandos, premere virtutem, ne in exteriora serpat. Claudebat lumina sua Iob, *dum pepigerat fœdus cum oculis, ne cogitaret de Virgine. Quàm enim, subdit, partem haberet mecum Deus desuper?* Clausis ad exteriora oculis, mens intrò clarescebat. Clemens ait: *Obscuratis oculis mens nostra in lucem pullulat.* Idem luculentius, *per eam voluit nos Dominus immortalem gustare cognitionem.* Obscuratis oculis, splendida lux menti affulget. Hanc ipsam philosophiam Dauid, & expertus, & confessus ore suo. *Posui ori meo custodiam*, ne in verba effusa marcesceret virtus animi. A prodigo filio, veluti à vite lasciuiente amputata sarmenta, vt optima ederet vina. *In se reuersus, ait, quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo: surgam, & ibo ad patrem meum.* Præcisis affectibus, marcida penè virtus, ad vitam reuocatur, qui iacebat, surgit, qui erat penè mortuus, animam accipit, & animum, quo remeat ad patrem. *Pater peccaui coram te, non sum dignus vocari filius tuus.*

Per tribulationes cōtrahitur interior animæ facultas.

Iob 31.

Obscuratis exterois sensibus pullulat interna lux.

Clem. Alex. 14, Psal. 38. Luc. 15.

Talem se agricolam confitetur, qui syluescentem vineam amputando, dicit. *Non veni mittere pacem, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersùs patrem suum, & filiam aduersùs matrem suam, & sponsum, aduersùs nurum suam. Erudite Theodoretus elucidans. Tempus putationis aduenit, ait, hoc est tempus Christi in carne.* Luculentius Ambrosius: *Volebat Pater cælestis verus agricola à verâ vite, quæ Christus est, omnia sterilia, & arida sarmenta resecari, contagioni vitandæ bonos, à malis, fideles, ab infidelibus, filium à Patre, nurum à socro, carne coniunctissimos, ab omni carnis affectu separari.* Hæc omnia optimè experta est lectissima mulier Melania sancto Hieronymo teste, à quâ cum plurimæ penderent propagines, his repentè secatis, ac proinde virtute contractâ, robustiùs postea Deo famulata est. *Calente adhuc mariti corpusculo, ait ille, ne dum huma-*

Christus putator chaos separans Matth. 10.

Cant. 2. Theod. in illud,

Tēpus Christi tempus putationis. Ambr. ser. 6.

Egregium factū Melaniæ facinus. Hier. ep. 25.

to,

to, duos simul perdidit filios. Quid tunc ex præcisis surculis? *Rem sum dicturus incredibilem, sed teste Christo, non falsam. Lachryma gutta non fluxit, stetit immobilis, & ad pedes obuoluta Christi, quasi ipsum teneret, arrisit:* En ex contractâ virtute fructus vberiores à feracissimâ vite prodeunt: *Expeditius*, ait, *tibi seruitura sum Domine, quia tanto onere me leuâsti.*

Putatio eò etiam tendit, ne vitis multiplicetur, sed vna succrescat. Vitis enim cum vna, tunc feracior, & in fructu reddendo vberior. Id suadebat Pythagoras apud Clem. *Mysticè apud nos quoque dictum est illud Pythagoreum. Oportet hominem quoque fieri vnum.* Serenâ fronte omnia ferat apathes, qui vnus, & animus imperturbatus, & Deo similis erit. Audi Clementis monitum sequentibus verbis: *Qui autem ad impatibilitatem deductus homo, Deus efficitur, citra vllum inquinamentum fit vnicus.* Pape quò tendit vitis expurgatio? Vt homo vnus, & purus euadens, de vnitate, ac sanctitate quasi cum Numine ipso contendat. Præcidens enim inutilia sarmenta penè in Deum vertitur asserentem. *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Id magis inculcans, ait. *Ego sum vitis, & Pater meus agricola est: omnem palmitem in me non ferentem fructum purgabit eum, vt fructum plus afferat.*

Pythagor. Clem. Alex. Oportê hominem fieri vnum. Homo factus vnus, sine inquinamento est. *Ioh 14.*

Sed quo ferro purganda erit vitis, vt fructum plurimum afferat? non retuso quidem, sed acuto: ita ille ait.

Heu ferro cade retuso.

Acuto vitis resecanda gladio, quia plaga, quò celerior, eò mitior, & leuior erit: Verum cælestis Agricola verbo (acutissimo nimirum gladio) amputat, & secat animi nostri perturbationes. Repeto Clementis verba. *Luxuriantes adnatásque propagines, verbum, qui est gladius expurgat.* De quo Paulus: *Viuus est sermo Dei penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animi, & spiritus, compagum quoque, & medullarum.* Acutè præcidit hic gladius, & suauissimè putat, idem enim, qui gladius, & sapientia est; sapientissimè ergo dum scindit, amputat. *In hâc prouidentiâ*, ait Clemens, *adhibet omnes sapientiæ suæ machinas.* Dauid acuratissimam fissuram tribuit præcidenti

Acuto ferro resecanda est vitis. *Virgil. 2. Georg.* Acutè Deus animi nostri perturbationes secat. *Clem. Alex. Hebr. 4.* Gladius sapientiæ. *Clem. Alex.*

Psalm. 19. Numinis gladio. *Vides quoniam tu laborem, & dolorem consideras, vt tradas eos in manus tuas.* Prudens gladius acutè scindit inutiles palmites, vtiles non tangens. Abrahamiticæ viti vnus erat palmes, plurimam sobolem pariturus.
Genes. 22. Recidere tentat Abrahamus surculum: sed cohibetur prona iam ad scindendum manus: *Ne extendas manum tuam in puerum.* Surculo parcendum erat; tum quia ex bonâ vite multi præcidendi palmites; tum etiam quia huic vni destinata felicitas totam implendi vineam. Sapienti itaque ferro vtitur cælestis Agricola, vt innoxiâ sectione præcidens
1. Cor. 13. vberiores ex castigatâ vite colligat fructus. Fidelis Deus, ait Apostolus, *qui non permittit tentari supra id, quod potestis: Sed faciet cum tentatione prouentum.* Hinc piè, & doctè orat Augustinus: *Oremus & gemiscamus ad Dominum, vt seruetur erga nos, quod Apostolus dicit. Fidelis, non vos sinet tentari, supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione exitum.* Ita August. O magnum exitum effugere tentationum laqueos! Perit, qui in ipsis implicatus hæsit: sed redeo ad vulgatam: *Faciet cum tentatione prouentum.* Vbi admiror sapientiam scindentis, & Anselmum pro coronide

Temperantur à Deo tentationes iuxta tentati posse.

August. ser. de vrbis excidio.

Anselm. affero. *Illud facit prouenire, quod potest humana fragilitas sustinere. Nouit enim, quando procellam tentationis exurgere sinat, quando resurgentem reprimat: Nouit pro custodiâ nostrâ restringere, qui contra nos egredi pro nostrâ exercitatione permittit: vt sæuiens in nos, diluat procella, non mergat.* Iubet Deus tunc in tentatione prouentum, cum tentationē, vt expedire nouit, permittit; vrgentes tentationis stimulos molliens, impugnantes cogitationum motus tranquillans, fermè geminâ lance suspendens, vel quas immittit, vel quas permittit tentationes. In Regio Vate, ac in Apostolo concinunt vtriusque testamenti paginæ. *Vides quoniam tu laborem, & dolorem consideras: Non permittit tentari super id, quod potestis.* Ex his colligat Prælatus, quo pa-
Psalm. 9. cto vites suas, secando noxiosos palmites seruet, & multiplicet.

CAPVT

CAPVT III.

Paterfamilias plantauit Vineam.

Vt vitis ab humo, magis quam ab aëre proficit, ſic virtus Eccleſiaſticorum ab humilitate.

VNA vitis eſt quæ & arboris, & fruticis naturam exhibens, maximè tellure indiget, duo enim præcipua ex illâ haurit. Primum, vt ſata ſubcreſcat in arboris menſuram, cui innixa ipſius etiam proceritatem non rarò exæquat. Alterum, vbi malè adulta, & ſterilis apparet, inſinuata terræ finibus, ſurgit ex ſcrobe vberior. Zeno. *Palmes in ſcrobem dimittitur, vt animatus ibidem genitalis humor, manente ſemper ſecum ſubſtantiâ, nutriatur.* Monet nos ſata vitis, quantum terra indigemus, quàm proficua nobis, quàm ſalutaris ſubmiſſio, cùm inde ſurgamus frugiferi, radicati, firmatíque humo: ab humilitatis enim profunditate, meritorum proceritatem nos poſſe dimetiri decantatiſſima Gregorij ſententia oſtendit: *Qui cogitat magnam extruere fabricam, de fundamento priùs cogitat humilitatis.* Sed magis ad rem noſtram Auguſtinus: *Arborem attendite: petit ima priùs, vt ſurſum excreſcat, figit radicem in humili, vt verticem tendat ad cælum.* Idem alibi. *Sine radice auras petis? ruina eſt illa, non incrementum.*

Humilitas neceſſaria, vt celſiſſima pe- ti poſſint.

Zeno in Pſalm. 70.

Gregorius.

Aug. ſer. 38. de verb Domini.

Ex hâc radice fructus bonorum operum prodeunt: *Bonum mihi*, ait Dauid, *quia humiliâſti me vt diſcam iuſtificationes tuas.* Nulla vitis, nullus palmes, nullum flagellum erit, quòd à terra altitudinem ſuam non agnoſcat. Ambroſius cum de vite longiorem texuiſſet ſermonem, ait: *Huius ſimilis eſt plebs Eccleſiæ, quæ velut quadam fidei ratione plantatur, & reprimitur humilitatis propagine, de qua pulchrè ait Propheta: Vineam de Ægypto tranſtuliſti, plantâſti radices eius, & impleuit terram.* Primæ & nobiliſſimæ viti, cuius nos, & palmites ſumus. *Ego ſum vitis, vos palmi-*

Eccleſia ſimilis viti.

Pſalm. 140.

Ambr. lib. 3. Exam. c. 12.

Iob 21.
Christus per humilitatem exaltatus.

tes. Quæ proceritas! quæ fructuum felicitas: dum vna omnia implet, dum Ecclesiam congregat, dum fideles, meritis suis, dignos Deo facit, attamen, tam ingens vbertas, tam sublimis eleuatio ascribitur terræ, non cælo. *Qui ascendit*, de hâc vitâ sermo est, *ipse est, qui descendit, primùm in inferiores partes terræ vt impleret omnia.* Et Ecclesia orans ait ad Patrem cælestem. *Qui in filij tui humilitate iacentem mundum erexisti.* In viscera terræ iuit, Tartareas sedes penetrauit: vt inde Mundum, Æthera, cælum, omnia impleret, fermè toti Orbi in pergulam se extẽdens vnumquemque mortalium tegeret sub hâc vite. Ambrosius ait. *Humiliauit se vsque ad Crucem, propter quod exaltauit illum Deus, vt in nomine eius, omne genu flectatur terrestrium, cælestium, & infernorum. Quanta fecit Dominus? Audeo dicere, & non flexi genu, sed flexi ei, postquam se humiliauit: sic enim per humilitatem, & Crucem, sibi Ecclesiam congregauit.* Quam magna tribuuntur huic viti! sed cuncta illi à terra potiùs parta, quàm è cælo. Praxim in Geltrude sanctissima Virgine inspiciam, quam Blosius, sic cum Deo colloquentem inducit: *Ah Domine mi inter præcipua miracula, quæ facis, istud valdè eximium esse arbitror, qui permittas, vt me vilissimam peccatricem, terra ferat: Ad quæ verba Dominus benignè respondit. Meritò se tibi calcandam præbet: quandoquidem omnis cælorum dignitas ineffabili desiderio iucundissimam illam horam expectat, quâ te excipiat, & portet.* Hem! Quæ vitis Geltrudis, quàm altè radicata! cum ad tam excelsum fastigium exurgat.

Ephes.

Ambr. in ps. 118. *in illa verba: Humiliatus sum vsquequaque, Domine.*

Geltrudis humilitas, vt fuerit à Deo exaltata.
Blos. in illius vita.

Humiliari debemus, sic exaltandi.
Columella.

Quid nos? inutiles palmites, sine hâc vite? Imitemur vitem nostram, obruamur in scrobe, mergi simus; & quod Columella de mergis vitium ait, de nobis dictum putemus. De palmite, & sarmento loquitur. *Id quod à matre abscissum recenserit, confestim altè confoditur, & scrobiculo facto, ad imum solum præciditur, obruitúrque, vt radices deorsum agat: ne ex propinquo, negligenter in summâ terrâ progerminet.* Aspice vitis mergum Iosephum, Iacobi filium, domi suæ hic malleolus, adeò protuberabat, vt videretur palmites omnes superâsse: minimè tamen superaturus, si domi veluti in summâ terrâ geminâsset. Quid bonus agricola?

Ioseph scepera ex humilitate.

Satagit,

Satagit, vt molli obruatur humo, in cisternâ veteri; ceu in scrobiculo latens, inde ad sceptrum surrecturus, & ad regalem felicitatem. Ab imò solo hic malleolus suam agnoscit celsitudinem. Ambrosius ibidem: *Quid fuisset Ioseph si humilis non fuisset? Sciuit, quòd sibi ipsi obfuisset, quod prælatus erat fratribus: etiam pius amor miseriam prælationis inuenerat: prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos, prælatio concitauit germanos, humilitas Regem subditum fecit: vt verè ex personâ Ioseph dictum putes: Humiliatus sum, & saluum me fecit.* Centurionem adhuc vt palmitem considera: Is minimè meruisset Christum domi excipere; quamuis ab Hebræis laudatus. *Dignus est, quòd hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram; & Synagogam ipse ædificauit nobis*, nisi immeritum se putâsset: Malleolus in summâ terrâ non germinat, sed absconditus in imo solo. A terrâ, in qua demissus, non ab aurâ ad quam à senioribus elatus, agnoscenda pueri salus. Centurio ab humilitate, non à commendatione seniorum dignus inuenitur. Idem sanctus Ambrosius: *Religiosus Centurio ad capiendam salutem dignior fit, dum se profitetur indignum: Et dum ædes suas iniuriosas putat; eas magis honorificas fecit, & gratas.*

Ambr. — *Luc. 7.* — Céturionem humilitas extulit. — *Ambr. ser. de Centur.*

Quæ diximus de sanctissimo Centurione, clariùs in Propheta Ezechiele inspiciamus. Vates veluti propago humi inclinata, statim emergit vberior; & à terra, vbi iacuerat sepulta, feracior surgit. *Ecce Gloria Domini; & cecidi in faciem meam, & ingressus est in me Spiritus, & statuit me super pedes meos.* Vbi Gregorius: *Cùm nos humiliter Deo sternimur, Omnipotens Deus, per suum nos Spiritum eleuat, & super pedes nostros statuit, vt qui humiliter nos ex infirmitatis nostræ cognitione iacuimus in bono opere, quasi super pedes ex rectitudine stemus.* Ezechiel videt Domini gloriam, quia palmes quamuis non recisus à suâ vite, à terris magis proficit, quam à cælo.

Domini gloria Ezechieli ob humilitatem manifestata. — *Ezech. 4.* — *Greg. in hunc locum.*

Moyses, à Numine; tunc Deus Pharaonis (maximi vtique Principis) constituitur, cùm ad illum præ humilitate accedere erubescit. Ita Rupertus. *Proinde datus Pharaoni Deus, ad quem accedere verebatur, quoniam eius humimilitas roboris est, vt super regnantem, humilem Deum faciat,*

Rupert. hic.

faciat, Regináque humilitas humilem Deum fecit.

Qui ad Christi pedes deprimitur, ad eius caput exaltatur.

Iob 1.

Veteris Testamenti Prophetæ, noui nuntium, Christi præcursorem, magnum Ioannem attexo. Hunc veluti palmitem ad veræ vitis radicem protuberantem, & illicò in sublime assurgentem intueor: dum enim ad Christi pedes inspicio, emergentem suspicio ad Christi Caput. Vix dixerat. *Non sum dignus vt soluam corrigiam calceamentis eius*, ac illicò manus eius eleuatur super Christi verticem Chrysostomus. *Manum, quam calceamento dixit indignam, hanc super Caput suum Christus attraxit:* Qui ad pedes erat, attrahitur ad caput: hausta virtute à pedibus ad caput iuit.

Chrys. hom. 38 ad populum.

Terra astris, & cælis est tutior ob humilitatem.

Quis igitur putaret protuberantem gemmam è vite glifcentem in malleolum, & in palmitem; è terris, & ab humo magis quàm à cælo, & ab astris proficere? Rectè tamen, vt ostendatur plus ab humilitate, quam à cæteris virtutibus veros palmites vitalia desumere incrementa. Mulieri Apocalypticæ vestis est Sol, suppedanea Luna, caput duodecim stellæ coronant. Tamen vbi à Dragone discrimen imminet, eam deuorare satagente, tutamen, & præsidia, vnde? Num à Sole, eius indumento? Num à Luna, quæ pro sandalibus erat? Num à Stellis, quæ serta illi, & corona? Minimè; Præsidia, & adiumenta Mulieri à terra, quæ vna, Soli, Lunæ, & Astris præstat. *Mulier fugit*, inquit Ioannes, *in solitudinem, vbi habebat locum paratum à Deo:* Et terra adiuuit mulierem. Tutior mulieri fuit tellus, quam cælum, humus quam astra: poterat sanè illa dicere: *Bonum mihi, quia humiliâsti me.* In terra triumphantem Iobum inuenio; in Paradiso Adamum peccantem. Augustinus inquit: *Iob in stercore est cautior, quàm Adam; Ille in Paradiso consensit mulieri, vt de Paradiso emitteretur. Iob in stercore reprehendit mulierem, vt ad paradisum admitteretur.* Quis vnquam putasset Paulum à cælis reuocatum, vt in terris, sine discrimine foret, pugnat nobiliùs in terra, quàm in cælo. Palmites enim terra obruti proficiunt: in cælum elati euanescunt; quare expedit illis, vt humi putrescant, quàm vt extollantur ad cælum. Hæc Ambrosius, illustrans Apostoli verba. *Virtus in infirmitate perficitur. Subuenit, inquit, infirmitas, ne gratia in periculum uerte.*

Apocal. 12.

Apocal. 12.

Psalm. 115.

Iob in fimo securior Adamo in Paradiso

Aug expos. 2. in Ps 29.

Cur Paulo carnis stimulus minimè ablatus fuerit.

2. Cor. 12. Ambros.

verteretur. Vtilior ergo infirmitas, quàm gratia: Eadem quippè infirmitas officina virtutis, & sicut testificatus est Dominus, quia virtus in infirmitate consummatur; ipse post reuelationem rogauit remedium sanitatis, & non impetrauit. Hûc allusit fabulosa antiquitas, quæ dum fingit Anthæum à terra genitum, affirmat illum Hercule valentiorem. Dum enim in terram herculeâ vi proiicitur, inde surgit robustior. Fatalis Anthæo non tellus, sed aër. Terrigenæ validiores surgunt, cum ad puluerem, ac ad cinerem suum redeunt. Origenes de Iob loquens ait: *Meritò terram aspergo super caput meum, vt nouerit Diabolus nequissimus aduersùm quem se habeat; aduersùs hominem de limo plasmatum, ob hoc aspergit terrâ caput suum, vt instruat omnes terrenos, quia possunt similiter stare aduersùs nequissimum.* Cæterùm tunc benè plantatur homo, quando humi obrutus in propaginem effert se bonorum operum. Cassiodorus: *Arbor, quam florere vides, quam summâ conspicis viriditate lætari, subterraneo succo fœcunditatis animatur, reddens in superficiem, quod continet in radice.*

Surgit homo à terra fortior.

Origenes in hunc locum Iobi.

Cassiodor. variar. lect. l. 9 in edicto Atalarici Reg. 2.

Palmes Dauid altè plantatus, & propaginatus emergit ferè mortalibus omnibus superior. *Humiliatus sum*, inquit, *nimis.* Palmes in scrobe, & in imo solo: Altitudo. *Ego dixi, omnis homo mendax.* Tu verò; quispiam Dauidi diceres, si mendax, quia homo; quo pacto homines asseris mendaces? Id Deo, supremæ nimirum veritati tantum conuenit. Respondet ipse, ex humilitate se humanitatem superâsse, & abiisse in excessum: vt supra homines positus de cunctis hominibus sententiam ferret. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*, cum humilis, in excessu meo sum, tunc cunctis antecello, de omnibus decreturus.

Per humilitatem homo supra homines ponitur.

Psalm. 118.

Psalm. 113.

Palmites, qui eleuantur in aëre, non priùs humi sepulti; discolores vuas, agrestes fructus edunt. Pharisæus, palmes videbatur in vberrimos fructus protuberaturus, dum ieiunat bis in Sabbatho, dum omnium, quæ possidet, soluit decimas, dum multa gloriatur fecisse, tamen quia non imo solo plantatus, fructus acerbi, & decolores ex ipso colliguntur. Præclarè Ambrosius: *Pharisæus*, inquit, *in Euangelio, cum abstinens, & parcus esset, alteri liberalis sui, non refugus*

Quantum Pharisæo superbia nocuerit.

Ambros. in Psalm. 118.

refugus ieiunii, vt ipse dicebat, tamen propter iactantiam, illa quæ habere poterat, amisit: nil e[n]i[m] tot virtutum genera, vitio vno decolorata, prodesse poterant Palmes inutilis, languidæ frondes, agrestes fructus. Sarmēta enim quæ in scrobe sepeliuntur, maturantur demissione, & ab humo. Hinc Greg illustrās. *Qui posuit in sublimi humiles att. In sublimi humiles ponūtur, qui cū se ex humilitate substernūt, altæ mētis iudicio cūctā temporalia transeunt, indignos sese in omnibus æstimant, rectæ cognitionis examine huiusmodi gloriam transcendentes calcant.* Apud Ethnicos etiam exploratum ab humo parari viam ad sublimia. Acutè Plinius iunior laudans Traianum, quòd non vt cæteri Principes æqualitatis metu, vsum pedis amiserit, gradiens super hominum humeros; seruorum ceruices premens: *Te ad sydera tollit humus: ita Populus venerabatur communia, & confusa principis vestigia.* Talis altitudo, maximo Principi ab humo parta. Tandem aureis Gregorij Nysseni verbis, finem huic notatio ni impono. *Hæc igitur nostri ortus è terrâ recordatio, nūquam excitari, sæuireque sinat iracundiam. Rationi terra suppetias ferat, eámque semper commonefaciat; Quando cupiditate flagras, & eâ concitatus curris, per terram curris. Cogita quonam sis peruenturus, si in terram dissolutum iri consideraueris: reprimetur cupiditatis furor: Terra es, & in terram reuerteris.* Concludit. *Abiectæ sortis monumentum in promptu est, ex iis, quæ calcamus.* Ad exaltationem cælestem; sepulcrum tibi necessarium erit. *Rationi terra suppetias ferat.*

Iob. Gregor. — *In panegyr. ad Traian* — *Nyssen. orat. 2. de hominis procreatione.*

CAPVT IV.

Plantauit Vineam.

Tellus, & cælum Ecclesiasticæ Vineæ fauent; sed Christi vinitoris impendiis.

Succedant in vinea labores.

MAGNA impendia à Patre familiâs in plātandâ vinea profusa; non defuit suo vineto vinitor, quin illud electissimum faceret, laboribus, expensis, industriæ haud parcit:

parcit: quin suis numeris illud absolueret. Quomodò enim constructum torcular, ædificata turris, sepimento munita vinea, nisi ingentibus vinitoris dispendiis? In ea enim plantanda minimè parcendum crumenæ fuit. Perpetua agricolarum cultura, assiduum studium, indefessam operam exigit. Theophrastus ait. *Labor labori additus, Labor labori succedens:*

Theophrast.
Virg. lib. 2. Georg.

Virgilius.

> *Cui nunquã exhausti satis est, nãque omne quotannis*
> *Térque quatérque solùm sciendum, glebaque cunctis*
> *Æterna frangenda bidentibus, omne leuandum.*
> *Fronde nemus: redit agricolis labor actus in orbem.*

Quid de Ecclesiastica vinea dicam, quæ profusissimis impendiis consita, & plantata à Christo est? Porrò de ea Salomon: *Vinea mea coram me est*; vt ostendatur Dei oculus fertilissimus in Ecclesiastico agro, & nulla desiderata diligentia, nullum studium prætermissum, quin vinea electa foret, Dauid ait: *Extendit palmites suos vsque ad mare: & vsque ad flumen propagines eius. Nec mirum*, inquit, Bernardus, *Dei ædificatio est, Dei agricultura est, ipse fœcundat, ipse putat, & purgat eam, vt fructus plus afferat: Quomodo nempè suâ destitueret curâ, vel operâ, quam plantauit dextera eius? Non planè habenda neglectui, in quâ Apostoli palmites, Dominus vitis, Pater eius Agricola est. In fide plantata, in charitate mittit radices, defossa sarculo disciplinæ, stercorata pœnitentium lachrymis, rigata prædicantium verbis, & sic sanè exuberans vino in quo est lætitia, sed non luxuria, vino totius suauitatis, & nullius libidinis.*

Christi labores pro Ecclesia.
Cant. 8.
Psalm. 79.
Bern ser. 30. in Cant.

Quamuis enim in vineæ Ecclesiasticæ cultura, Apostoli, Martyres, Præsules, Confessores, Virgines desudarint: Opera enim præcipuè Christo tribuenda est: nil enim profuisset frons madida sanctorum, nil impensi labores, nil effusus sanguis, nisi Christus Dominus, & virtutum, & meriti auctor affuisset. Igitur, & fossuræ, & pedamenta, & propaginationes, & amputationes; tota denique vineæ cultura, Christi meritis adscribenda est; ipse enim cruore suo Ecclesiam fermè in peculium castrense sibi adsciuit. Gens Iacobæa viuebat olim, Deo in peculium coaptata.

Merita Christi quantum Ecclesiæ profecerint.
Exod. 19.

In peculium de cunctis populis: & alibi. *Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius. Peculium*, vertit Apollinaris. Verum Ecclesiæ Christianæ magis conuenit, quòd Christi funiculum dicatur. Vineas in hostico satas, militum virtute subactas, moris antiqui erat, illis in Castrense peculium (Liuio teste) militibus permittere, eò allusit Malachias. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, quâ ego facio, in peculium.* Eò etiam videntur tendere verba Regis Hebræi affirmantis, quòd post fremitum populorum, post molita impia facinora, post conspirationem Regum in Messiam, debellatis iam hostibus, Pater decreuerit tanquam in Castrense peculium, daturum se filio Ecclesiam. Igitur, vrgetur ille, vt à Patre petat, quod concedere paratissimus erat. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*; quam ipse suis expensis, effuso cruore, comparauit, & diligentissimè coluit, Pater iam dare decernit. Idem Vates postquam enarrauit, translatam de Ægypto vineam, hoc est Ecclesiam, quæ sata in solo Palæstino, & in Hebræorum populo fermè in scrobe sepulta ad gentes Christo duce (vt totum terrarum Orbem impleret) propaginatur, subdit: *Dux fuisti in conspectu eius.* Agellius ad litteram ex græco, *per ducem itineris*, *Vinitorem* sensit, qui lapides aufert à solo, ne radicibus satæ iam vitis officiant, & in profundum nequeant radicari. Firmat hæc omnia Eusebius. *Dux fuisti, excisáque omni materiâ, ne impedimento esset, quominùs vitis illa fructus afferret.* Hoc ex subsequenti hemistichio patet. *Plantâsti radices eius*; sublatis impedimentis firmæ radices, & in profundum actæ. Itaque viguit valido robore, & in imo solo fixa, adeò creuit vinea, vt occuparet terram suis palmitibus, quibus expansis totum ferè compleret Orbem, quod non nisi Ecclesiæ conuenire perspicuum est; Quandoquidem sola hæc diffusa per Orbem, submotis impedimentis, frugifera facta est.

Deuter. 32. Apollinaris. Malach. 3. Liu. Psalm 2. Psalm. 79. Agell. Euseb apud Agellium. Dux itineris pro vineæ purgatore.

Cæterùm vt ostenderet cuius expensis factum satis operariorum laboribus, qui in vineâ desudárunt; protinus hæc subdit. *Respice de cælo, & vide, & visita vineam istam*;

Sed

Sed *super filium hominis*; id est, super Messiam; Christi expensis: Quicquid prouidentiæ, sapientiæ, gratiæ, culturæ Ecclesiæ, magnus ille Paterfamilias indulsit, totum meritis Christi adscribendum esse; Ipsâ nostrâ fide constat. Ecclesia gratias Deo agens de infinitis acceptis beneficiis, cuncta Christo Redemptori imputans: perpetua illa precum peroratoria clausula orat. *Per Dominum nostrum, &c.* Christo tribuens quicquid boni in sanctissima vinea peractum est.

Omnis vineę fructus Christo adscribẽdus.

Patri consonat filius, Dauidi Salomon, qui explicatiùs vineæ culturam Christo adscribit. *Vinea fuit pacifico in eo, qui habet populos: tradidit eam custodibus: Vir affert fructus eius mille argenteos.* Vbi iustus Orgelitanus inquit: *Vinea fuit pacifico, cultura assidua adhibita à Christo in Ecclesia: quæ illos habet populos, de quibus in psalmis canitur: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. Tradidit eam custodibus, commisit eam regendam Apostolis. Vir affert pro eâ mille argenteos. Christus de quo Propheta ait: Ecce vir Oriens nomen eius, compensat regnum cælorum pro sanctis laboribus; in mille argenteis intelligitur plenitudo remunerationis.* Christo itaque supputati sudores, opera, labores sanctorum Quæcunque Apostoli, Confessores, cæterique coloni compararunt, Christus soluit, cum ad mercedem, & ad præmium festinat operarius, non ex sua id illi, sed à Christo applicata iustitia, debetur. Guerricus premens: *Quoniam non cognoui negotiationem, memorabor iustitiæ tuæ solius*, ait: *Iustitia mea nullatenus memorabor, vt labores meos exaggerem, merita magnificem: potiùs memorabor iustitia tuæ solius, qui gratis obligâsti te mihi promissorem.*

Cant. 8. Omnium debita Christus soluit. *Iustus Orgel. Psalm. 91.* *Ezech. 6.* *Guerric. ser. 4 de natiuit. psal. 70.*

Sanctus hic vinitor, ne quid vineæ culturæ deesset, crumenæ non pepercit, vestem ipse exuit suam vt primas operariorum, quas fecerat pelliceas tunicas ære suo persolueret. Primi nostri parentes vestimenta abstulêre Christo vix nato, ita Bernardus: *Quanto maiorem misericordiam Deus seruis, quam filio ostenderit, vt istis faceret tunicas pelliceas: Dicere liceat illud Gregorij; vt seruum indueres filium exuisti.* Clarius etiam alibi idem. *Ipse Christus totus nobis datus, totus in nostros vsus expensus.* Cruci damnatur, vt

Paupertas Christi ob homines ditatos, nuditas ab illos induẽs. *Genes. 3.* *Bernard. ser. 3 de circumcis.*

Leo Papa serm. 8. de Passione.

quæ in vinea sua impenderat; profusè solueret. Leo Papa. *Crux tua omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.*

Prouerb. 6. Sponsus noster Christus.

An Christus Dominus non habens in bonis, luere debuit in corpore, ideò Cruci adiudicatus? Salomon inquit, *Si spoponderis pro amico, defixisti apud extraneum manum tuam.* De Christo est sermo, qui dum Patri spondet, bonis suis luiturum vineæ suæ dispendia, defixit manum apud parentem optimum, qui vt exigeret, quæ debebamus, non quidem vt amantissimus pater cum filio egit, sed vt extraneus & summo fermè iure. Quò ipse allusit cum lacrymis in Cruce orans. *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Cruore suo nec dum eorum laboribus, qui hora vndecima conducti ad vineæ culturam, hoc est post Christi passionem fecit satis, sed etiam omnium, qui, & hora prima, & tertia, & sexta venerunt. *Hinc Agnus occisus ab origine Mundi dicitur*, vt sanguine suo (magno vtique pretio) quid quid pro labore colentibus vineam debebatur, persolueret. Igitur mors Christi æterno Patri accepta in peccatorum pretium, & in omnium operariorum præmium. Sanctus Ambrosius, operarios ad recipiendam mercedem accersit his verbis. *Veni, & tu, vel serò, vel nocte, vel quacunque horâ, quandocunque veneris: inuenies Iesum Christum ad suscipiendum paratum, nec minorem, serò venientibus, pia largitate soluentem.* Paulus cum esset (vt ipse ait) *abortiuus*, ac omnium nouissimus prolixam accepit & ipse mercedem. Rectè Guerricus. *Viderunt eum Apostoli plenum gratiæ, & veritatis, & de plenitudine eius omnes acceperunt: adeò vt nouissimus eorum abortiuus Paulus, Vas electionis de plenitudine, quam acceperat disseminaret aliis, plenitudinem gratiæ, & veritatis.* De ipso tempore, quo operariorum, soluta stipendia, egregiè idem Ambrosius, *Reddes ergo quod debes beatis, quibus es debitor: reddes tamen cum dicas: Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Bernardus laudans supputationem, & affirmans, acceptis expensa optimè consonare. Christum sic loquentem inducit: *Non solum homo conceptionem meam, sed & vitam*

Matth. 27. [Matth. 29.]

Apoc. 13.

Ambros lib. 10. in Luc.

Guerric. Reddit Deus quod debet quando electos in gloriam inducit.

Ambros lib. 6. in Luc. cap. 11.

meam, & hoc per singulos ætatum gradus tibi dabo: Conceptio mea emundet tuam: Vita mea instruct tuam: Mors mea destruet tuam: Resurrectio mea præcedet tuam: Ascensio mea præparet tuam. Porrò spiritus adiuuat infirmitatem: Paulò post exorat: *Tam vehemens amator pro vilibus sarcinulis, tam preciosas merces expendit: non enim corruptibilibus auro, vel argento redemit nos, sed pratioso sanguine suo, quem effudit abundè: quia largiter vndæ sanguinis de corpore Iesu per quinque partes emanârunt: Quid vltrà debuit facere huic vineæ, & non fecit?*

Labores Christi post plantatam vineam. *Bern. serm. 2. Pentecost.*

Tandem vt vineam electam faceret, non modò sepimento, torculari, turri muniuit, sed in optimo, & saluberrimo cælo, quod maximè vineæ prodest,

—— *Denique apertos*
—— *Bacchus amat colles,*

Eam plantat. Christus igitur non in terra, sed in aëre, Crucem passus est, vt vinea cælum, sanctissimo suo cruore salubre faceret. Chrysostomus apud Bonauenturam. *Non sub tecto, sed sub cælo Christus immolatur, vt vniuersus aër in excelso immolatæ ouis odore, à tetro mundaretur.* Tellus Christi sanguine irrigata vberiùs, quam à fonte Paradisus, fertilitatem suam hausit. Proinde subdit ille: *& terra simile benefitium sentiebat, decursi sanguinis stillatione mundata*, vbi salubre cælum; fertilis tellus, inundantes aquæ, quid desiderari poterat ad vineæ vbertatem? Cuncta sanguine suo perfecit Christus, aërem odore diuino inhalans; Tellurem frugiferam faciens. Cæterum quamuis vinea à Deo plantata, & à sanctis viris culta, quod tamen coloni repensi effusa mercede, id totum Christi tribuendum impendiis; cui soli sit in æuum, & honor, & gloria.

Virgil. lib. 2. Georg. Cur Christus in aëre fuerit crucifixus. *Bonauent. ser. 1. Domin. passionis.* Sanguine Christi, fertilissima reddita est Ecclesiæ vinea.

CAPVT

CAPVT V.

Et sepe circundedit eam.

Mystica Vinea quo sepimento munita, & quo pacto temerè vel in eam irrumpentes, vel ex ea exeuntes puniantur spinarum aculeis.

Sepimentum mysticæ vineæ quale.

SVB sepis metaphorâ, quâ Paterfamilias vineam suam, decoram floribus, pulchram arboribus, fœcundam fructibus, definiuit; innuit nobis Christus sepimentum, quo mysticam vineam egregiè munierit; siue illam Ecclesiam, siue Orbem Christinum, siue singulas fidelium animas dicamus.

Mundus sine sepe immunde fœdatus.

Cæterùm solertissimus hic parens Ecclesiam suam, & Ecclesiasticos viros (de quibus numerans Christi familiam nobilissimo charactere signatam, supra nonnulla libaui) voluit à cæteris mortalibus discriminatam, ceu lucem à tenebris: Emerserat imperio oris diuini iam Mundus, sed quia tenebræ vexabant lucem, prodierat immundus, mixtione tenebrarum, ac lucis, diei, ac noctis, fermè fœdatus: & ne ea monstra pateretur Orbis terrarum, qualia parturiebat lux mixta tenebris, Deus diuisit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem, ac tenebras noctem, sua vnicuique confinia, ac sepem attribuit; includens noctem tenebris, & diem luci assignans. Idem efficere placuit Patrifamilias in sacro, ac prophano orbe; Ecclesiasticis, quos esse lucem dixerat. *Vos estis lux Mundi*, clarissimum diem assignauit; tenebras, ac noctem, sæcularibus permisit, ne promiscuè lux, & tenebræ, nox, & dies vnà morarentur. Egregiè penicillo suo distinctionem hanc picturauit Gregorius Nazianzenus. *Veritatis Antistes, & propugnator cum Angelorum Classe, atque ordine est, cum Archangelis Deum celebrat; ad supremum altare sacrificium trãsmittit, simul cum Christo fungitur sacerdotio; figmentum instaurat, imaginem Creatori sistit, & supernum mundo opificem agit,*

Ecclesiastici lux. sæcularia tenebræ. Matth. 5.

Greg. Naz. Apocal. 1.

Ecclesiasticorum dignitas ex Nazianzen.

agit, vt quod maius est, dicam. Deus est, aliósque Deos efficit. Quam magna luminaria Sacerdotes, quam splendentia? qui in Angelorum Classe numerantur; fermè Deo pares, ipsos Deos parientes: Allusio est ad Sacramenta, quæ ministrant Sacerdotes: his enim figmenta restaurant: Diuinam exprimunt imaginem: Mortales expunctâ Dei offensâ, efficiuntur Dij per gratiam à voce Sacerdotali, effusam. Quid-ni hæc mysteria attribuamus luci à tenebris omninò distinguendæ? In tenebris lucent Sacerdotes, præcipuè quando tenebræ eos non comprehendunt.

Verum si Ecclesiastici, quos diximus luminaria, sepimenta transiliunt sua, & descendunt ad tenebras, quod tunc erit, cum se negotiis sæcularibus fœdè immiscent; & his circumuolui tenebris ambiunt. Heù quot monstra formantur ex infami hâc mixtione tenebrarum, ac lucis? Egregiè Ambrosius de Petro descendente ad laicorum tribunalia. *Vbi negat Petrus? in prætorio Iudæorum; ibi negat, vbi Christus captus, vbi Christus ligatus est; quomodò non erraret, vbi intromisit ostiaria, & ostiaria Iudæorum: Negat in prætorio Iudæorum, vbi difficilis innocentia. Mala flamma Iudaica vrit, non calefacit, malus focus, qui quandam etiam Sanctorum mentibus fuliginem erroris aspergit.* Hinc quot mala parta, cum contemptis sepimentis lux descendit, vt obscurentur tenebris obruti Sacerdotes sæcularibus tricis: Remotissimos à tribunalibus eos esse conuenit; dum in his negatur, capitur, ligatur Christus Dominus.

Cum Ecclesiastici descendunt ad sæcularia negotia lux in pl catur tenebris.

S. Ambros. Luc. 22.

Petrus in prætorio sæculari Christum negauit.

Ecclesiastici esse debent à tribunalibus alieni.

Cæterum hæc Ecclesiastica vinea sepimento definita est, non modò ne Ecclesiastici aspernantes sanctam sepem, ad sæcularia tractanda negotia descendant, sed etiam vt spinæ, & vepres circundantes sacram vineam; eos pungant, qui in sacra, & Ecclesiastica iura audent irrumpere: sit ille Princeps, sit regali diademate coronatus, suscipere ac vereri debet sacra iura, non illis se immiscens, nec de illis ferens iudicia.

Nemo ex sæcularibus irrumpet in iura Ecclesiastica sine spinarum læsura.

Accitur Iobas ad regnum, insignitur infulâ regali, verum supra Regium caput ornatũ diademate testimonium positum est, nimirum mandata legis (vt Glossa ibi explicat) vt compertum omnibus, qui regali maiestate fulgent

4 Reg. 11.

Cur in vnctione Regũ testimonium & lex diuina in capite, & non in manu

Nn facceret,

faceret, Ecclesiastica iura, non in manibus, aut in potestate Regum esse, vt de his agant arbitratu suo, sed super caput posita, ad reuerentiam, ad honorem, ad cultum. Egregiè piissimus Imperator Constantinus affirmabat Regem Episcopum esse, sed extra Ecclesiæ claustra. Sit ille vita, moribus, actione, Episcopus, at nullo pacto Ecclesiasticis negotiis se immisceat. Malo suo expertus Ozias, ornatissimus cæteroqui Princeps, consilio prudens, manu strenuus, in pace, ac in bello clarus. Verum nescio quo furore percitus, templum ingredi audet, adolere incensum, sacerdotale munus temerare. Obnitebatur Sacerdotum multitudo Principis furori; iratam Maiestatem his verbis deliniens. *Non est, tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum. Egredere de sanctuario, ne contempseris; quia non reputabitur tibi in gloria hoc à Deo.* Ad hæc sacra verba deterior factus; in minas, contra Sacerdotalem dignitatem erumpens, peruicax in suo consilio, adolere incensum non desistit. *Iratúsque Ozias tenens thuribulum in manu, vt adoleret incensum minabatur Sacerdotibus.* Sed cum ingredi sacram vineam prophanus homo tentat, pungentes in se experitur spinas, ac vepres. *Cum respexisset eum Zacharias Pontifex, omnésque reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & festinatò expulerunt eum, & ipse perterritus festinauit egredi; eo quòd sensisset plagam Domini.* Audiant hæc Principes, Reges, Imperatores. Caueant sibi à sepimento, quod si temerare audent, Patrem familiam sentient vltorem, ac vindicem.

Pium Constantini dictum.

Oziæ temeritas.

2. Paral. 26.

Si verò ab Ecclesia ad Orbem Christianum conuertitur metaphora, habet & hîc etiam sepem suam, quâ ab infidelibus, Hebræis, hæreticis separetur. Sic oraculo suo Apostolus: *Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim conuentio Christi ad Belial? Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ pars fidelis cum infideli? Qui autem consensus Templi Dei cum Idolis. Vos enim estis Templum Dei, propter quod exite de medio eorum, & separamini.*

Paul. 2. Cor. 6.
Seps distinguens Christianos à gentilibus.

Demum si de animabus sermo est, vnaquæque sepem habet suam, & si ex orbitâ mandatorum Dei egredi tentet, sentiet in se armatos spinarum aculeos. Hoc enim est, quod

quod dicebat Ambrosius: *Vis scire quàm sit vtilis hæc seps? Seps enim hæc defendit à culpa.* Quare Deus plantans vineam, plasmans hominem, sepimento illum statim conclusit, præceptum imponens: quò transgresso (non enim dissimulat crimina, nisi propter pœnitentiam) illico pungentes immittit spinas: quibus pungi solent tentantes inde egredi, vnde nullus à vineâ nisi cruentus pateat exitus. Egresso itaque à diuinâ lege Adamo, incidenti in flagitia; statim paratæ spinæ perpetuò in illum erumpentes. *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Rex Hebræus vix à diuinis egressus præceptis, quibus veluti sepimento cingebatur, senticeta intrat, & spinarum aculeis impellitur ad regressum: *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Mulier ad amatores pergens, & ad maritalis thori violatores, illicò spinarum aculeos sentit. Oseas inducit vinitorem viuâ sepe occludentem in vineâ sponsam: *Sepiam viam tuam spinis.* Ipsimet Pharisæi ex Hieronymi sententia in suis fimbriis acutissimas ligabant spinas, vt ipsarum puncturis vrgerentur ad Dei custodienda mandata: *Faciebant*, inquit ille, *grandes fimbrias, & acutissimas eis spinas ligabant, vt ambulantes interdum pungerentur, & quasi hâc admonitione retraherentur ab offendendo Deo*; Sed contra fortassis accidit. Ipsi enim vt puto, militi obtulêrunt spinas, quibus confixum fuit Christi Domini caput, spinæ quas vt legem custodirent ferebant, in authorem legis versæ sunt. Sed mittamus reprobos Pharisæos, de electis Gregorius ait. *Viæ electorum sepiuntur, dum dolorum punctiones inueniunt in hoc quod temporaliter concupiscunt.* Perorat. *Eos ergo, quos voluntas praua peruertit, plerumque aduersitas corrigit.*

Ambros. hic.
Genes. 3.
Psalm 31.
Oseæ 2.
Hieron. in c. Matth. 76. exponens, magnificant fimbrias.
Gregor. lib. 34. moral. cap. 2.
Peruersa voluntas spinas vltrices sentiat.

Expendo cur Electis munita, & circumuallata; Reprobis aperta via est, sine sepimento, ac custodia? Inter reprobationis argumenta, illud præcipuè numerandum censeo, quòd nullâ interposita sepe, praui viuant, Deus illis indulget, vt sine puncturis festinantes post sua desideria in suis cogitationibus ruant. Benè Philo de confusione linguarum: *Insignis pœna, vindicta impietatis est, conniuere Deum, atque etiam indulgere peccantibus: nec solum eis impuni*

Spinarum puncturis carere, reprobationis est signum.
Philo.

punitatem, verum magnam, & diuturnam prosperitatem concedere. Sanctissimus Præsul Augustinus: Ex senticetis, & spinetis non modò hausit, vt floreret in Ecclesiastico solo, sed vt fulgentissimum astrum fulgeret in cælo. Ipse de se hoc ait. *Efferbui miser sequens impetum fluxus mei, relicto te: excessi omnia legitima tua: nam tu semper aderas misericorditer sæuiens, & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas iucunditates meas: ita vt quærerem sine offensione iucundari, & vbi hoc posse non inuenirem, præter te Domine, præter te, qui fingis laborem in præcepto, & percutis & sanas, & occidis nos, ne moriamur abs te.* Conclamata ægri salus, cum illius desideriis conniuet medicus: salutis spes aliqua, vbi sub certis legibus continetur. Deus, quem punit, ac pungit, amat; quem secundum desideria sua dimittit, è libro vitæ, & diuinæ sollicitudinis iam expunxit.

Sæua Dei misericordia cũ Augustino. *Aug. serm. 2. confess. cap. 2.*

Peccat primus hominum parens, iubet Deus, vt sacer author diligentissimè adnotet, quo tempore, quóue loco, cuius suasu, tantum scelus patratum sit: Scribat præterea quomodo Numen peccantem interpellârit? quo pacto innoxium animaduertit? quâ pœnâ mulctatus? Quo pacto etiam à Paradiso deliciarum, in terram maledictione sterilem, sentes, ac spinas tantummodo germinantem, eiectus, vt ibi madidâ fronte, perpetuóque sudore panem suum lucraretur. Verum de Angelorum peccato silent sacræ paginæ, nullus de illo sermo est, omnia occlusa silentio, obuoluta caligine, quid acciderit, quo pacto factum immane flagitium, quæ fuerit inter Angelos pugna? quæ Numinis in illos præ tanto scelere mulcta? nullus est, qui ea referat; vix è cælo aliquis, & obscurus sermo. Cur hoc? in re tam grandi tanta incuria? Pessimum omen Angelis fuit, silentium tam profundum, ruinæ argumentum exploratissimum. Contra, Felix homini auspicium, quod in peccatum lapsus, pœnâ puniatur, in toto terrarum Orbe vulgatissima. *Conniuere enim Deum, grauis pœna est, vt vindicta impietatis*, optimè philosophatur Alchuinus addubitans, *Quare peccatum Angeli absconditum est, & hominis patefactum?* Respondet: *Quia Angelicum vulnus Deus non prædestinauit curare, hominis verò sanare prædestinauit.* Detegit

Cur Angelici lapsus historia, silentio fuerit obtecta, homini verò nequaquam?

Alchuin, in interrog. in Genes. in cap. 1.

tegit Medicus vulnera, quæ sanare decreuit, tegit, quæ sinit computrescere.

Verum enim vero, cum venit plenitudo temporis, cum Saluator salutem per Orbem diffundit, tunc aboletis ipsis vulnerum vestigiis, vulnera sanat. Christus nominatur. *Reædificator sepium* : quia quotiescunque vinea ita sepimento munitur, vt pungat egredientem, ipsæ puncturæ salutares sunt. Ambrosius: *Ergo Dominus Iesus, qui postea secundum carnem venit in lucem, veterem illius munitionis sepem instaurans. Vnde de eo Propheta dixit. Vocaberis ædificator sepium.* Legis sepimenta erant in varias semitas aperta ab Hebræis, vt inde effugerent, occlusit illas Christus, prohibens inimicorum odium : *Diligite inimicos vestros.* Ne dum vetat adulteria à lege olim prohibita, sed quamlibet factam rimam implet; quodlibet prohibens prauum, vel de proximi vxore, vel de re alienâ incendium. Ita restaurat sepem, aditu omni occluso : *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cælorum.*

Cur Christus dicitur Reædificator sepiũ. Quali Christus sepe animam circundet? *Ambros. lib. 3 in Luc.* Desideria ipsa praua coërcere docuit Christus. *Matth. 5.*

Ab ipso primo Adâmi piaculo, inita spinarum cum sceleribus societas, vnà incedunt, prauum perpetuò pungentes aculeis suis, monentes rediturum ad puluerem, properaturum ad iudicium. Chrysostomus inquit: *Ecce maledicta terra, spinas, & tribulos germinabit tibi, itaque multis laboribus, & ærumnis operandum tibi, & omni tempore cum iustitiâ viuere te faciam, vt hoc tibi frænum sit, ne quid supra dignitatem de te sentias, sed continuò cogites tuam substantiã: neque feras, vt post hac decipiaris.* Basilius monet hominem colligentem rosam peccati symbolum, vt ab annexis spinis caueat. *Rosa spinis carebat, postea verò pulchritudini floris adiunctæ sunt spinæ; vt nos voluptatis inde capiendæ oblectamento, propinquo afficiamur dolore, recordatione delicti, cuius causâ factum est, vt spinas, & tribulos tellus huic adindicata condemnationi nobis proferret.* Quotus quisque erit, qui his punctus spinis, animum, ac mentem à peccatis non reuocet, tot illi mala parturientibus. Dauid ait, *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua. Conuersus sum in ærumnâ meâ, dum configitur spina.*

Occlusit semper Deus spinis viam ad peccata *Chrys. hom. 17. in Genes.* *Basil. in Exam. hom. 5.* Spinæ in rosa peccati recordationẽ ingerunt. *Psalm. 118. Psalm. 31.*

Vtilitas cælestium animaduersionum. Greg. l. 7. mor. c. 3.

Mordent spinæ, & aculeis suis non modò pungunt, sed interdum scelerum confessionem extorquent. Gregorius ait. *Sagittarum ergo indignatio iuxtà spiritum elibit, quia superna sententia electos, quos in peccatis inueniunt, dum vulnerant, immutant, vt duritiam suam transfixa mens deserat: atque à salutifero vulnere, sanguis confessionis currat.*

Vt quandoque lapsus per fulminis lumen euadimus, sic peccata per flagella.

Quis est, qui dum vexat, illuminat, vitam insinuans spinis, nisi Deus subiratus? Viator ipse noctu, inter flatuum procellas, imbrem largissimum, ac horrida tonitrua, consilii expers; quâ commeare, quâ remeare deberem, ignarus, ab interminicante tonitru timens mortem, hausi vitam. Ad boantem, & ingentem collisæ nubis sonitum, timens meticulosus hæreo, à fulgente telo ceù ab inflammatâ face, altissimam animaduerto præ meis pedibus foueam, in quam obductus tenebris, liquidò offendissem, nisi illuminatus fulmine, retulissem iturientem pedem, iter aliò dirigens; sic imminens mihi discrimen elusi. Sat cognoui, quod cælum dum terret, illuminat, vt paratas in terris effugiamus muscipulas. Id ad mentem meam reuocauit Vatis hemystichium. *In luce sagittarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ, Sagittæ tuæ*, ait Rupertus, *plagæ tuæ, & eruditio tua, lumen populo præbuerunt.* Erudimur dum plectimur. Spinæ nos ne in culpæ foueam incidamus, admonent, & custodiunt inter sepimenta legis. Quas Deo agemus gratias, qui vineta nostra hoc spinarum sepimento munit? Præclarè Augustinus: *Irasceris & deducis; sauis & saluas: terres, & vocas: imples tribulationibus omnia, vt in tribulationibus positi omnes recurrant ad te.*

Habach. Rupert.

Iterum de tribulationũ vtilitate. Augustin. in Psalm. 55.

O nobile sepimentum! Hoc enim circumuallati nos à Deo minimè discedimus, securi in ipso, veluti in portu sedemus, *proiicientes omnes nostras sollicitudines in eum, quoniam ipsi cura est de nobis.* Demum si spinæ molestiæ tibi sunt, ne sine illis abeas in terra viuens, spinas & tribulos perpetuò germinante; vtere Christi spinis, quæ flores sine aculeo tibi parient, ipse sibi spinas sumpsit, vt deinceps illæ sine puncturis nobis forent.

Athan. de pass. & Cruce Domini.

Signatissima sunt ad rem nostram Athanasij verba, cum quibus mihi finis: *Eâ ratione spineam coronam gestare videri*

potest, nimirum, vt sollicitudines nostræ vitæ extirparet: iniecit scelestus ille quamquam nolens, sollicitudines nostras super Dominum, non aduertens futurum esse, vt earum gestatione Dominus omnes in securitatem assereret, quo, & sementem verbi à spinis depurgatam haberent, & in precibus mentem inconuulsam possiderent. Ipse enim in doloribus, & curis erat, vt nos doloribus careremus. O nos felices! hâc circundati sepe, spinas sine sollicitudinibus habebimus, sollicitudines, & dolores, implicata ac impedita in Christi capite hærent. In nostro futuræ spinæ, non vt crucient, sed vt coronent.

Spineæ coronæ gestatione sollicitudines nostras à nobis ablegauit Christus.

Caput VI.

Et sepem circumdedit ei.

Angelorum custodia Vineæ Ecclesiasticæ præcipuum sepimentum.

SOLEMNE agricolis est, vineas speciosas, & ad Dominorum siue voluptatem, siue commodum factas sepimentis munire. Quæ si à saxis, construantur maceries; si è constipatis dumis, vepribúsque, viuæ sepes dicuntur: hæ dum horreant spinis, latrones ab ingressu absterrent. Varro de re rusticâ. *Primum naturale sepimentum, quod obseri solet, virgultis, aut spinis, quod habet radicem viuæ sepis, ac viatoris pretereuntis lasciui, non metuit facem ardentem.* Paterfamilias Euangelicus, vineam suam sepe communiuit, non mortua, quæ maceria dicitur; sed viua, quæ vineta circumambiens, tempore suo, vepres, spinasque edens, arceret ab ingressu fures. Hanc non incongruè patriam, ac domesticam curam, quâ filij procul à vitiis habentur interpetrari possem cum Chrysologo: *Sepiat nos paterna reuerentia, matris componat affectio, cognatorum custodiamur affectibus; inter propinquorum lumina non valeant delicta versari. Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies est aspectus matris, sol patris rutilat in vultu. Vnde viuenti inter tot virtutum duces, criminum*

Sepimentorũ duplex genus; sepes viuæ quæ.

Varro cap.4.

Paterfamilias suæ domus optima seps.

Chrysol. ser. Cognatorũ virtute tenebræ peccatorum fugantur.

num

num tenebræ propinquare non possunt: sed mensa patris nos alit virtutis cibo, salutis epulo, deliciis honestatis, & gloria. Verùm, quia, hanc sepem esse Angelicam custodiam communis Patrum sententia exponit, quâ vinea circumscribitur, definiturque. Sancti enim hi spiritus pungendo inuadentes, & depascentes illis demandatam vineam, arcent; eamque custodiunt ab inuadente fure.

Angelorum custodia seps est animæ.

Auctor Operis imperfecti, accommodatam analogiam Angelicæ custodiæ, & sepis tradidit. *Quæ est seps, nisi Angeli in circuitu custodientes populum Dei, ne in vineam Christi inuisibiles latrones irrumpant?* Quod luculentissimè explicans Laurentius Iustinianus, actum de vineâ affirmat, cùm hâc sepe destituitur: *Angeli*, inquit, *suo ministerio dæmones arcent ne ad libitum noceant. Quis, quæsò nisi Angelico esset suffultus auxilio, tam immundissimorum valeret superare rabiem, effugere laqueos, tentationes vincere, fraudésque detegere. Custodiâ enim suâ vias nostras sepiunt?* Impiger est Angelus, non dormitans in sua custodia: nullam hominis partem, vel ad rationem ea spectet, vel ad sensum; non circumuallatam custodia sua relinquit, nullam prætermittit viam, qua mortales ad exteriora protendant, hâc sepe non munitam. Ipse totum hominem circumscribit, & veluti punctum, vndique circumferentia sua coronat. Hoc ex mente Regij Vatis est. *Sepire vias, & immittere Angelum in circuitu.*

Auctor operis imperf. Laurent. Iustin. de resurrection. circa medium.

Psalm. 33. Bernard. ser. 33. in cant.

Huc facit, quod Bernardus dixit: *Animam sine Angelorum custodiâ nusquam esse*: vel quòd viduata hoc duce, vagans est, incerta, nullibi consistens; nauis instar, quæ mediis in vndis nauclero, clauóque destituta, fretum tentat traiicere: Vel, vt puto, sic loquitur Bernardus, quod Angelus circumscribit animam, non secus ac superficies aëris ambit corpus, sine qua nusquam est, sic etiam sine Angeli tutelâ, anima. Hæc Bernardi sententia, ipsa sepis similitudine clarior erit. Sepimentum est veluti superficies cingens, ambiénsque vineam, sine quo, cum nec suis sit definita terminis, nec discreta alienis, nusquam erit. In cuius ditione erit vinetum, quod sepe veluti, sigillo non consignatur? Non modò homines, tanquam agelli quidam,

Angelus vt locus locatũ, sic animã ambit.

Angeli pro uinciarum & Regnorũ præsides.

sed

sed regiones, & regna, quasi latifundia, hâc sepe communita, vt ad cuius pertineant ditionem dignoscantur. Hieronymus in verba Danielis: ***Princeps regni Persarum restitit mihi***, ait. ***Videtur mihi Angelus, cui Persis credita est, iuxta illud, quod in Deuteronomio legitur. Quando diuidebat Altissimus gentes, & dissemінabat filios Adam, statuit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei.*** Inspice à Deo per Orbem dissеminatos homines, nihilo secius, quàm ab agricolâ frugum semina; sed necessarium sepimentum erat ad diuisionem, & ad custodiam: ***Statuit terminos gentium iuxta numerum Angelorum Dei***, Numerus itaque, & terminus hominum fermè ab Angelis est. Allusio ad Agros, vt illi, Terminis signati, tanquam tutelæ numinis commendabantur; Ita ex Hieronymi sententiâ: Deus, homines, & regna diuisit, in quibus Angeli collocati, & sepis, & termini loco essent, ab illis habentes, quorsum tenderent, & quò pacto discriminarentur à cæteris. Ita, sicut absque terminorum signo fermè nusquam forent vineta, ita sine eorum patrocinio anima, propè Deo incognita, loco, ac terminis destituta, nusquam esset; dum nec foret, qui eius preces ferret ad cęlum, nec qui cælestia dona ad ipsam referret. Hoc enim proprium Angelorum munus est.

Daniel. 17. *Hieron.* *Deuter. 22.*

Antiqui Deũ terminum dicebant, cui commendabant agros suos.

Nusquam est anima Angelico patrocinio destituta.

Verum exposuit Basilius egregiè hâc vsus metaphorâ, quo pacto totius sepimenti vicem Angelus subeat, & vnus immobilis aëris superficiem, hominem circumcludens, impleat: ***Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*** (ait.) ***Dixerat regius Vates. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum. Quis igitur est iste modus, per quem liberatur pauper. Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum. Omni credenti Dominum, Angelus assidet. Considera Angelorum naturam: nam toti exercitui, & conferto multorum hominum ordini, vnus Angelus assimilatur; Propter magnitudinem igitur custodientis te, Dominus totum exercitum tibi largitur, & propter fortitudinem.*** O magnam animæ dignitatem! cælestem exercitum, veluti ab arce sua Deus immittit, ad hominis custodiam, vt quasi Regium caput cælesti stipatum satellitio, securus incedat. Vnus est illi custos, totam tamen aciem cælestem secum addu-

Psalm 33. *Basil.*

Angelica protectio veluti confertus militum exercitus.

33

Oo cit,

cit, quæ veluti viuo ſepimento, animæ vineam definit.

Addo, quòd cælestes hi ſpiritus, non modò circumcingunt vineam, verum & inuadentem, puncturis, & aculeis fugant. Angelus Agnetem ad lupanar damnatam, tutela ſua munit, iuuenes ab intemperantiâ compeſcit, Præfecti filium, ſanctam vineam impetentem, non modò aculeo ſuó pupugit, ſed expunxit è vita. Quare ſtatim, ac hi vigiles, hominem præbentem ſcandala vident (quod præcipuè in principibus, & primoribus viris accidit,) orantes ad Patrem familias feſtinant, vt illos in ſpinas acuat, quò in homines ſcandala parantes, animaduertere poſſint. De villico apud Regem diffamato, tanquam regij ærarij expilatore petit Anſelmus, quiſnam fuerit? & quis illius diffamator? *Villicus*, ait, *gubernatorem Eccleſiæ deſignat, ſed plerumque contingit, quod is, qui Eccleſiam ad gubernandum ſuſcepit, terrenis commodis inhians, lucra ſpiritualia negligat, & malè viuendo, prauis exemplis, religionem in ſubiectis deſtruat; ſed talis quiſque diffamatur apud Dominum ſuum, quaſi diſſipator bonorum eius: quoniam ab Angelis coram Deo recitantur opera ipſius, pérque diſciplinam in eis, quos ad regendum ſuſceperat, mala de ſe exemplo præbendo, diſſipat.* Caueant ergo Præſides ne prauo eorum exemplo ſubditi lædantur; tot enim experientur ſpinas, & vepres, quot Angeli ſunt ſubditorum cuſtodes.

Angeli acreſcunt contra præbentes ſcandala his quos illi cuſtodiunt.

Luc. 15.

Villicus Euangelicus ab Angelis apud Dominum diffamatus eſt. Prælatus eſt Dominus.

Anſelm. in hunc locum.

Id malo ſuo ſenſit Nabuchodonoſor. Nam Angeli, Cuſtodes ciuium, tunc in Principem clamant, vt arbor ſuccidatur: (nam vigiles, quorum conſilio damnatur Nabuchodonoſor; Angeli Cuſtodes erant, ex D. Thomæ, & recentiorum, ſententia.) Cùm vident ſub Regis patrocinio, veluti ſub patula, & vmbroſa arbore, rapaces aues, nimirum peccatores quieſcere ad rapinas, & ad prædam paratos. *Et fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis eius.* Facinoroſi namque homines, ſub Principum vmbra, propè in arbore aues, nidum conſtruunt, fouent oua, pariunt, ac nutriunt pullos; inſurgunt in hos Angeli vinearum ſepimenta, ac cuſtodes.

Daniel. 4.

D. Thom.

Per Angelos opportunitates peccandi deſtruuntur, vt animæ ſalus firmetur.

Etiam in corpora ſæuiũt Angeli, vt animarum ſalutem operentur.

In bonos etiam interdum animaduertunt, non parentes eorum monitis. Id expertus eſt ſanctus Hieronymus, qui

à

à Christiana simplicitate, ad Ciceronianam eloquentiam digrediens; suo contempto monitore; pungentes vepres, & dura verbera sustinuit. Experti & alij ab Angelis tutelaribus flagra passi, dum in peccatis se adornant. Beda in psalm. 77. inquit: *Boni Angeli potestatem habent corporaliter etiam nocendi hominibus.* Abulensis non cacodæmonem, sed bonum Angelum affirmat, qui Regis Hebræi in enumerando populo noxam puniuit; & quamuis affirmet Dauid mulctam hanc per Angelos malos immissam; tamen dicuntur mali ad Theodoreti, Euthymij, & Augustini mentem, quia mala hominibus infligunt, punitores, seu vltores diuinæ iniuriæ.

Beda. Angelus bonus fuit ille, qui in Dauidicum populũ animaduertit. *Abul. ps. 77. Theodoret. Euthym. Augustin.*

Tandem pungunt hominem, ne à se exeat, & à diuinâ lege; cum verò contemptis stimulis obstinatè egredi velit, fermè laxatis sepimentis, aliquo pacto à custodia recedunt; auxilia, quæ impendere assolent, minuunt, in vepres, spinásue minimè constipati, semitam latronibus permittunt. Egregiè Origenes. *Si homo non acquiescit monitis Angeli, auferetur maceria eius, & erit in conculcationem. Quòd si Princeps meus (Angelum dico,) qui est mihi consignatus, commonuit de bonis, & locutus est in corde meo, sed ego contemptis eius monitis, & spreto conscientiæ retinaculo, præceps in peccata corrui, duplicabitur mihi pœna, vel pro contemptu monitoris, vel pro facinore commisso.*

Laxat sepimenta Angelus, discedítque ab eo, quando homo ad sua mon ta ob- surdescit. *Origen hom. 20. in cap. 25. Num.*

Omnem diligentiam adhibent; omnem, vt aiunt, lapidem mouent, vt vineam custodiant. Damna, quæ vineta ab inuasoribus sustinent, minimè adscribenda custodibus; quare à Deo decretoria die de hominum custodia postulati, iure detorquent in homines crimina. In hunc sensum illustrat Hieronymus verba Micheæ. *Surge, contende iudicio aduersùs montes, & audiant colles vocem tuam.* Vbi inquit. *Iudicio contende aduersùs montes, quos non alios significari puto, quàm Angelos, quibus rerum humanarum commissa procuratio est. Contende iudicio, vt si montes, siue colles inuenti fuerint, non dignè populos procuràsse, vel meum videatur esse crimen, qui tales proposui, vel culpa tollatur à populo, & referatur ad Principes. Legamus Apocalyp. in qua laudantur accusantúrque Angeli Ecclesiarum, pro virtutibus,*

Angeli aduocantur ad iudicium ratione de exhibi à custo- d à reddituri. *Mich. 6. Hieron.*

 vitijs

vitiisque eorum, quibus praesse dicuntur. Paucis interiectis: *Ita in iudicio Dei, vel ad Angelos crimen refertur si non egerint cuncta, quae ad suum officium pertinebant; vel ad populum, si illis vniuersa facientibus, ipse audire contempserit.* Hic Hieronymus per exaggerationem accipiendus est, cùm mala omnia non sepi, sed vineæ, non Angelis, sed hominibus tribuenda sint. Porrò custos exprobrando vineæ, quæ operatus est dicet: *Quid potui facere vineæ meæ, & non feci, dum illam sepimento munitissimo coronaui?*

CAPVT VII.

Fodit in ea torcular.

Torcular Conscientiæ cruciatus.

PATERFAMILIAS non medioeri cura, suæ incumbens vineæ, post illam diligentissimè plantatam, post excitatam excelsam turrim, post munimẽta viuæ sepis, ne quid ad pulchritudinem, ad ornatum, ad commodum vineæ deesset; *Fodit in ea Torcular*, vt pressæ vuæ, vel oleæ, inclusæ lignis, loris vinctis, fluerent copiosè in lacum. At incessit cælestem parentem mysticæ, quam ruralis vineæ, maior sollicitudo, noluit illam esse sine suo torculari, prelo ac lignis. Quare, legem, synderesim, conscientiam ipsam, subornauit; vt omnibus simul iunctis, manarent compunctionis dulcissima vina. Noxam lex demonstrat, synderesis arguit, premit Conscientia; tortiui latices vbertim fluũt. Verum quò ampliora, ac laxiora sunt vineta, eo maiora exigunt torcularia, vt deriuent vberiora vina. Vnaquæque anima vinea est, angusta quando sibi tantummodo consulit; ampla, ac laxior, cum pro muneris sui dignitate, & aliis prospicit; protenditur in latifundia, vbi ad vnius potestatem rediguntur pagorum turba, vrbium multitudo, Regiones, ac Regna ipsa. Ibi torcular torquet magis, vbi plurimorum reddenda ratio est. Eò allusit sponsa, & ipsa aliquan

Diligentia Patris familias in rurali, & mystica vinea.

Quò laxior vinea maior erit vinitoris cura.

aliquando vineæ custos. *Anima mea turbata est*, *propter quadrigas Aminadab.* Vbi acutè Theodoretus, *qui scilicet parent imperio Diaboli*, *tanquam currus illius fiunt*, atque ab eo *gubernantur*: O quàm malè torquentur Præsules inspicientes, commendatas sibi animas, quadrigis Dæmonum vectas, festinare ad Orcum; quisquis ad lasciuias proiectus, alienarum rerum grauis, odiis insidiisque onustus, viuit; ille à Dei regno raptus, ad Inferos defertur Dæmone vectore. S. Præsul his agitatur curis, his premittur sollicitudinibus, sic enim nedum torquetur suis, sed aliorum flagitiis, quæ sibi sacra infula addixit. Sanctus Gregorius Nazianzenus, libens se abdicauit honoribus, ne tàm graue onus succollare teneretur; *Sint labores*, *& honores*, *aliorum bella*, *ac trophea*, *mihi verò à bellis abhorrente oculos in meipsum coniectos haberi sufficiat. Abiectius fortassè consilium, verum minori quoque periculo obnoxium*, *nimirum*, *æquo interuallo*, *à summo fastigio*, *& à casu distare.* Tam sublime fastigium fert sibi, timorem casus, & occasus. Non sine prelo conscientiæ est amplum torcular, quo confluunt premendi, multarum vinearum latices.

Cant. 4. *Theodoretus Cant. 4.*

Greg. Naz. Honoribus se abdicat propter conscientiæ stimulos. *Gregor Nazianz. in erat apolog.*

Supremum dignitatis fastigiũ fert secum occasionẽ ruinæ.

Cæterum nulli vineto deest suum torcular. Cuilibet flagitioso, quamuis interdum sit aliquod effugium à pœna, nullum ei erit à torquente conscientia. Rectè Seneca. *Multos fortuna pœna liberat*, *metu neminem.* Rationem subdens ait, *quia infixa nobis rei aduersatio est*, *quam natura damnauit*, *ideò nunquam fides latendi*; *etiam latentibus*, *quia coarguit illos conscientia*, *& ipsa sibi ostendit. Proprium est nocentium trepidare; malè de nobis actum esset*, *quod multa scelera legem*, *ac iudicem effugiunt*, *& scripta supplicia*, *nisi illa naturalia*, *& grauia de præsentibus soluerent*, *& in locum patientiæ timor cederet.* Natura ipsa partes tortoris sibi assumens intrinsecùs morsu suo vltrix, ac vindex scelerum, reuocat ad pœnitudinem peccantem. Ad eundem sensum Iuuenalis.

Seneca

Nemo peccãs stimulos conscientiæ effugiet.

Exemplo quodcunque malo committitur, ipsi
Displicet auctori: prima est hæc vltio, quòd se
Iudice nemo nocens absoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis, Prætoris vicerit vrnam.

Et infra fortaſsè pulchriùs.

— Cur tamen hos, tu
Euaſiſſe putas, quos diri conſcia facti,
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cadit.
O cultum quatiente animo, tortore flagellum?

Surdo verbere quis pectore vapulet noxius. Clem. Alex. Strom. l. 1. Auguſtin. Pſalm 45. Ex Auguſtino nulla maior tribulatio, quàm conſcientia delictorum.

Clemens Alexandrinus inducit quemdam, ſic Oreſti exprobrantem ſcelera; *Oreſte qui ſe perdidit morbus? conſcientia ipſa, quia ſum mihi conſcius me perpetraſſe grauia.* S. Auguſtinus illuſtrans illud Dauidicum: *Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis*, ait. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla eſt maior tribulatio, quam conſcientia delictorum, nam ſi vulnus non ſit; ſanúmque ſit intus hominis, quod conſcientia vocatur, vbicunque alibi paſſus ſit tribulationes, illuc confugiet, & inueniet Deum; ſi autem ibi requies non eſt propter abundantiam iniquitatis, quoniam ibi Deus non eſt, quid facturus eſt modo? quò confugiet? ab agro in ciuitatem? à domo in cubiculum? à cubiculo iam quò fugiet? non habet niſi interiùs, in cubile ſuum? Porrò ſi ibi tumultus eſt, ſi fumus iniquitatis, ſi flamma ſceleris, non illuc poteſt confugere: pellitur enim inde, & cum inde pellitur, à ſeipſo pellitur. Ecce hoſtem inuenit, quò confugerat, ſeipſum: quò fugiturus eſt; quocumque fugerit, ſe talem trahit, poſt ſe: & quocunque talem traxerit ſe, cruciat ſe.* Hæc Auguſtinus. Pende prelum cum peccata premuntur; ibi effugium nullum, quia intus eſt, quod premit, ipſamet conſcientia delictorum eſt, quæ te angit.

Prouerb. 19. Conſcientiæ morſus ſimilis tectis, diſtillantibus & mulieri litigioſæ. Caiet. apud Salomon. hic prou. 19. Auguſt.

A Salomone inter ingentia mala enumerantur duo, à quibus maximè torquentur mortales. *Tecta ſtillantia, & mulier litigioſa*, & rectè; quia inteſtina, non in vrbe, non in plateis parata; ſed emergentia domi, in cubiculo, in cubili. Hinc Caietanus, vtramque nectens ſimilitudinem ait: *Gutta continua; lites mulieris.* Alludit Caietanus ad aquam guttatim, ſed perpetuò ſtillantem, quæ deſcendens pertinacia ſua, perdurum excauat lapidem: ſic contentio, ac iurgia vxoris, lapideum viri robur emolliunt, frangunt, ac tandem tolerantiam fodicant. Verumque agnoſcit Auguſtinus in Conſcientiæ ſtimulis, primum in pſalm. 33. *Qui litigioſam habet vxorem, redire domum refugit,*

fugit, quia, vt ait, redit ad tædia; ad murmura, ad amaritudines, ad auerſiones, vbi inter virum, & vxorem pax nulla eſt; Quantò eſt miſerior, qui ad conſcientiam ſuam redire non vult, ne ibi litibus peccatorum euertatur? Secundum in Pſalm. 100. *Quiſquis in corde premitur mala conſcientia, quando quiſquis à ſtillicidio exit, de domo ſuâ, aut à fumo non ibi ſe patitur habitare: ſic qui non poteſt. Tales foras exeunt à ſeipſis, animi intentione, & de his, quæ foris ſunt corpus delectatur: quietem in nugis, in ſpectaculis, in luxuriis, in omnibus malis quærunt. Quare foris voluerint ſibi benè eſſe? Quia non erat illis intus benè, vnde gaudeant in conſcientiâ ſuâ.* Pythagoras ait. *Homo plura mala patitur à conſcientiâ ſuâ.* Hinc & Seneca *confuſam vitam, & perturbatam agunt; tantum metuunt, quantum nocent; nec vllo tempore vacant. Trepidant; cum fecerint, hærent, conſcientia aliud agere non patitur, ac ſubinde reſpicere ad ſe cogit, dat pœnas quiſquis expectat: quiſquis autem meruit, expectat.* Premitur itaque in torculari peccator, veluti vua, conſcientiæ duriſſimo prelo: Si adeò durus, vt fermè lapideſcat, illos impreſſos non ſentiet characteres (liceat à torculari vineæ, ad prælum typographicum tranſire) quos non delebit ipſa æternitas. Haud enim extrinſecus, ſed penitiùs torquetur homo in hoc torculari.

Flagellu conſcientiæ. *Pythagoras apud Lipsium epiſt. 97. Seneca.* Metus, & inquietudo tumultuoſæ conſcientiæ. *Senec. c.* 105.

Nobilis ſculptor ad miraculum artis effinxerat ſimulacrum, quod formatum expolitumque ſuo Principi dicat. Hic non minus operis, quam gloriæ, artificiſque felicitatis ambitioſus, ſui nomen curat in ſimulacro ſculpendum, quaſi ipſe ſimulacri perpolitique operis fuiſſet auctor, benè putans, regias infulas ſculptoriæ artis præſtantia poſſe cohoneſtari; id indignè artifex ferens Principis ambitum tali arte eluſit, in marmore ſuum nomen; Principis verò ſuperinducta incruſtatione ſculpſit, hæc breui temporis tractu euanuit, vnaque Principis nomen; peremanente annis plurimis artificis glorioſiſſimâ famâ. Peccatum in conſcientia expreſſit amaritudinum characteres: fruſtrà peccator mundanas delitias incruſtat perituras cum ipſo ſcelere; firmo conſcientiæ teſtimonio, in quo mœrores, & cruciatus infixi æternùm perdurabunt. Egregiè Origenes

Origen.

hom.

Hierem c.17.

hom. 12. in Hierem. *Nudabitur pectoris mei conscientia, aperto corde videbuntur littera peccatorum, qua stilo ferreo, & vngue adamantino scripta sunt, atque ita vniuersitas spectantium multitudo, leget in pectore meo, signatas imagines peccatorum.* Ad eundem sensum Theodoretus in cap. 17. Hieremiæ 3. ipsum consulat lector. Sed à prelo redeamus ad torcular. Mirum quantùm torquens permanens patrati sceleris imago.

Theodor. in c. 17. Hierem. 3.

Cruciatus conscientiæ perpetuus peccatoris comes.

Perpetuò vexat, sine cruciatu nunquam dimittit peccantem. Cum illa est carnifex, & tortor, nullum tempus teritur ad soluendos fasces, lictor præstò adest in peccatoris cruciatum, secures expeditas, & paratas habet. Luculenter Victor Carnotensis: *Conscientia*, inquit, *apud quam non moritur omne, quod gerimus, nos in factis nostris accusat; & iudicat. Cúmque non habeat loquendi vsum, nescit tamen tenere silentium: potest criminis conscius; morti subduci, non potest testi conscientia. Nil tectum ei est, & sine te non est, haret pectori, nec vnquam te deserit, & velut quædam pedissequa, nullo abs te temporis interuallo discedit: tenet te reum: & in sua semper ditione captiuum.* Ad cruciatus descendo, quibus conscius delictorum premitur, ad representatam sceleris sui imaginem, quæ vti torcular premit, noxiúmque perpetuò torquet. Prosper lib. 3. de vita contemplatiua cap. 11. *In peccantem etiam sine humano iudicio, conscientia iudicantis tormenta desæuiunt, & malè sibi consciam mentem, ipsa etiam cogitationes secreti reatus cruciatoriâ recordatione conficiunt.*

Victor Carnot. lib. de pœn.

Prosper.

Inferni pœnis conscientiæ fodicationes assimilandæ.

Origen. error. Putauit non aliud infernum quam conscientiæ cruciatus.

Hieron.

Age, similitudine illustremus, sæuissimos cruciatus, quibus ille premitur in hoc torculari. Ad Orci tenebras descendo, vt hoc nigrore talis clarescat pœna. Origenes tanti pendebat conscientiæ angorem, vt superflua putaret inferorum tormenta, ratus sat esse homini, à conscientia immissam pœnam, nec illi alio Orco opus. Hieronym. epist. ad Auitum, sic de Origene ait. *Quod ignem gehennæ, & tormenta, qua Scriptura peccatoribus comminatur dixerit non punire in suppliciis, sed in conscientia peccatorum: Quando Dei virtute, & potentia omnis memoria delictorum, ante oculos nostros ponitur, & veluti ex quibusdam seminibus, in anima*

animæ derelictis, vniuerſa vitiorum ſeges exoritur, & quicquid feceramus in vita, vel turpe, vel impium. Omnis eorum in conſpectu noſtro pictura deſcribitur, ac præteritas voluptates mens intuens, conſcientia punitur ardore, & pœnitudinis ſtimulis confoditur. Satiùs dixiſſet Origenes hinc peccatoribus incepta pœnarum exordia; in Orco conſummanda, quò etiam conſpirauit antiquitas, fingens furiis Stygiis agitatos facinoroſorum hominum animos. Cicero pro Roſc. *Furiæ agitant, & inſectantur impios, non ardentibus tædis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiæ.* Peccator furiis agitatur: hoc eſt conſcientiæ fœda recordatione. *Cicero.*

Porrò quamuis fortunæ bonis vndequaque homo cumulatus ſit, vnus conſcientiæ cruciatus euertet totam felicitatis ſuæ molem, id veriſſimum eſſe purpuratus ille diues expreſſit de quo luculentiſſimè Chryſoſtomus. *Iam nunc, qui improbè agunt, atque in peccatis viuunt puniuntur, nec enim mihi dixeris, illum menſa ſumptuoſa frui, & veſtibus circundari ſericis, mancipiorum greges circumferre, alios ſubmouere in foro: ſed explica mihi iſtius conſcientiam, & videbis intus grauem peccatorum tumultum, ingem metum, tempeſtatem, turbationem. Videbis, vel in Curia mentem ad thronum conſcientiæ conſcendiſſe regalem, & tanquam iudicem quempiam ſedentem, & cogitationes, loco carnificum adhibentem, in aculeo ſuſpendentem, latúſque conſcientiæ radentem vngulis, pro commiſſis vehementer inclamantem, cùm nemo ſtat, niſi quod ſolus Deus Hoc videre nouerat.* Ambroſ. breuius, & efficacius de hac conſcientiæ angina 1. offic. cap. 22. *Vita facinoroſi, vt ſomnium aperuit oculos, tranſiuit requies eius, euanuit delectatio, licet ipſa, quæ videtur, etiam dum viuunt, impiorum requies in inferno ſit, viuentes enim in infernó deſcendunt.* O aurea verba! Quam damnatis hi ſimiles ſunt, qui dum vitam inter mortales agunt, talibus anguntur his cruciatibus, qualibus dæmones in inferno. Angina conſcientiæ. *Luc. 15.* *Chryſoſt. concion. 1. de Lazaro.* Mali viuentes in inferno ſunt. *Ambroſ.*

Verum Paterfamilias ſollicitè curauit exprimendos tortiuos hos latices in humanis viſceribus; vt medicatis animi languoribus ſurgerent homines ad ſalutem meliorem. Epictetus exiſtimauit, à naturâ inditum homini hoc torcular, vt compeſceret ſenſuum illecebras, carnis blanditias, mundi oblectamenta, adhibito hoc prelo, quaſi inſtrumenti *Epictetus aphor. 56.*

 militaris

militaris machina. *Quod si tibi videtur*, ait ille, *esse tempus suscipiendæ rei, caue ne te vincant eius blanditiæ, & suauitates & illecebræ, sed illud oppone, quantò præstantior sit talis victoria conscientiæ.* Mortales dum peccant sentiunt conscientiæ morsus, cum verò rectè viuunt, & recedunt à crimine, ipsa conscientia illis abblanditur inuehens à repudiato flagitio, dulcedinem. Boet. lib. 4 pros. 4 *Vide, quod æterna lex sanciat melioribus animum, si conformant se veris nil opus est iudice præmium deferente, cum te ipse excellentioribus addixisti: si studium ad peiora deflexeris; extra ne quæsieris vltorem, tu te ipsum ad deteriorem detraxisti, veluti si alternis vicibus sordidam humum, cælúmque respicias, cunctis extra cessantibus; ipsa cernendi ratione; nunc cœno, nunc syderibus interesse videaris.* Expendite mortales. Ab ipsa conscientiâ, adornatur vobis cælum, & cœnum, si recta illa est, in terris experimini cælum, si praua iam estis in cœno: Bona enim conscientia munito, nullus à pœna terror; nulla à contumeliis ira, nullus à conuiciis dolor. Sic sanctus Ambrosius: *Benè sibi conscius; falsis non debet moueri conuitiis, nec æstimare, plus ponderis in alieno esse conuitio, quam in sui testimonio.* Concinit sanctus Gregorius: *Quid enim prodest homini si omnes illum laudant, & conscientia accusat, aut poterit obesse si omnes derogant, aut sola conscientia defendit.* Hac armatus irridet hostilem impetum, vt æneus murus; inimica tela.

Dulcedo maxima ex cōscientia bona. Amaritudo ex mala. *Boet. l. 4 Pros. 4.*

Bonæ conscientiæ nullus timor, nulla ira, nullus dolor. *Ambr. l. 1. cap.* *S. Gregor. hom. 9. in Ezech.*

Horat.

Hic murus aneus esto
Nil conscire sibi.

Tandem bonam conscientiam festiuè Chrysostomus componit diebus festis. *Maximum festum conscientia bona: & quemadmodum in extremis felicitatibus, is, qui nec vestem habet, qua induatur splendidam; nec mensam, qua fruatur lautam, sed viuit in perpetua fame extrêmaque miseriâ non afficitur festo diei, etiamsi vniuersum Orbem choreas agitare videat, sed hac ipsâ de causâ magis angitur, ac dolet. Diues verò mutatoriis vestibus abundans, & in summâ prosperitate viuens etiam extra festiua tempora festum agere sibi videtur. Ita in spiritualibus vsu venit, qui enim viuit in iustitiâ, & operibus bonis, vel absque festo, festum agit,*

Chrysostomus hom. de his qui tantum ad festum concurrunt.

Iustus semper agit diē festum; nunquam verò peccator.

agit, ſinceram voluptatem ex bonâ conſcientiâ percipiens; qui verò in peccato, & in malitiâ vitam degit, multorum malorum ſibi conſcius, etiam, cum maximè feſtum eſt; feſto caret quam maximè. Chryſoſtomus pulcherrimâ ſimilitudine palam fecit illius felicitatem, qui ſceleris purus candore conſcientiæ fruitur, quam ſi excolat, ex hoc agello refert ſuauiſſimos fructus; Suadet Petrus Bleſenſis huius agri culturam, his verbis, *Excole conſciētiam tuam, hic enim eſt ager, cui benedixit Dominus, de quo ſcriptum eſt. Pulchritudo agri mecum eſt. Planta igitur & ſemina tibi ſemen virtutis; vt odor ſanctæ opinionis erumpat.* Si mauis domum, quam agellum indigitare; per hanc Rex Hebræus deambulabat, ſibi, domui, & Regno ſuo conſulens. *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.* Inſpice ſemina virtutum. *Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam; facientes præuaricationes odiui, non adhæſit mihi cor prauum,* & alia, quæ ad hunc ſenſum, cythara ſua diuina cecinit.

Bleſe. ſis. epiſtol. Conſcientia, & Agello, & domui comparata.

Ad extremum aduertendum, & torculum, & prelum, & ligna, & lora, quæ fodicant conſcientiam, vt exprimant tortiuos latices in myſticâ vineâ, non ad extorquenda deſperationis venena excitata, ſed vt inde deriuent compunctionis dulciſſima vina. Ea erit facinoroſorum hominū pœnitudo, vt poſt libratum flagitiorum pondus mittat oculos ad immensā pietatē, quam Chriſtus Dominus apertiſſimè teſtatus eſt cruore, pro omnium ſalute liberaliſſimè effuſo, qui numquam deerit, ſi per ſacram exomologeſin tibi illum adiicias, Vate euangelicomonente. *Narra, vt iuſtificeris; Quid vereris,* ait Ambroſ. *apud Dominum tuas iniquitates fateri; adhuc reo culpæ, iuſtificationis præmium proponitur. Ille enim iuſtificabitur, qui proprium crimen ſponte agnouerit.* O rem miram! Agnoſcat peccator flagitia ſua, crimen illi vertetur in præmium, & vnde timebatur pœna, adornatur ei merces. Rectè Caſſiodorus. *O ingenioſa ſimplicitas! ô mille tergiuerſationibus cautior puritas! manifeſtare delictum. Illis non iudex, ſed aduocatus eſt Chriſtus, qui ſe propriâ confeſſione damnarunt.*

Pſalm 100. S. Ambr. lib. 1. de pœnitentia cap. 7.

Caſſiedor in Pſalm. 31.

Fuit & Vates prophanus, qui alebat ſpem ſuam, ab ipſamet Principis irâ, ſic ille dulciſſimè cecinit.

Ovid. lib. 2. Tristium. Surgit spes cum conspicio mitissimum Principem, cadit quando scelera mea expendo.

Sed solet interdum fieri placabile Numen;
Nube solet pulsâ, candida ire Dies.
Vidi ego pampineis oneratam vitibus vlmum
Quam fuerit, sæuo fulmine tacta Iouis.
Ipse licet sperare vetes, sperabimus, atque
Hoc vnum fieri te prohibente potest.
Spes mihi magna subest cum te mitissime Princeps,
Spes mihi, respicio cum mea facta, cadit.

Iob.

Sed mittamus prophanum Vatem; ad Husitanum Regem pergo. *Etiam*, ait ille, *si me occiderit in ipso sperabo*, cui adiicio Hebræum Regem. *Ad te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.*

Hic fidat animis, plebe seplientum.
Defendat alter, militumque copiis,
A te Creator Orbis, vna spes mea pendet.

CAPVT VIII.

Locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

Praui flagitia sua multiplicant vbi absentem vindicem putant.

PATERFAMILIAS iam demandatâ agricolis colendæ vineæ curâ, *peregrè profectus* dicitur. Vel ad vinitorum animum, ingeniumque probandum, vt opinatur sanctus Hieronymus. *Peregrè profectus est; non loci mutatione, nec enim Deus alicubi abesse potest, qui complet omnia, sed abire videtur à vineâ, vt vinitoribus, liberum operandi arbitrium derelinquat* Vel, vt Chrysostomo placuit, ne videretur adesse vindex pœna celeriori, qui longaminis assolet esse in peccantes Vel tandem ex Origene, vt prauis flagitiorum permissâ occasione; probis virtutum adderet stimulum. *Et peregrè profectus est, ad suam profectionem dans hanc occasionem*

Finis profectionis Patrisfam lias. *Hieron. in cat. Chrysost. ibid. Idem ibid.* Putata numinis absentia, scelerum est seminarium.

casionem colonis: nimirum, pro ingenio, probitatéque operandi, quæ colonis placerent. Hinc colligo ex cogitatâ Iudicis, & Vindicis absentiâ, interdum prauis hominibus reserata fuisse claustra, & apertas fores ad patranda scelera.

Scortum illud Prouerbiorum 2 his verbis abblandiebatur amato iuueni. *Non est vir in domo meâ, abiit viâ longissimâ.* Vt propulsato ab adolescentis animo, si quis foret, metu, ad maritalem torum temerandum alliceret; asseuerat virum suum, non modò abesse domo, quin arrepto longissimo itinere, profectum peregrè, & in remotissimas regiones. Ambrosius anagogicæ expositioni elegantissimè inhærens, & Paulinæ allegoriæ; vbi legem, veluti sponsam componit marito, ait. *Absentiam viri, hâc incuriâ legis obtexit: lex enim absens peccantibus est, quod si adesset non delinqueretur: & ideò ait: Non enim adest vir meus in domo sua: abiit enim viam longinquam.* Quod Ambrosius de lege acutissimè asserit, liceat nobis de legislatore, iudice, & vindice affirmare. *Prouerb. 7.* *Rom. 6. Ambros. lib. 1 de Caim cap. 4.*

Tunc mortalibus occlusæ ianuæ peccatis, cùm iudicem in foribus sentiunt, cùm putant iam adesse scelerum vltorem. Iob illæsus è tot tentationum iaculis euasit, nullo in Numinis offensam prolato verbulo. *Nec stultum aliquid contra Deum loquutus est*, nunquam abesse iudicem putauit, & lictorem sistentem illum ad tribunal diuinum. *Si repentè interroget, quis respondebit ei?* Vbi duo exponenda sunt. Primum *repentè*, quasi illicò raptus ad tribunal, & ad iudicem interrogantem, cui statim cogeretur respondere. Vgo ait. *Repentè interrogat eum, quem inopinatum ad iudicium vocat.* Alterum. *Interrogare*, & *respondere* non eo sensu accipienda, quo quis respondet amico compellanti: *Interrogari* est iudici subiacere. Cicero pro domo sua: *Quis me vnquam vlla lege interrogauit? quis postulauit? quis diem dixit?* & ex Liuio: *Neminem tantùm eminere ciuem debere, vt legibus interrogari non possit.* Reus ad legitima interrogata respondere cogebatur, qui ex silentio interdum habebatur noxius, & ob taciturnitatem à causa cadebat sua; quod non rarò accidit in scelere deprehensis *Adsens iudex comperscit scelera.* *Iob. 9.* *Hugo.* *Respondere, & interrogare quo sensu accipienda.* *Cicero.* *silentium in reo argumentum patrati sceleris.*

Homo indutus sordidâ veste, repertus inter conuiuas, adornatos splendida, mutus ad interrogata, vti reus ex Iudicis sententiâ, in tenebras exteriores proiicitur. Huc etiam facit, vehemens præsidis admiratio, ad Christi silentium. Iob itaque versabat animo suo responsa, quibus iudici faceret satis, cum à lictore duceretur ad tribunal. Idcirco laudatur ore diuino, & ad Sathanicæ superbiæ audaciam comprimendam, obiicitur. *Nunquid considerâsti seruum meum Iob, quòd non sit similis ei in terra? Vir iustus, & timens Deum: recedens à malo, & permanens in innocentiâ suâ.*

Marc. 15.

Iob.

Iudicis tuba Hieronymi a tribus perpetuò resonans.

In vita Hieronymi.

Sanctus Hieronymus Hussitanum Regem imitatus perpetuò cogitabat assidentem iudicem pro tribunali, & se ab Angelo, tanquam à lictore postulatum, ad reddendam vitæ exactissimam rationem: *Siue bibo*, ait, *siue comedo, siue dormio, semper tuba illa insonat auribus meis, surgite mortui, venite ad iudicium.* Eodem timore, quo Hieronymus, afficiebatur Gottifredus Herbipolensis Præsul, inquiens: *Omni momento sto ad ostium æternitatis.* Iudicis conspectum, & paratum in mortalium capita ineuitabile iudicium, sanctissimus Patriarcha Iobus elegantissimâ similitudine illustrauit. *Semper enim quasi tumentes fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Timori præsentissimi Iudicis, tribuit S. Gregorius, Iobi inuictam constantiam, & quòd semper rectus, semperque fuerit ab humanis illecebris immunis. *Fluctus*, inquit, *cùm tumentes desuper imminent, cumque eam, quam deferunt mortem minantur, nulla tunc nauigantibus rerum cura temporalium, nulla carnis delectatio ad mentem reducitur. Ex ipsâ quoque naui merces proiiciuntur, pro quibus vastissimum mare transierunt. Cuncta res in despectum mentis veniunt amore viuendi.* Subdit Iob. *Et pondus eius ferre non potui.* Nunquam me parem tàm magno ponderi existimaui. Id, die decretoriâ, compertissimum erit, quæ si mente, & cogitatione expenditur, lapis oneris, verè probatur. De quo disertè Hieronymus Eccl. 6. *Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis, & non demorabitur proiicere illam.* Vtinam pensi haberemus grauissimum diuinæ iustitiæ pondus; & impares nostros humeros, ad

Æternitatis iugis consideratio

Iob. 31.

Omnium faciendi iactura; diuina expendenti iudicia.

Greg. in hunc locum.

Zach 12.

Hieron.

Iudiciũ ex tremum vt lapidem probationis debemus ponderare.

Eccles. 6.

furorem, ac indignationem diuinam ferendam, quæ nobis imminet, vt fluctus sæui maris.

Hinc mortis, ac iudicij ruminatio, vt saluberrimum medicamen paratur humano languori. Hugo expendens verba, quibus Dominus peruigilium suadet, vt occurramus venienti nequissimo furi. *Memoria mortis multum valet ad fugandum exercitum vitiorum, vel saltem terrendum; sicut latrones timent iudicis aduentum, sic vitia, mortem.* Rectè quidem, tunc enim noxis, veluti rapienti furi homo claudit ostium, cum de vltimo fine cogitat. A Philosophis, & à sanctis inculcata sententia est. *Respice finem,* ne vt nocturnus latro desidiosos, ac dormientes inuadat. Pulchrè etiam Hugo: *A fine enim regi debet humana vita, sicut enim aues cauda regunt se per aëra, & pisces natando per aquam: sic gubernator nauium: Stultus esset gubernator nauium si esset in principio nauis, quando illam deberet regere.* Hoc clauo, & in solo, & in salo tuti, enatabimus fluctus sæui maris, & sanctam adorabimus arenam.

Mortis, & iudicij considerátio remedium est contra peccata. Hugo.

Finis omnes nostras actiones regere debet. Hugo.

Vigilandum.

Monet Dominus ne desides, vel obruti alto sopore simus, cum Paterfamilias abiisse fertur in remotissimas regiones. *Quâ enim horâ non putamus, filius hominis veniet.* Eleganter Hilarius. *Vt ignorantiam illam diei omnibus taciti, non sine vtilis silentij ratione esse sciremus, vigilare nos Dominus, propter aduentum furis admonuit: & orationum assiduitate detentos, omnium præceptorum suorum operibus inhærere.* Inspiciat Christianus decretoriam diem, fermè iam aduenientem. Gregor. *Vt si Deum metuere in tranquillitate nolumus, vicinum eius iudicium, vel persequutionibus attriti timeamus.* Parum est illam propinquam putare. Proximè iam accessit. *Iuxta est dies Domini, iuxta, & velox.* Velocitas hæc rectè expressa est fulguris similitudine. *Quia sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem; Sic & erit aduentus filij hominis.* Vix vnius dieculæ mora tantum metietur negotium. Isidorus Pelusiota affirmat nos ignorare diem extremam quia è re nostrâ est; sæuissimum ac formidabile tempus nescire. *Quid verò vtilitatis attulerit, exploratum habere diem Iudicij? at verò eundem ignorare conducit, vt omnem diem, illum existimantes, parati ad omnem*

Matth. 19. Hilar. in hunc.

Dies iudicij cogitandus vt vicinus. Greg. hom. in Matth. 21.

Sophon. 1.

Isid Pelus. cap. 1. 7.

Vtilis, & supremi diei ignoratio. Isid. Pelus.

omnem simus: vigilantes, & Dominum nostrum expectantes. Sed à Domino vrgemur magis, vt solliciti simus, etiam de momentis ipsis. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Cogitemus futurum iudicij diem, veluti ex tenui filo, capiti nostro imminentem gladium. Hieronymus illustrans hanc supremæ diei obscuritatem. *Non expedit*, inquit, *scire Apostolis: vt pendula expectationis incerti, credant semper esse venturum, quem ignorant, quando venturus sit.* Terribilem diem Apostolus, fermè inuitiam aduenisse. *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Damianus exponens locum Sophoniæ. *Iuxta est dies Domini, iuxta, & velox nimis. Geminatas particulas, iuxta, & velox nimis*, ait. *Vt liquidò doceat, quia oculis fidei, id iam videtur in limine, quod infidelibus, & cæcis corde, putatur procul abesse: & isti tã tribunalibus Iudicis, quodammodo tremente assistunt: quem illi per diuturna longinquitatis absentiam paruipendunt.* Hoc est, protelatis vitiis, fores illis oppessulare. Damian. ibid. *Si repentinus ille, atque terribilis aduentus Christi dignè perpenditur, quid erit in Mundo, vbi mens humana, vel desipiens delectetur?* Pulchrum Cæsarij monitum. *Cum subrepit peccandi delectatio; statim futuri Iudicij diem abscondit obliuio: neque in vnum coit fel amara diei huius, & dulcedo peccati.* Vix in mente nostra lucet illa dies; & iam occuluit se atra nox peccati.

Art. 1.

Vt iam imminens cogitandus Iudicij dies.

Hieron.

Matth. 24.

Soph. 1.

Damian. ep. 19. l. 7.

Vtilitas ex cogitatione supremi diei prouenienss.

Damian.

Cæsar.

Annexo Cæsareo, Basilium. *Quando peccandi tibi libido incesserit, veniat quæsò in mentem horrendi Iudicij Christi recordatio: vbi excelso, sublimique solio ille iudex præsidet; omnis verò creatura adstabit tremebunda.* Adiice Chrysostomum elegantissimè declarantem vitiorum frænum in huius diei memoria positum. *Hoc iudicium*, ait, *semper præ oculis habeamus, ita semper virtuti vacare poterimus, nam qui illius diei obliuiscuntur, tanquam fræno abiecto, in peccatum deferuntur. At quem continenter hic perculit timor, modestè viuendi viam ingreditur.* Ex longinquo Patrisfamiliâs discessu, coloni laxârunt ad vitia fræna sua; licere sibi, scelera putabant. Hæc insipiens illorum cogitatio, animos sceleribus impleuit, addiditque in omne vitiorum genus, audaciam. Non reformidarunt ad animaduersiones In-

Damna ex obliuione iudicij postremi.

Hom. 38. in c. 5. Ioannis

seruos.

seruos manus inferre audent proprio filio, ac hæredi non parcunt. Hinc aduocata in colonos mala propè innumera, ad quæ illustranda, opportunus videtur Danielis locus. *Tibi autem Domino Deo nostro propitiatio, & misericordia, quia recessimus à te, & non audiuimus vocem Domini Dei nostri, vt ambulemus in lege eius quam posuit per suos Prophetas; stillauit super nos maledictio, & statuit sermones suos, quos locutus est super nos.* Vbi putant coloni recessisse patremfamiliâs, nec illum censent vltorem scelerum, ac vindicem habituros: *tunc statuit sermones* suos in illos: Sermones isti minæ sunt, in Principes, & populorum turbam, olim effusæ à Prophetis; in articulum illius temporis ad vlciscenda scelera inclusam. *Statuo*, vt reor, verbum militare est; Ita Actorum cap. 7. *Ne statuas illis hoc peccatum*, ex Græco verti potest, *ne stare facias in illos peccatum*. Stat peccatum, & pugnat in nos, pertinaces in nostro scelere. Ad eundem sensum illud Deuter. 32. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Ex Hebræo vertit Sancius, *Ordinabo*. Fermè tormenta militaria in acie exposita, ad frangendum hostilem impetum; In hos itaque, qui existimabant abiisse Numen, nec vltorem scelerum Deum rediturum, quamuis semel, & iterum mala in peccatores interminantem. Minæ, quæ sub vmbrâ quiescebant, & cubabant veluti sub fagi tegmine, futurum erat, vt starent in acies armatæ, inuasuræ ad internecionem ipsam peccatores. Id vineæ colonis accidit, ex longinquo discessu Patrisfamiliâs contemnebant ministros, vbi omnia tuta sibi putant; armatæ olim, sed quiescentes minæ, illos inuasêre, & malos perdiderunt malè.

Daniel.9.

Accipere sermonem pro re ipsa, nimirum pro exitio, cæde, aliisque infortuniis.

Statuo, verbũ militare.

Sanc. Daniel.19.

Dei minæ interdum quiescent, sed tempore suo stabunt contra peccatores.

Tandem cum Damiano, ad Flauiam Comitissam, in refractarium peccatorem, ac in sæculi blandimenta, paro amuletum. *Tu itaque hæc, & his similia, quæ de diuini furoris, & indignationis amaritudine leguntur, Mundi amatoribus imminere, crebrius perlege, subtiliter meditare; vt hoc velut amaræ confectionis antidoto, sibilos antiqui serpentis, eiusque lethale virus possis euadere. In memetipso quippè frequenter expertus sum, quia cum visceribus meis huius cogitationis amaritudo diffunditur, à cunctis malè blandimentis*

Daniel. 7. epist. 15.

Iudicij meditatio potens est contra omnes animi morbos amuletũ.

Mundi, & ita loquar humoribus mentis meæ stomachus exiccatur. Amplectere medicamina, à prauis humoribus siccantia stomachum.

Vltima illa sententia, quam in nos laturus est Deus Iudex, magis terrere nos debet, quò differtur, & occultior nobis est. S. Augustinus, ab humano iudicio gradiens ad diuinum; id inculcat his verbis. *Vltimam sententiam, quam dicturus est Iudex, in tabellâ descripturus manu sua, vltra quam sententiam nihil iam iudicaturus est; partes non audiunt, illis foras exeuntibus scribitur, attonita sunt ambæ partes; atque suspectæ, contra quam, vel pro qua sententia illius procedat. Magnum secretum iudicis, vnde, & secretarium nominatur, magnus timor eorum, qui in causa sunt, quid ille cogitet, & quid scribat ignoratur; & homo est, & illi de quibus iudicat ille, vtique homines sunt.* Quis non timebit à Diuino iudicio? Vbi coloni fermè dominos se putant vineæ, in illorum capita paratur feralis sententia. *Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.* Hoc vnum compescere deberet peccatorum audaciam. Incertum esse quando egrediendum ex hac vitâ. Certissimum, quòd subituri sumus iudicium diuinum. Deus enim est iudicij Dominus, non modò ob summam potestatem, quâ ipse præditus, sed etiam ob iudicij clarissimam cognitionem; præ qua cuncti iudices, vel ipsum Iudicis nomen demerentur, ille tantummodo Iudex sententiam ex vero iure dicens. Verisimilibus argumentis, ac coniecturis vtuntur mortales, vt de capite nostro decernant. Ille ex certâ scientiâ, non emendicatâ à testibus, sed quam inspexit ipse luminibus suis. Inde vt Iudex verus per antonomasiam, iudicij Dominus indigitatur. Inde Boëtius argutatur necessitatem humanæ probitatis, dummodò nostras mentes non impleuerit insanus furor. *Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas debita probitatis; Cùm ante oculos agatis, Iudicis cuncta cernentis.* Ex aduerso, scelerum fermè illicium est, putare absentem Deum, nec curare nostra; Rex Hebræus: *Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Ex Agellio nostro, *Prophanatæ sunt viæ illius.* Nil sacrum respicies in huius coloris hominibus, omnia

S. August. de omnibus c. 34.
Dies extrema quò occultior, eo terribilior.

Boët. prosa vltima.

Psalm. 9.

omnia prophana, Bacchum, Venerem, & Mercurium adorant, lasciuiis, vino, ac prauo lucro dediti. Canens finio.

Quonam vsque, custos gentis humanæ tuos
In rebus arctis negliges?
Quonam aberis vsque, dum pios tyrannide
Premit arroganter impius?
O si scelestum vergat in caput scelus
Suisque pereant artibus.
Æqui atque iniqui negligit discrimina
Infranis arrogantia,
Suaque plaudit suauiter prudentia
Nullum esse quòd putet Deum;
Felicitatis somnio indulget suæ,
Quòd cuncta cedant prosperè,
Nec re futurum cogitat vel iudicem
Vel perpetrati vindicem.

CAPVT IX.

Cùm autem tempus fructuum appropinquâsset, misit seruos suos.

Bona iustorum opera, præ ipso seruorum, ac filij sanguine æstimata à Deo.

NE mireris, si tanti Paterfamiliâs vineæ suæ fructus pendat, vt seruos, filium ipsum, tot bonorum, ac paternæ felicitatis heredem, in discrimen adducat; modo illos ne perderet: quia apud cælestem parentem fructuum, quos ex mysticâ vineâ colligit tempore suo, tanta existimatio est, vt non ex colonis, illos exegisse, sed emisse videatur pretio cruento, seruos, militem, filium, contemni sustinet, vt fructus innocuorum sanguine rubricatos comparet sibi, ac reponat in suâ turri. Fortassis miracula hæc homini videntur, qui nescit, quanti Deus faciat iustorum bona opera. S. Augu- *Magna apud Deum existimantur opera nostra.*

'ugust. stinus affirmat mundana omnia; pro quibus sæpè numero angũtur mortales;dignitates, diuitias,pulchritudines,salutẽ;cuncta,quæ fluunt tẽpore;demereri Fructus nomen,omnia ad vsum data mortalibus, nihil illis ad fructum. Bona opera tantummodo sunt,quæ in Deum collimata,ad æternitatem aspirant,& fructus dici queunt. Audi Augustinum fructum, & vsum egregiè discriminantem his verbis. *Nec ignoro, quod propriè fructus fruentis, vsus vero vtentis sit, atque hoc interesse videatur,quod ea re frui dicimur, quæ nos, non ad aliud referendo, per se ipsam delectat: Vti verò ea re, quam propter aliud quærimus. Vnde temporalibus magis vtendum, quam fruendum, vt frui mereamur æternis. Non sicut peruersi, qui frui volunt nummo, vti autem Deo, quoniam non nummum propter Deum impendunt; sed Deum propter nummum colunt.* Hi inuertentes naturæ ordinem, ad dedecus æterni Numinis, obscurant lucem tenebris, & contempto virtutum luculento die,amplexantur tristissimam vitiorum noctem. Nulla illis de vltimo fine cogitatio, nulla de Deo; contemptis æternis tãtummodò curant temporalia Theodoretus verba sponsæ; *flores apparuerunt in terra nostra.* Acutè illustrans egregiè astruit, quæ diximus. *Annotanda est verborum subtilitas, neque enim dixit fructus, sed flores. Absoluta namque bonorum possessio, dignis hominibus, in futuro sæculo reseruatur.* Vix odor ad nares nostros halabit rerum temporalium. Frui his rebus, quas Mundus adorat, est affici insano furore, cum enim illis frui velis, comperis fauillam euanescentem in fumum. Et propè Sodomæ poma applicaat ori tuo. Euanuisse in cinerem illa conspicies, detectâ laruâ qua tegebantur. Non hæc æstimata à Patrefamilias, sed bona opera, quæ intrinsecùs non abscondunt cinerem, sed semina æternitatis includunt. Eleganter S. Bernardus. *Non pereunt opera nostra; vt videtur, sed æternitatis, quasi semina iaciuntur. Stupebit insipiens cum ex hoc semine modico, copiosam viderit surgere messem; tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.*

Mundana omnia demereatur fructus nomen.

* Discrimen inter fruitionẽ, & vsũ Aug. l. 11. de Ciuit. Dei cap. 25.

Praui nũmo frui, Deo vti volunt.

Theodoret. Cant. 2.

Bern. de conuers. ad Cleric. cap. 11.

Opera bona semina sunt æternitatis.

Non angusta Mundi horrea; quæ interdum ex diuitum votis, ad maiorem frugum capedinem laxanda sunt: custodiunt fructus sacros; sed ipsa parentis cælestis viscera. Cellas

las parat cælum pretiosissimis frugibus. Hugo expendens illud Genes. 46. *Omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & collocauit in ærarium Regis.* Ad mysticum sensum flectens verba sacra, ait *In ærarium Regis, id est, in cor Patris, vbi Christus immittit opera nostra, vbi tanquam thesaurus pretiosissimus custodiuntur: Videntur enim hac perdita; eò quòd æquè conueniant cuncta iusto, & impio; vt dicitur Ecclesi. 9. sed in corde Patris, quasi in thesauro Regio posita sunt, vsque ad tempus suum.* O nobilissimum ærarium tanto thesauro dignum?

Genes. 46. 16. Hugo Carensis. Cor cælestis patris ærariū bonorum operum.

Verum vt lucescat magis bonorum operum dignitas. Age expendamus labores, diligentiam, studia, quibus Paterfamiliâs à temporum iniuriâ, à rapaci prædonum manu, vineæ suæ fructus vindicat; Turrim excitat, sepimento vineam munit, tentoria figit, custodes adhibet, nihil prætermittit, quin fructus suos custodiat. S. Basilius illud Isaiæ expendens. *Relinquetur sicut vmbraculum in vineâ*, ait. *Hæc quidem tabernaculum corpus est, quod inhabitat Spiritus sanctus; Nam nescitis, quòd corpora nostra templum sunt Spiritus sancti? Vinea enim anima est, à qua reposcitur copiosa vbertas fructuum, planè digna primogenitâ plantatione, & agricolatione Dei.* Rationem adiicit habitantis Spiritus sancti. *Qui nos ait obseruat, & tuetur, Spiritus sanctus est:* Ipse Spiritus sanctus in nostro corpore fermè, vt in tentoriis habitat obseruator ac tutor bonorum operum.

Isaias cap. 1.

Basil. in hæc verba. Corpus nostrū tentoriū Spiritus sancti ad inhabitāda opera nostra.

Spiritus sanctus in nobis est vt custodiat opera nostra bona.

Cætera hominis opera, quæ ad Deum non tendunt, quamuis in his madida mortalium frons desudet, indigna sunt, quæ in fructibus numerentur, cum illa senticeti, ac spineti sint partus & vineæ sterilis excrementa.

Opera mundana vineæ excrementa.

Ieconias, vir è regio sanguine, & regiis infulis ornatus, vt sterilis, & infœcundus ab Auctore sacro exprobratur, quamuis duodena prole auctus. Quia vt egregiè annotauit Hieronymus. *Ex tam numerosa progenie nullus repertus, qui paternum Regnum adiret, ac sederet in Dei solio.* Homo, oleum, & operam perdit, cum ea agit, quæ non collineant ad veram virtutis metam. Non pertingunt ad Dei solium, nec merentur coronam, opera, quæ Mundus aspicit. Hic mortalium furor, vt Mundi gloriam ca-

Iecon 22. ibi Hieron. Cur Ieconias sterilis dicitur habens 12. filios.

ptent, perdunt diuinam. Id alto Dei consilio innuebatur; cum mascula Hebræorum sobole obruta Nili vndis; seruabatur sequior sexus. Studet Dæmon, & omnes intendit neruos, vt deperdamus, in huius sæculi fluentis fructus bonorum operum. Præclarè Origenes. *Nisi enim in occulto feceris, diripietur ab Ægyptiis, inuadetur, in flumen iactabitur: vnde à fluctibus mergetur: ergo si facio eleemosynam, quia opus Dei est, masculum genero; sed si ita facio, vt hominibus innotescat, & ab hominibus laudem quæram, non eam occultauero, rapta est ab Ægyptiis eleemosyna mea, & in flumen demersa est, & tanto labore, tantoque studio Ægyptiis masculum genui.*

Origen. hom. 2. in Exod.

Quæ proles mascula sed obruta vndis fluminis.

Fructus boni operis, quò remotiores à Mundo, eò proximiores cælo, à quo habent, vt æternitate dimensi, placeant vinitori, qui manu suâ plantauit vineam, non vt fructus colligeret perituros, sed permanentes in æternam vitam. Non plantat Deus, tanto studio, nisi æterna. Nunquam eradicanda plantatio erit, *quam plantauit pater cælestis*. Vineam in domo Domini, plantatam in atriis Dei florentem, vt suam Deus agnoscit, de quâ ille sic cecinit.

Psalm. 92.

Quæ planta firmis hæserit radicibus
In æde Domini, aut atriis,
In flore amœno frondibusque vestiet,
Fluxique lapsu temporis
Ægra senecta damna nulla sentiet
Onerata largis fructibus.

Flores, fructus indices ideo agricolæ charissimi.

Sanctus Hilarius non modò fructus, sed efflorescentem vineam laudat, cuius odoratis floribus, æternos fructus ominatur. *Maior*, ait, *fructus est effloruisse, & licèt plantatio habet dignitatem, præcellit cum efflorescentium honor, quia vt initium in plantatione est; Ita gaudium boni operis in flore est*. S. Hilarius vt palam faceret quam grata sint cælesti parenti nostra opera, affirmat, maximo gaudio perfusum, vel ipsos flores inspicere. Vinitor enim cum primo, vel erumpentes gemmas, vel emergentia sata, vel florentes vineas intuetur, magno gaudio exultat, & studio maiori prosequitur, colere gemmam, florem, spicam, in quibus sperat maturescentes fructus. Quò etiam alludens Ecclesia

Hilarius in psalm. 91.

clesia sic orat. *Vota nostra, quæ præueniendo aspiras, etiam adiuuando prosequere*: Neque enim, *qui plantat, vel qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Cæterùm Paterfamiliâs, qui tanti pendet flores, quanti & ipsos fructus æstimabit? 1. Cor. 3.

Quærit Diuus Thomas quo pacto ad tantum dignitatis fastigium euehantur opera nostra, vt ipsum Deum condignè mereri possint? Tanti igitur est homo, vt iure Deum sibi, & in suam mercedem petat? Puluis merebitur plastem? De Deo, corona, ac præmio beatorum affirmat Paulus. *Quam reddet mihi in illâ die iustus Iudex.* Addidit facem clariorem Paulinæ sententiæ verbis suis Augustinus. *Non misericors Pater, sed iustus iudex.* Ad tantum cacumen non illa ascendunt virtute suâ. Vapor ad modicum parens, viribus suis nō pertingit Olympum, nec cœnum cælum. A sancto vinitore agnoscunt opera nostra incrementa virtutum. A Deo habent, quòd dimensâ æternitate, mereantur Deum. Hanc sublimem philosophiam, Angelico ore prolatam tibi sisto lector. *Opus meritorium hominis dupliciter consideratur; vno modò secundùm quod procedit ex libero arbitrio; sic ibi non potest adesse condignitas, propter maximam inæqualitatem. Sed est ibi congruitas propter quamdam æqualitatem proportionis. Videtur enim congruum homini operanti, secundum suam virtutem, vt Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis. Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia Spiritus sancti; Sic est meritorium vitæ æternæ, ex condigno; sic enim valor meriti attenditur secundum virtutem Spiritus sancti mouentis nos in vitam æternam.* Pila lusoria ludentis brachio debet, quod volitet, & fermè per aëra discurrat. Debet homo virtuti Spiritus sancti, quòd opera sua ad sublime fastigium pertingant, & attingant ipsum Deum.

Quo pacto opera bona mereantur de condigno. Non superbiat homo. August. D. Thom. 1. 2. q. vlt. art. 3. Explicatur similitudo pilæ lusoriæ.

Caueant tamen mortales ne sibi attribuant, quæ Deus in illis, & cum illis operatur. Deus vbi merita nostra præmiatur, opera sua coronat. Furis ac prædonis infamiam ille non effugiet qui Numini surripit coronam. Testatur id præclarissimis verbis Clemens Alex. *Quomodo ergo, qui aliena furatur: cum magnam faciat iniuriam; in ea quæ meretur*

Qui sibi operum suorum gloriam ascribit, fur est, & latro. Clem. l. 6. Strom.

retur mala meritò incidit : Ita qui diuina opera sibi vendicat, per fingendi, vel pingendi artem ; dicens se esse effectorem animantium, & plantarum. Pictor, & sculptor laruam facit, non hominem. Vmbra fuissent omnino nostra opera moralia qualia in Ethnicis ; si gratia illa non animâsset in vitam ; non addidisset motum, ac alas quibus ad Deum euolarent. Subdit Clemens. *Siue fuerit agricola, siue pater filij, est minister deiectionis seminum, Deus, autem præbet augmentum, & perfectionem, adducit ea, quæ gignuntur ad id, quod est secundum naturam.* Frustra corpusculum, à patre, terreno in materno vtero præstolaretur spiritum, & vitam ; quibus emergeret in hominem, nisi accurreret Pater cælestis animam infundens, & spiritum indens, quo surgeret ex embrione homo verus. Ita & in opere quod ille patrat, à gratia haurit, quod sit opus sanctum, & æterna vita dignum, Guerricus expendens Hebræi Regis hemystichium, ait. *Non cognoui litteraturam,* negotiationem legit ille. *Non debemus*, ait, *opera nostra numerare, sed tantum iustitiam Christi æstimare.* Nil esset opus nostrum, indignum quod augeret numerum, à gratia habet, quod in catalogo sanctorum operum describatur. Non itaque Agricolæ mireris sollicitudinem; fructus enim tam pretiosos omnes vult in turri sua recondere. Hinc tantum studium æterno Patri, ne periret quadragesimale ieiunium. Salubre tempus spondet, acceptabile & salutis ; Monet, vt ieiunans faciem lauet, perungat oleo caput ; tantum ne demandarentur opera terris, quæ includenda erant cælo. *Thesaurizate vobis thesauros vestros in cælo.* Sollicitus etiam ne pereant vel ipsa fragmenta. Chrysolog. ait : *Nil tibi perire vult, qui tua in thesauris cælestibus vult reponi.* Vt opus bonum. Deus totum sibi vindicaret, indignatur si diuisum in partes ; illorum frustula, vel Dæmon, vel Mundus delibare auderent.

Tandem opera nostra, in cælo, fermè diuina existimantur ; Et ne vilescerent illa à vili artifice, operantem decorauit Deus similitudine sua ; vt hac laureatus, talia opera, patraret, quæ vt diuina haberentur ex officina deprompta, exprimente Deum. Luculentissimè Gregorius Nyssenus illustrans

A Deo omnia bona habemus.

Christi iustitia in nostro opere existimandi.

Guerric. ser. 1. in die Natiuitatis.

Psalm. 70.

Chrysolog. serm 7.

Cur Deus sollicitus præcipuè in quadragesimâ ne opera nostra pereant.

Sollicitus ne pereant, vel ipsa operum nostrorum fragmenta.

Opera nostra & diuina existimantur in cælo. Vt hæc insigniius fermè diuinum proderet opus ab artifice exprimente Deum.

illustrans quo pacto homini, imago, ac similitudo Diuina conueniret. Affirmauit, imaginem cum mente & ratione inditam, similitudinis verò fermè iacta semina, vt ex hominis cultu emergerent in messem. Hæc illius verba; *Potestatem autem imbuens, vt eius similes redderemur; permisit nobis, vt essemus illius similitudinis effectores, quò merces operis nostri foret; nè nostræ similitudinis laudem auferret. Quomodo effigiem aliquam cernis diligenter elaboratam, & exemplar optimè referentem; non ipsam laudas, sed pictorem admiraris; quapropter vt mea, non alterius esset admiratio, reliquit mihi, vt ad eius similitudinem fierem*; sic aureo epiphonemate perorat. *Ex imagine habeo vt ratione sim præditus, ex similitudine autem, vt bonus efficiar. Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Vides quomodo nobis Dominus illud ad similitudinem reddat.* Hâc propositâ similitudine Deus allicit hominem ad sanctum opus, vt ostendat hâc semitâ posse tendere ad illud quod suadebat Dæmon fallaci via & contempto Dei præcepto. Igitur ex operibus in Deum collimatis habetur artifex Deo similis, habetur opus Deo dignum. A prauo fine prophanantur opera. Expuncta cælo, adscribuntur Orco, Scitè Hugo premens Dauidis dictum, *si iustitias meas prophanauerint. Iustitia Dei sunt opera bona, sed hanc iustitiam prophanant hypocritæ, qui non operantur rectâ intentione.* Adiice quod operibus sanctis, & in Deo effusis, maior sanctitas additur ex misericordiæ operibus Pulchrè Hilarius in hæc verba. *Extollite manus vestras in sancta. In hâc igitur nocte ignorantiæ insidiarum eleuandæ manus sunt in sancta, non ad prædicãdum, & orandum tantum; sed etiam ad operandum. Preces enim nudæ non proficiunt, eleuanda autem opera nostra sunt in Dei sancta, id est, in nudis vestiendis, in esurientibus cibandis, in sitientibus potandis, in afflictis consolandis, in oppressis adiuuandis, in omnibus diligendis. Hæc enim nos in hâc corporis infirmitate sanctificant; Hæc Deo placita, & sancta sunt.* Contracta manus infirma est; dum extenditur sana; cùm operatur sancta: cæterùm opera misericordiæ sancta sunt, nec fructus demerentur nomen, non modò quà à gratia procedunt, & à Deo; sed quà Deus vt sibi impensa accipit.

Nos dum benè operamur similes Deo efficimur.

Nyss. hom. 3. in exam.

Hugo Carensis in Psalm. 88 Opera bona quomodo prophanantur.

Hilarius in Psalm 133. Ex operibus misericordiæ inualescunt opera bona.

Hypocritæ opera Deo quo pacto prophanant.

Quod minimis meis fecistis, mihi fecistis: Sic videntur illa ad Deum remeare compendiosa via, vnde primo egressa sunt. Sacra hæc flumina ad Deum, vnde exierunt reuertuntur. Opera artificem non defraudant sua mercede; illum indumento salutis decorantia, vt speciosissimus appareat, & fermè triumphans in sacra vrbe. In vestimentis opera bona interdum designata, Apocalypticum oraculum comprobauit: *Vxor eius præparauit se, & datum est illi vt cooperiat se byssimo splendente, & candido; Byssinum enim iustificationes sunt Sanctorum.* Cæterùm benè operantes, candidatos Vrbis cælestis dicam; sine illis, & turpes, & nudos. *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* Ex peccatis, vt Theologi loquuntur, mortificãtur opera, quæ antea & viuebant, & vigebant. Nudabitur itaque à peccato, qui prius splendida veste induebatur. Verum si sacris indumentis accedat fragrans odor sanctæ orationis; Mirum quantum hæc erunt ad aulæ cælestis genium: solemne etiam antiquis patribus, vestimenta aspersa suauissimo odore. Isaac de suo Iacob: *Sentiens vestimentorum fragrantiam*, ait: *Ecce odor filij mei.* Tunc sancta, & odoratissima opera, cùm orationem halant. Tandem ex Basilio accipe, quo pacto intexenda sit vestis bonorum operum. *Arbitror spiritualem vestem texi cum verbo doctrinæ consequens actio implicatur. Quemadmodum stamini implicatur subtegmen, dum corporalis vestis texitur. Sic verbo præsubsistente, si consequenter actiones inducantur; venustissimum animæ amictum habebit, qui verba & opera complicabit.*

Opera bona, quo pacto adiunctis operibus misericordiæ fiãt sãct. ora.

Apocal. 19.

Opera bona designata in vestimentis.

Apocal. 16.

Oratio in odore.

Basil. hom. 11. in Ps. 44.

Quo pacto texenda vestis bonorum operum.

Hæc pulcherrima vestis Prælatorum præcipuè, conuenit quibus verbo, & exemplo præsunt Christi vineæ. Audiant hi Tertullianum. *Quid Dominus per Apostolum dicat recordemur. Probum vestrum coram hominibus appareat. Ad quid, nisi vt malitia ad vos accessum omninò non habeat, vt malis, & exemplo, & testimonio sitis? Aut quid est; Luceant opera vestra? aut quid nos Dominus lumen terræ vocauit? Quid ciuitati suprà montem constitutæ comparauit, si non relucemus inter tenebras & extamus inter demersos? si lucernam tuam sub modium abstruxeris, in tenebris relicto, à multis incuseris*

Præsules potissimũ, operati debent verbo & exẽplo.

Tertull. ad vxorem de cultu fœminarum.

cuseris necesse est; Hac sunt qua luminaria Mundi faciunt, bona scilicet nostra: In steriles homines æque, ac in arbores vindicandum erit. Chrysol. *Infructuosa arbor, intricat cespites, necat spatia, exhaurit terra vires, cultorem conficit damno, afficit tadio possidentem. Ac sic excidere istam, lucrum est, est istâ, commodum non habere: sic homo vtique, qui natura donum, munus anima, rationis beneficium, excellentiam sensus, indicium mentis, artis industriam, cultura bonum, per steriles, atque inopes actus euertit, occupat, mergit, auctori fructum, cultori gratiam negat, sicut arbore terra, sic iste è vitâ meretur excidi.* Caue homo ne terram occupes, inutile pondus, sterilis arbor, sugens humorem, non reddens fructum, securis iam ad tuam radicem posita expectat vocem *Succide* arborem, & quid terram *occupat*? Onera sumus; peccatorum nostrorum pondere terram grauamus si post diuina monita adhuc in eadem sterilitate permanserimus. *Iam non cultoris falce, sed ipsius dominantis securi, desperati & inutiles succidemur.* Sic perorat Chrysologus. Sic ego.

Caue ne sis arbor sterilis. Chrysolog. serm. 106. Luc. 13.

CAPVT X.

Agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt.

Misericordia Diuina, de humana malitia praclara Victoria.

DESCENDISSE in arenam humanam malitia; & in Dei misericordiam castrametasse videbatur, cum missi à Patre cælesti Prophetæ, Apostoli, Martyres ad fructus vineæ colligendos, cæduntur, occiduntur, lapidantur. Agricolæ enim ex scelere audaciores effecti, insano furore perciti, nefandum meditati parricidium, in ipsum Principem, totius Regiæ felicitatis heredem, ferrum stringere, inferre turpissimam necem audent, fidem Patrisfamiliâs compensan-

Malitiæ incrementa agricolarum erga Patrem familias.

tes, magna perfidia, & summam illius benignitatem, ingenti malitiâ. Pulchrè hic Chrysostomus. *Per singulos gradus diuinæ misericordiæ, malitia Iudæorum crescebat; & sic contra clementiam, malignitas humana certabat.*

Chrysost. hic.

Ferox inter hos athletas initur pugna, humana malitia vsque adeò prauitatibus armatur, & adornatur flagitiis; vt ipsam Dei misericordiam superasset, nisi ipse misericordiæ auctor accurrisset aciem instaurans, fortitudinis admonens militem suum, proprio effuso cruore; Guerricus Abbas inducit malitiæ, & gratiæ tempora, acriter inter se dimicantia, quorum atrocissimam pugnam illustrat his elegantibus verbis. *Coniunctim tamen currunt, paritérque feruntur, hæc duo tempora, tam diuersa, tam aduersa; tempus scilicet gratiæ, & malitiæ; si modò non esset tempus gratiæ; non diceret Apostolus, Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis, & iterum: si modò non esset tempus malitiæ, non diceret Apostolus. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt; confligunt igitur in tempore vno gratia, & ingratitudo, velutì in stadio vno; Iam olim, si quidem, sapientia pugnat aduersùs malitiam: propter quod nunc in huiusmodi descendit arenã; pugnat*, inquit, *nolens vinci à malo, sed volens vincere in bono malum; abundat iniquitas; & licet humana congelata esset, diuina non frigescebat charitas.* Ad consimile certamen allusit sponsa, canens aduersus malitiam, sponsi sui triumphum. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*, de flagitiorum, ac criminum vndis, in torrentes, ac in flumina fermè inundantibus; Charitas quæ in lampadem ignis, atque flammarum exarsit, gloriosissimè triumphauit: sic enim fornax, lymphæ leui aspergine ardet magis. Abblandiatur caro suis illecebris; aduletur mundus suis fraudibus, vrgeat Dæmon orcinis aculeis, semper victrix triumphabit charitas diuina; *Aquæ enim multæ non possunt extinguere charitatem.* Ad hunc sensum Philo Carpatius. *Qui sunt diuinâ charitate muniti, etsi vi tentationum premuntur; diaboli insidiis, ac Mundi turbinibus, velut ingruentium imbrium, atque fluuiorum impetu quatiuntur, nunquam tamen euelli, nusquam expugnari possunt, sed inuictam semper atque inconcussam vim amoris tuentur*

Pugnant tépora malitiæ, & misericordiæ.

Guerric. ser. 4 in die Natiuitatis.

2. Cor. 6.

Ephes. 6.

Cant. 8.

Pugna charitatis in malitiam similitudine ignis superantis aquam explicatur.

Apud Delrium cant. 8

tuentur illæsi, diuinâ gratiâ protegente. Opitulante diuinâ gratiâ, à nobis certissima erit victoria. Sancto impetu, magnus ille athleta Paulus, fermè prouocatus ad singulare certamen, in Satanam incurrit præcinctum machinamentis suis, de triumpho securus antequam congrederetur in hostem: *Quis,* ait, *me separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Rom. 8.

Verum Mundus senescens, quamuis non destitutus à misericordiâ diuinâ, haud erat diu permansurus, deficientibus à senio viribus, & aduocante malitia decretoriam diem. Misericordia spem victoriæ iam amiserat, angustia temporis, imminente iam die extremâ, fermè parabatur flagitiis triumphus, cùm Christus Dux noster, Iosue virtutem, & fidem superans, Solem sistit, restaurat tempora, veterascentem Orbem ad adolescentiam reuocat, vt maiori temporis spatio, victoria contra malitiam, ac vitia inualesceret. Rectè idem Guerricus, *Cùm extremum iudicium postularet multitudo peccatorum; Deus tamen filium suum misit, non vt iudicaret Mundum; sed vt saluaretur per ipsum. Cùm igitur consummata Mundi malitia, finem indicaret temporis, Redemptoris aduentus, nouam, & inopinatam plenitudinem temporis rebus infudit humanis. Cùm enim Mundus consenuisset, atque propè interitum esset temporis ætate. Subitò ad aduentum Conditoris sui, nouâ, & insperatâ renouatus est virtutis iuuentute, fideiq; quodàm iuuenili calore.* Mundi senescentis renouatio à diuina virtute. *Guerric. ibi.*

Hinc à Christi Domini aduentu propè confecta à senio Mundi extrema ætas, in plenitudinem temporis, in diem salutis, in tempus acceptabile, felicissimè attollitur, & quod tempore legis non potuerant Prophetæ; id facili negotio, & Christi gratiâ, Apostoli, Martyres, Confessores effecêre, vberrimos ex Ecclesiæ fertili vineâ collegerunt fructus colonis obnitentibus; ipsemet agricolarum impetus in innoxium cruorem, fuit illis ad gloriosissimam victoriam.

Christus dux noster ipse prior scelera expugnaturus, in arenam descendit, petens à dæmonum satellitio. *Quis ex* In Christum pugnat humana malitia.

vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Gratia inuehitur in humanam malitiam, regerit illa tela in gratiam, cùm audet ore blaſphemo reſpondere. *Samaritanus es tu, & dæmonium habes*, at gratia inualuit, & ab humana malitia exarſit fortior; ſic enim

Gregor. hic. egregiè Gregorius: *Cùm verò malorum peruerſitas creſcit, non ſolùm, prædicatio non debet minui, ſed etiam augeri, quod ſuo nos exemplo Dominus admonet, qui poſtquam habere dæmonium dictus eſt, prædicationis ſuæ beneficia largius infudit dicens: Amen, Amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum.* Cæterùm Chriſti benignitas, contumelioſa vibrata tela, grauiſſima patrata

Vbi abundãt peccata, ſuperabundat & gratia. ſcelera, compenſauit ingenti gratiarum cumulo. Id pulchrè annotauit S. Euangeliſta Ioannes, *qua nocte tradebatur, accepit panem, gratias agens, dixit: Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum.* Dum ipſi parant ad mittendum panem in lignum, ipſe adornat in ligno panem; alli machinamenta morti moliuntur; parat ipſe inſtrumenta vitæ, eadem nocte, eodem fermè temporis momento. Pulchrè

Eodẽ tẽpore, quo adornãtur peccata Chriſtus parat gratiam. *D. Thom.* D. Thomas, *Qua nocte tradebatur, quia ſcilicet quando tradebatur ad paſſionem per quam tranſiuit ad Patrem: hoc Sacramentum, quod eſt memorandæ paſſionis inſtituit.*

Apoſtoli tempore, quò magis debebant percelli metu ob imminentia à ſæuis tyrannis tormentorum diſcrimina, eò maiore cum libertate effundebantur in verbi Dei prædicationem, ipſo Dei verbo in eorum pectoribus loquente. Sic Matthæus Chriſtum inducit alloquentem ſuis Apo-

Matt. 10. 19. ſtolis: *Dum tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illâ horâ, quid loquamini; non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri*

Act. 5. *qui loquitur in vobis*; cùm ſiſtebantur Apoſtoli ad tribunal inimicum, tunc exultantes præ lætitia, gaudium quod in pectoribus inundabat, ludebat in eorum vultu, ſic *ibant gaudentes à conſpectu conſilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Itaque Apoſtoli inter hoſtes impauidi, meticuloſi inter amicos. Egregiè Hieronymus,

Hieron. hic. *Cùm enim in medio amicorum certamen erit, iubentur eſſe ſolliciti. Cùm autem eſt iudicium terribile, & plebs inſaniens,*

&

& timor vndique, auxilium à Christo prabetur, vt confidenter loquantur; vt non obstupescant. Cùm non adsunt à Christo auxilia, nihil non discriminosũ, ac periculorum plenum; ipse amicorum consessus timorem, ac sollicitudinem parit: cum Christo nihil discriminis est, omnia complanata, & in tuto posita sunt. Meritò alacres ad pugnam; & fermè impatientes impetunt inimicorum phalãges. In Actis Apostolorum, cum Sacerdotum princeps præciperet, ne quis auderet Christianam fidem prædicare. *Pracipiendo pracepimus vobis, ne doceretis in nomine isto.* Petrus illicò cum cæteris Apostolis quasi corpus mysticum fluxisset in naturale, & Apostol. omnes in vnam propè conuenissent vocem, cuncti vna voce, respõdent. *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Carthusianus hîc notat. *Porrò vt ait Glossa quadam & scholastica historia, omnes Apostoli verba hac vnanimes proferebant; ex feruore, & zelo, non patientes, vnum pro omnibus loqui.* Tam sanctus impetus penè vrbanitati detraxit, dum charitas vno ore loquitur, sed congruum erat vt ab his quibus cor, & anima vna, vna tantummodo vox audiretur.

Cũ Christo, nil discriminosum, omnia tuta.

Actor. cap. 5. 28.

Carthus. ibi. Omnes Apostoli vno ore respondent in tyrannos.

Martyribus nunquam eloquentior lingua, quòd, quando elingues. Nicetas, euulsâ à radice linguâ in Præsidem pro Christi fide disertissimè eloquutus est; gliscebat à tormentis facundia; à Spiritu quippè prodibat eloquentissima oratio, munus euulsæ linguæ gratia sustinente. Cæterùm cum Dei benignitas, diffusa in Martyrum cordibus, pugnabat, fugabatur illico malignitas humana. Nequibat illa obsistere gratiæ diuinæ. *Vbi enim abundauit delictum superabundauit gratia.*

Nicetas eloquentior sine lingua.

Gratia interdum superabundat vbi peccatũ est. *Ad Rom. 5.*

Fortissimus athleta Paulus, clamat. *Gratia Dei in me vacua non fuit.* Vertit sanctus Ambrosius, *egena non fuit.* Tunc egena illa, ac fermè debilis non audens armata in aciem procedere, cum destituta humano cooperatore, celat quasi paupercula se in penetralibus. Paulus monet, *Videte ne quis desit gratia Dei.* Nunquam illa deest nobis. Nos illi sæpissimè. Gratia cum non habeat, cui faueat, fermè ex paupertate vilescens desinit esse quæ erat. Nunquam egreditur illa, nisi vt benè faciat; tunc locuples. Ad pauperiem

Quando gratia dicitur egena & quomodo. *Ambr. lib. 1. offic. cap. 32.* *Hebr.*

Quæ est gratiæ conditio.

riem redacta cum alios fauoribus suis non cumulat; Ex effusione sui illa ditior, cùm desunt cui bona sua elargiatur, egena est; hæc conditio gratiæ, & sancta illius indoles.

Illa præcinctus homo inuadat impauidus inimicorum phalangem, ad gladium, ad tela, ad lapides interritus pergat; pugnabit feliciùs, cum audaciùs: Mors illi victoria est. Commutabitur Cupressus in laurum; gloriosus igitur triumphus est gratiæ, de humana malitiâ, in quâ, & Apostoli, & Martyres, & omnes qui tribulationes passi sunt, gloriosissimè triumphârunt.

Mutatur Cupressus in laurum morientibus pro Christi fide.

Verum quod mireris, interdum ipsa malitia humana, benignitati diuinæ famulatur, ad gloriosiorem illius triumphum, ex fœditate vnius resplēdens altera pulchrior. Acutissimè Tertullianus. *Probatio innocentiæ, iniquitas vestra, ideo nòs hæc pati Deus patitur. Nam proximè ad lenonem damnando Christianam, potiùs quam ad leonem: confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem, omni pœna, omni morte reputari.* Quo pacto poterat illustriùs de carnis illecebris triumphare pudicitia, prodens lenones leonibus ferociores, cum ab vnis caro, ab alteris pudicitia dilanietur. Ipsa contemnenda corporis carnificina est dummodò candor illibatus persistat. Famulatur triumpho puritatis, humana malitia. Hæc militiæ cælestis stratagemata, & diuinæ gratiæ ingeniosissima machinamenta, illustriorem in Orbe terrarum reddunt iustorum victoriam.

Tertull. in Apolog. in fin. Christiani cur desperati dicebantur, de quo etiam in 3. l. & vlt.

Inuentum non dissimile fuit, ad Christianorum, qui pro diuina benignitate certabant in humanam malitiam, constantiam demonstrandam, *quod illi desperati* dicerentur ab Ethnicis. Formosior apparens ex oppositis vitiis virtus, quasi ex vitiorum confiniis decorem illa surriperet. Et sic conspicuus magis foret in malitiam gētilium sanctus Christianorum impetus. Desperatio enim ad infringendas hostium vires interdum audaciam parit. Ioseph. l. 3. ant. cap. 9. *Audacia sumpta à desperatione tanto impetu aduersum hostium frontem impulerunt, vt territi, ceu furentibus cederent.* Sic Tertullianus: *De Christianis prope desperati, ac perditi existimamur; Sed hæc desperatio, & perditio penes vos in causa gloriæ, & famæ; Vexillum virtutis extollens.* Disertissimè

Formosior apparet ex confinio vitiorum virtus.

à desperatione interdum audacia oritur.

tissimè Tertullianus. *Malitia humana ministrat ad pietatis diuinæ extollendum vexillum*, modum ad hæc omnia paratissimum ille egregiè aperuit. *Quis enim non contemplatione eius concutitur, ad requirendum quid intus in re sit? Quis non vbi requisiuit, accedit, vbi accessit, pati exoptat? vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo compensatione sanguinis sui expediat? omnia enim huic operi delicta donantur.* Vbi Ethnici leones præ lenonibus desideratos à Virginibus inspiciebant, vbi expendebant, ad expetenda tormenta talem impetum Martyrum, vt videretur transisse in desperatiorem audacia. Ex his miraculis, curiositatis stimulis puncti, de Christo auebant certiores fieri; inde accedebant. Ipsi Martyribus, & accendebatur in Christianam fidem amor; Ex sæuitia itaque in Martyres, Martyrum augebatur gloriosissimus numerus, sic diuinæ misericordiæ famulante humana malitia.

Quo pacto videntes cōstantiā Christianorum gentiles cōuertebantur. *Tertull. in Apolog. in fin.*

Tandem, & carni, quæ virtutis triumpho, dum pugnat animus in malitiam, deseruiuit, suum præmium non defuit. Elegantissimè Cassiodorus, cum quo mihi finis. *Ita caro quamuis diuersis vitiis appetatur, multisque vulneribus lacerata subiaceat, ipsa tamen est, quā cæleste psalterium canit, quæ gloriosos Martyres facit, quæ Conditorem suum visitata promeruit. Meritò iam spiritualis futura creditur; quando hic mortalis tanto munere perfuncta, gloriatur. Sic enim ista magna quidem natura, sed originalis delicto, peccatis quotidianis obnoxia, ieiuniis, eleemosynis, assiduisque orationibus diuina se suffragatione componit, sic emendatis sordibus peccatorum, fit Dei templum; quæ se criminibus non concessit hospitium.* Habes gratiæ Diuinæ triumphum, in humanam malitiam; quæ etiam militaribus machinamentis certans, carnem ipsam, sociam animæ afficit ingentibus præmiis.

Cur caro præmiatu. in cælo *Cassiod. cap. 16. de anima.*

CAPVT XI.

Malos malè perdet.

Misericordia læsa, ira vindicatur.

MITISSIMVS Paterfamiliâs, vbi desæuire debuerat in atrocissima agricolarum parricidia, premit illorum meritissimam pœnam, tantum vt rubore suffusi, infanda detestarentur facinora, & Regiæ stirpis, quæ ad fructus exigendos aduenerat, submississimo cultu, adoratâ benignitate, exorarent veniam flagitiis suis. Sic auctor operis imperfecti expendens verba. *Verebuntur filium meum. Ego inquit misi confundere illos, non autem punire, nã pro tantis iniuriis benigno Domino sufficiebat vindicta pudoris.* Verum tantis beneficiis, extorto pudori; nescio an vindictæ asperum nomen conueniat. Dicerem potiùs eâ mente applicata medicamina à peritissimo Esculapio, vt leuissimè cordis venia incisa, inde effuso in vultum cruore ægrum restitueret optimæ saluti. Egregiè id attigit acumine suo Clemens Alexan. *Medicamentum benignitatis diuinæ, ex quo efflorescit rubor pudoris, & peccantium subit verecundia.* Dum in hâc vitâ sumus, cælestis Medicus leuiter venam nostram cædit, vt effuso cruore, salutem nostram emamus. Tandem dicerem tot impensis beneficiis, Patremfamilias voluisse compescere agricolarum impium furorem, & quasi indomito equo, iniecto fræno, in rectam deducere, ex placidissimo Numinis ingenio beneficiorum cumulo cohibere properantes in scelerum præcipitia. Isa. 48. *Laude mea infrænabo te, ne intereas*, hoc est; Beneficiis prosequendo immerentes deuincire loris ne ad occasum tendant. *Laudem* pro beneficiis sumi, & pro rebus laude dignis, apud sacros, ac prophanos auctores solemne est, Dauid psalm. 144. *Laudationem Domini loquetur os meum.* Id est, beneficia Domini in me profusa cantabo. Virgilius l. 1.

Auctor operis hic. Paterfamilias contetus erat vindicta pudoris. *Clem. Alex. l. 1. pædag cap. 8.* Pudor medicamentum culpæ.

Deus beneficiorum fræno cohibet properantes in scelera. Isaias 48. illustratus. *Psalm. 144.*

En

En Priamus sunt hîc etiam sua præmia laudi.

Nimirum merita respondentia præmiis. Ad hanc mentem etiam. Propert lib. 1. eleg.

Non ego sum laudi, non natus idoneus armis.

Veluti frænum erat lectissimo iuueni Iosepho impensa à domino suo beneficia, ne impudicæ mulieris illecebris acquiesceret. *Quomodo*, inquit, *possum hoc malũ facere?* Horrescit ad patranda scelera humana indoles, in eum, qui tot beneficiis animum nostrum deuinxit. S. Ambrosius ait. *Beneficÿ herilis, & innocentiæ suæ debitor, fugit crimen ingrati peccatique labem; & culpæ contagium, quasi iustus horrescit.* Hâc fortassis ratione perculsus Abraham imposuit monti nomen *Dominus videbit.* Cùm mons esset Numini conspicuus, securus de beneficiorum cumulo à Deo impendendo, à quolibet discrimine tutum se putabat Abraham; nil mali stirpi suæ reformidans, hoc enim rel&o freno cohibuerat furorem diuinum, omnino putabat ille in qualibet occasione, placandum Dei furorem, ad conspectum benefici montis, in quo expressum legebatur, insigne amoris sui monumentum. Maiori ratione à Christo tot operata beneficia in Caluariæ cliuo. Illi nomen imponendum erit. *Christianus videbit.* Quis excurrat ad peccatorum illecebras ad Caluariæ montem missis oculis? O quale frenum id erit, ne homo ruat ad scelera, illius montis aspectus, in quo pro mortalibus mortuus est ipse Deus!

Genes. 39.

Ambr. l. de Ioseph. cap. 5.

Monti Caluariæ nomẽ, Christianus videbit.

Cæterùm spernentes profusissimam Numinis benignitatem, sentient iustissimam illius iram. Misericordia enim contempta in iram furorémque vertitur. Vt enim qui sanctissima templa humano effuso cruore, sceleratissimè temerant, ex ipsis sacris constitutionibus, indigni sunt, qui Ecclesiasticâ immunitate perfruantur; ita etiam demerentur misericordiæ patrocinium, in illam impiè peccãtes. Præclarè in simili argumento Tertullianus, in Catechumenos inuehens, qui in scelera corruebant audaciùs, quòd scelera expianda erant sanctissimo lauacro; paruipendentes infirmitatem, quia præsto erant, & ad manum, illis medicamina. *Omne præterea cunctationis, & tergiuersationis erga pœnitentiam vitiũ, præsumptio intinctionis importat.* Certè

Qui spernũt Dei benignitatem, sentient illius iram.

In illos qui augent peccata spe futuræ veniæ *Tertull. de pœn. cap. 6.*

enim indubitatæ veniæ delictorum medium tempusint erim furantur; & commeatū ſibi faciunt delinquendi. Duo in eruditiſſimo auctore expendo. Primum, furantur tempus, protrahentes pœnitentiam, & ſcelera ſua cumulantes nouis ſceleribus. Tempus, quo modò fruimur, in ditione miſericordiæ poſitum eſt; ipſi ſurripimus, quod flagitiis damus. Egregiè ſanctiſſimus Pontifex Gregor, *Miſericors Deus, tempus ad pœnitentiam relaxat, ſed cùm eius gratiæ patientiam nos ad augmentum vertimus culpæ; hoc ipſum tempus, quod ad parcendum piè diſpoſuit, diſtrictiùs ad feriendum vertit;* ſubdit, interiectis paucis. *Omnipotens Deus, qui collata remedia conſpicit ad culpæ incrementum trahi, ipſam benignitatem, quam contulit, in iudicij diſtrictionem vertit, vt indè poſt ampliùs feriat, vnde modò ampliùs expectat.* Tempus Deo famulari geſtit, cùm illi deſeruire ad gratiam elargiendam, refractario peccatore obnitente, non poſſit, ad miniſtrandam iram furoremque deſeruit. Obdurati peccatores plectuntur, meritâ furibus pœnâ, nimirum, vt vapulent, & ablata reſtituant. Ad hunc ſenſum aurea ſunt Laurentij Iuſtiniani verba. *Impunè miſericordiæ contemptores non patitur, quò enim latiùs miſericordia prorogatur, eò diſtrictiùs infert iram.* Diſtrictè ſoluet peccator, quòd prolixè rapuit. Iram experietur miſericordiæ contemptor; Ira tempus, quod à miſericordia liberaliſſimè profuſum erat, coget in anguſtiam. Auguſtinus in verba Dauidis. *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Sic ait. *Magnum erit tempus miſericordiæ; non pertranſeat fratres; venturum eſt iudicium. Erit tunc infructuoſa pœnitentia; dicent intra ſe pœnitentiam agentes, & præ anguſtiâ gementes.* Præ temporis anguſtia gement contemnentes tempus acceptabile, & dies ſalutis; vt ſuis ſeruiant illecebris. Quot ſunt ex nequiſsimis peccatoribus, qui ſemel, ac iterum exorati, vt ſua expiarent crimina, illa in ſacro pœnitentiæ mitiſsimo tribunali confitentes, contempſere rogantem? Poſiti in mortis articulo, velocior mors ſuperueniens, quam quod apud confeſſarium ſua ſcelera exprimere potuiſſent, impœnitentes mortem oppetiêre?

Hom. in Ezech. Miſericordiæ ſurripitur tempus, quod ſceleribus damus.

Deus impunè miſericordiæ contemptores non patitur.

Laurent. Iuſtin. de triũphali agone cap 25. in proprio.

Auguſt. in Pſalm. 100.

Chryſ. ſer. 62. Chryſologus, & hanc temporis anguſtiam, & illam laxitatem

tatem expendens elegantissimè sic loquitur. ***Hac est magna, larga, & sola misericordia, qua iudicium omne in diem seruauit vnum.*** O temporis angustiam! tot sæculorum scelera decernet dies vna. Misericordiæ tempus elapsum est, cum iustitia apparet in ianuis. Audi gementem Saulem ***Coarctor nimis, Dominus recessit à me, & Philysthim pugnãt contrà me.*** Audi Esau angustiis vallatum, cum, & locus, & tempus pœnitentiæ deesse illi videretur. Audi Chrisorium apud D. Gregorium declamantem grandi voce. ***Inducias, vel vsque manè: inducias vel vsque manè.*** Fures temporis, & misericordiæ illusores, temporis angustiâ plectendi sunt.

Angustia tẽporis plectũtur Misericordiæ illusores.
1. Reg. 28

Greg. in l. Daniel.

Alterum quod in Tertulliana sententiâ expendo, est ***Commeatum delinquendi facere.*** Per ***Commeatum*** propriè saluum vt aiunt ***conductum***, siuè impunitas exprimitur. De illis sermo est, qui misericordiæ præsidio, putabant posse absque discrimine futuræ pœnæ, peccare; Ita bonum putantes Deum, vt pateretur sine merita pœnâ malos abire; In hos acutè idem Tertullianus. ***Quis est iste Deus tam bonus, vt homo ab illo fiat malus?*** Et alibi. ***Qui solus bonus assentator esset malitia.*** Sciant peccatores, Deum in elargiendis gratiis liberalem, non prodigum, & sic misericordiæ memorem, vt non sit immemor iustitiæ. Præstò sunt ambæ hæ virtutes Numinis solio & ad illius nutum paratæ. ***Iustitia & iudicium praparatio sedis tua.*** Benè in his officiis ministrandis colligatæ fouent se perpetuis amplexibus, ac propè osculis, sibi vicissim insinuant eundem spiritum. ***Iustitia, & Pax osculata sunt.*** Ex his sororibus, primogenita Iustitia est, quam altera vsque adeò religiosè colit, vt fateatur sub sororis suæ legibus, ac tutelâ viuere. Firmat hæc omnia eruditis verbis Tertullianus. ***Vt Iustitia sit; nec species solummodò, sed tutela reputanda est bonitatis, quia bonitas, nisi iustitia regatur, vt iusta sit; non erit bonitas si iniusta sit.*** Postea Marcionem festiuè suggillans; (putabat ille geminum Numen terrarum orbi præsidere; misericors, ac mite vnum, sæuum ac iustum alterum) subdit. ***Qualem Deum velles, ô Marcio, sub quo delicta gauderent? illum bonum iudicares, qui posset hominem magis malum***

Mali Dei misericordia malitiæ suæ velamen faciunt.

Tertull. l. 2. contra Marc. cap. 26.

Iustitiæ & misericordiæ fœderata amicitia.
Psalm. 84.
Tertul. l. cõt. Marc.

facere, securitate delicti. Quis boni auctor nisi qui exactor? Quis mali extraneus, nisi qui inimicus? Nemo bonus, qui conniuet malis; illorum consortio, & societate fermè gaudens.

Nullius salus desperanda.

Cæterùm pietatem ac misericordiam diuinam, nemo audacia sua audeat in dubium reuocare. Peccatori senescẽti in malo; ac morti proximo, quamuis sceleribus emẽso vitæ curriculo, salus desperanda non est. Sunt in Deo viscera, quæ expectorare interdum dignatur, vt mortuis ea indens, reuocet ad nobilissimam vitam. Signatissima sunt ad hunc sensum Petri Abbatis Cellensis aurea verba. *Licèt sit emortuum corpus peccatoris, senio vel languore, credat tamen adhuc venas misericordiæ in Deo palpitare, quibus viuificet impios, quibus viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt.* Rectè quidem: & id experimento didicit genus humanum, quod ex protoplasti scelere iacens exanime, per piisima Dei viscera ad vitam reuocatum est. *Per viscera misericordiæ Dei nostri visitauit nos oriens ex alto: Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Obstupuit sanctus Iob ad hãc expectoratam Dei misericordiam, *Quid est homo, quod memor eius? aut quid apponis erga eum cor tuum?* Apponere nomen escarium est; pertinens ad cibos, & ad fercula exhibenda, comedentibus. Deus, & cor, & viscera apponit peccatori in suauissimum epulum, vt mortuum reddat vitæ. Vidit Regius Psaltes, parentis optimi piisimum ferculum, & ait. *Miserator Dominus escam dedit timentibus se.* Euiscerans seipsum dedit hominibus pabulum salutare.

Deus pascens peccatorem suis visceribus.

Petr. Cellens. de panib. c. 3.

Genus humanum peccato mortuũ per piissimã Dei misericordiam ad vitam reuocatum.

Luc. 1.

Iob. 7.

Psalm. 10.

Iustitiæ centrum, cuius circũferẽtia, misericordia est.

Ambitur à misericordiâ iustitia, non secus, quàm à circumferentia centrum, nil quaquauersùs respicit, quod ad misericordiam non pertineat; In cuius ditione perpetuò viuit. Hinc præclarè Hieronymus, verba Regij psaltis expendens *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi: Iustitia, & pax osculatæ sunt,* ait. *Iustitia Dei vallatur misericordiâ: & tali ad iudicium ambitione procedit: sic parcit, vt iudicet, vt misereatur.* Misericordiosissimo vallo iustitia definitur. Egregiè Aug. *Deus meus, Deus meus, audebo dicere (pace tuâ dicam) in quodam extasis tripudio, de te præsumen-*

Psalm. 84.

Hieron. cap. 4. Ionæ.

Tanta est Dei misericordia, vt nisi ipse Deus esset, iniustus diceudus esset.

August. lib. 11. de visit. infir.

de

do dicam. Nisi quia Deus es, iniustus esses, quia peccauimus grauiter; inhæremus pertinaciter, peccato, gaudemus de peccato, & prædicamus peccatum, non abscondimus, & tu placatus es. Nos te prouocamus ad iram; tu nos ad misericordiam. Quam magna Dei misericordia!

Meritò igitur seuerissimè puniuntur misericordiæ contemptores. In iram acuitur misericordia, vt hac succedente, ipsa à contemptu vindicetur. Deo misericordia cordi est, vel illa qua nos proximorum miseremur, vel qua ipse nostri. Ex animaduersione in vnam, comperimus, quanti æstimet alteram: Deus desæuiet decretoria die, potissimùm in eos, qui ferreis induti visceribus proximorum miserias contempsêre, veluti violatores inditæ ab ipsa natura pietatis. Ideo nullorum criminum magis apparebunt rei, damnandi die suprema; quàm temeratæ misericordiæ. Vindicandum erit die illa in crudelia, ac sæua eorum viscera, qui non præbuerê cibum esurientibus, sitientibus potum negauerunt; & indumenta nudis. *Itaque cum visitabitur Ierusalem in lucernis.* Cum spiritus expositi ad lances expendentur, cum de quolibet verbulo reddenda ratio erit; tunc nullum fermè magis excutietur crimen, quam illud temeratæ humanitatis. Mundi negotia, & totius humanæ vitæ fabula, dura hac catastrophe claudenda est. In vltima scæna maledictio exhibebitur in misericordiæ violatores; Mundus tunc agnoscet quanti Deus misericordiam suam pendat. Ex hac actione constabit, quantum orbis totus, & cuncti in eo mortales, debuissent misericordiæ famulari.

Crudelia erga proximũ viscera fuere à Deo punienda.

Spirituum ponderator est Dominus.

Si tanta affirmantur de peccatore nõ fouente humanam misericordiam. Quid de eo, qui violat, & contemnit diuinam? Audiant hi sanctum Augustinum. *Magna est misericordia Domini, sed si nos abutamur patientiâ eius, ad nostram nequitiam, & illo nostra portante peccata, nos parui faciendo, eius onus augemus, peccatis cumulantes; quasi sarcinã.* Commodum ac peccator peccat; Misericordia Dei contemnitur. Christi Crux, patientia, fames, sitis, paupertas, flagella irridentur; cogita, quam ingens onus subit peccator. Meritò in illum inuehens Paulus ait. *Thesaurizas*

Aspernatores misericordiæ iræ sarcinam sustinebunt.
August. c. 4. hom. de oui. bus.

Thesaurus misericordiã contemnentium qualis.

rizas tibi iram in die iræ. Quæ verba sic illustrat Bernardus. *Thesaurizas tibi thesauros iræ, pro prærogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis; & euacuas in te misericordiam.* Deus descendens ad hominum miserascendum, cùm illos misericordiæ contemptores inuenit; exuens misericordiæ viscera, indignationis, & iræ induit. Sanctus Gregorius id accommodatissima similitudine expressit *Vt enim, qui paulatim arcum curuat, hosti tempus tribuit, vt fugiat; quod si imprudens fugere nolit, acriùs emissâ sagitta configetur. In arcu enim, quantò longius trahitur corda, tantò de eo districtior exigitur sagitta. Sic nimirum, sic extremi Iudicis dies, quantò longiùs differtur, vt veniat; tantò, cùm venerit de illo districtior sententia procedet.* Deus vt in prouerbio est, *laneos habet pedes; sed ferreas manus.* Tarditatem supplicij grauitate compensat. Concinit Augustinus lib. contra aduers. legis, & prophet. *Ille auget longanimitatem, & tu auges iniquitatem; erit illius thesaurus in sempiterna misericordiâ; sed in eos qui contempserunt misericordiam, suus thesaurus in ira.* Exemplo parturientis id comprobauit Isaias, *Tacui, semper silui, vt parturiens loquar*, quod ita Hieronymus exponit. *Diu vos delinquentes, sæpè portaui, sed quia ante tacueram, vltrò non reticebo? Et quomodò pariens in lucem posuit infantem, & apertum facit esse, quod priùs clausum in visceribus tenebatur. Sic ego dolorem meum, & dissimulationem, quam semper habui, super sceleribus vestris, nunc proferam, & dissipabo vestra consilia.* Misericordia in diuino sinu abscònsa prodit, versa in iram.

Rem. 2. Bern. de triplici misericordia.

Greg. l. 19. moral. c. 19. Pat ètia Dei eius postea seueritatem arguit.

Deo lanei pedes sed ferreæ manus. August.

Isai.

Hieron. Patientia Dei in parturientis dolores vertitur.

Cæterùm ex scelerum peruicaciâ, fermè fatigata misericordia discedit, hæc illa peccatorum meta, quam nequissimi peccatores attingentes, cogunt fermè abire misericordiam, vix aliquo sui relicto vestigio. Id etiam sub mensuræ metaphorâ ab Euangelistâ exprimitur, quâ adimpletâ, actum de peccatorum salute est. *Adimplete mensuram patrum vestrorum. Esse certum*, inquit S. Augustinus *peccatorum modum, atque mensuram Dei ipsius testimonio comprobatur; & quia vnusquisque celeriùs aut tardiùs prout suorum peccatorum modum expleuerit iudicetur, euidentissimè demonstratur, quòd exemplo manifestissimè instruimur, & docemur,*

Mensura, & cumulus peccatorum, Dei misericordia discedente.

Matth. 13. August. de vita Christiana c. 4.

cemur, singulos secundùm suorum peccatorum plenitudinem, consummari: Et tamdiu, vt conuertantur, sustineri, quamdiu cumulum suorum non habuerint consummatum delictorum. Id in colonis patuit, quorum scelera Patrisfamiliâs pietas diu sustinuit; ministri semel, ac iterum à misericordiosissimo parente missi, iniurias, lapides, ferrum sustinuerunt, supererat tamen adhuc aliquid ad scelerum cumulum *Verebuntur filium meum.* Voces misericordiæ plenissimæ, verum ex misericordia, gliscens agricolarum audacia, iniiciunt manus in hæredem filiumque. Impleta tunc mensura est. Deus vltor in illos. *Malos perdidit malè; & vineam suam aliis agricolis locauit.* Innuebat hoc amphora Zachariæ (quæ etiam & illa mensura erat) cum iniquitas in amphora suam firmauit sedem; tunc impletus scelerum cumulus est. Haud enim animaduertit Deus in Israëlitas Chaldæorum seruituti adiudicans tribus, nisi adimpleta scelerum mensura. Amphora occlusa plumbeo talento, indicauit iam consummata Iudæorum scelera; Vinea locatur aliis; ab illa eiecti plectuntur, ac vastantur coloni. Parricidiũ patratum in hæredem ac filium cumulauit scelera, non vltrò protendenda Ad rem nostram Cyrillus. *Quapropter Christus populo Iudæorum impotenti vesaniâ, ad quiduis nefarium ruenti;* inquit. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum; mensura igitur; quæ apparebat, peccatorum populi, in ipsum cumulatam multitudinem, ostendit.* Eodem Isaias allusit. *Populo graui iniquitate.* Plumea est, massa plumbea composita cum grauissimo peccati pondere; Cyrillus ad hunc Isaiæ locum ait. *Ad aliquod tempus & mensuram tulit Deus contemptum delinquentis. Cùm autem ad plenitudinem, & maturitatem peccati notam sibi, & perspectam iam pertigerit, supplicium irrogat.* Heù quam verum est: misericordia contempta, in iram, furoremque vertitur.

Plenitudo peccati acceleratio est diuinæ vindictæ. *Zachar.*

Cyril. hic.

CAPUT XII.

Malos malè perdet.

Veritatis Triumphus.

Labor in vinea impensus delectatione, & prouentu rependitur.

DIVRNVS, ac perpetuus agricolarum labor in vineæ culturâ impensus, quamuis, & voluptate interdum, & prouentu rependatur; vsque adeo tamen crescit, vt à sacris Auctoribus adagiali figura, ad ea significanda negotia vsurpetur, quæ inuoluta difficultatum tenebris, illis operantem, pœnæ implicant nodis suis. Sponsa sollicitudines mundi muliebris fastidiens, vt abiecisse illas familiaribus suis innueret, hac parœmia vsa est. *Vineam meam non custodiui.* Festiuè vineæ, & formæ suæ, curas miscet, cùm non minus laboris sit in vnius fœminæ vultus, capitis, ac totius corporis cultu, quam in plantanda, fodienda, fouenda vinea, culturæ. In prophanis auctoribus etiam reperio, aliquem huius prouerbialis figuræ vsum. Secordia in arduis negotiis hac parœmia notatur ab Horatio.

Sancius Isai. 5. putat hunc esse sensum litteralem. Vinea adagiali figura vsurpata pro negotiis.

Multa quidem facimus mala sæpè poëta.
Vt vineta egomet cædam mea.

Horatius l. 2. epist.

Ipsi sacri auctores nequissimæ Iudæorum genti fœdissimum ingratitudinis vitium, hac parœmia exprobrarunt Rex Hebræus ait. *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantâsti eam, dux fuisti in conspectu eius, plantâsti radices eius, & impleuit terram.* Cùm tot beneficiis diuinis ingratissima gens, multiplicatis sceleribus respondisset. Deus abiecta eorum cura, gentibus vastandam permisit, quam eleganter Vates sacer sub feri metaphora irrumpentis in vineam illustrauit. *Singularis ferus depastus est eam.* Id ille cantu suo sic expressit.

Exprobrata Iudæis beneficia sub deuastatæ sepis parœmia. Psalm. 79.

Nudatam solitis cur modò sepibus,
In prædam hospitibus, deseris hanc vagis?
Cur hanc sæuus aper proterit? alites

Carpunt

Carpunt. omnigenæ depopulant feræ,
O Rex omnipotens, obsecro iam redi
Tandem, & sydereo prospice de throno
Placatúsque tuam respice vineam,
Plantâras propriâ, quam tibi dexterâ.

Moyses post enumerata complurima præstita Iudæis beneficia, ingratitudinem illius gentis damnauit metaphora corruptæ vineæ labruscarum horrore; *Vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus.* Ad eundem sensum Ieremias. *Ego plantaui vineam electam; quomodo conuersa est in amaritudinem vitis aliena?* Eidem metaphoræ inhærens Christus Dominus arguere voluit ore suo, quod olim Prophetarum ore exprobrauerat; pulcherrimam vineæ parabolam adornat, quam elegantissimè protrahens, non modò promeritam ingratitudinis pœnam demonstrauit, sed adegit iudices, vt se verbis suis damnarent. Cæterùm reprehensione inualescente, aduertentes Pharisæi in se regesta tela, rati in colonos iaculata, rubore suffusi, irâ perciti, furore incitati, debacchantes, auctorem vitæ includere vinculis tentant. Verùm plebs deuota obsistens Pharisæorum vesaniæ, in Christi obsequium effusa, adorat, quem vt prophetam sanctissimum, & delapsum è cælo hominem habebant.

Deut. 18.
Ierem. 2.

Parabola viteę sapientia diuina accōmodata vt Pharisæi in se sententiam dicerent.

Væsania Pharisæorū & plebis cultus in Christum.

Cæterùm quòd Pharisæi in se stringant ferri sui aciem; in veritatis nobilissimum triumphum cedere affirmauit Chrysost. *Quod autem verum responderunt, non illorum, qui iustè iudicantur; sed ipsius causæ tribuendum. Veritas in ipsis violentiam fecit.* Concinit Chrysostomo Origenes. *Non,* ait, *illorum, qui iustè iudicarunt, sed ipsius causæ, est enim causa veritatis, quæ quasi violentiam illis facit, vt non possent eam celare.* Id totum illustrat pulcherrima similitudine. *Sicut sole in nubibus constituto, quod est dies, non est nubium permittentium, eum apparere super terram, sed virtus Solis, quæ transiens nubes; etiam impedientibus illis apparet; Sic iustè pronunciat Iudæorum non placata, sed opposita malignitas.* Elegantem hanc lucis, & veritatis analogiam, sacram etiam dicam, cum Regius Vates cantu suo sacrauerit. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Luculentissimo

Chrysost. hic.
Vis veritatis
Orgen.

Lucis, ac veritatis elegans proportio.

Psalm. 42.

 splendo

ſplendore nitet veritas, dum in conſpectu Numinis non offuſcatur tenebris, ſed clareſcit magis luce ſuâ. Parem Soli illam ex parte dicerem; Vtriuſque enim lumen, ſuper bonos, ac malos, ſuper iuſtos, ac iniuſtos inundat. Nulla in terris iniuſtitia reperitur, quæ ad adorandam veritatem, tandem ſupplex non accurrat. In ipſis Orcinis flammis, & inferorum tenebris, ſplendet veritas. Illa eſt, quæ ex damnatorum ore hæc verba extorſit. *Ergo errauimus à viâ veritatis, & Iuſtitiæ lumen non illuxit nobis. Nos inſenſati, vitam illorum exiſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.* Felicior tamen hoc ſolari globo Veritas, cum illi teſtis omni exceptione maior exhibetur. Ipſe Sol Iuſtitiæ è cælo deſcendit ad illius contextandum candorem. *Ad hoc veni in Mundum vt teſtimonium perhibeam veritati.* Adiice corpora, & quæ materia conſtant, Sole conſpicua eſſe. Animas, Spiritus, Deum ipſum, veritate. Radios ſolares cum pecoribus haurimus communes: Veritatem cum Angelis, & cum Deo. Igitur quantò mens oculis, tantò Veritas erit Sole nobilior.

Par ſoli, Veritas.

Etiam in inferis veritas agnoſcitur.

Sap. 5.

Veritas Sole felicior & cur.

Matth. 24.

Cæterùm lucem & veritatem non eâ ratione compoſui, vt vtriuſque mirarer claritatem, ſed quod ambæ, eminus viſæ conſpicientem delectant ſuâ pulchritudine; Cominùs pungunt ſuo aculeo. Phariſæi de longinquo aſpicientes abblandiebantur veritati: rati illam Agricolarum oculos impetere; cum ipſi vapulant, coruſcantibus radiis, excandeſcentes in Solem, tentant tenere, ac perimere ipſam lucem. *Cum audiſſent Principes ſacerdotum, & Phariſæi parabolam eius: Cognouerunt, quod de ipſis diceret, & quærentes ipſum tenere timuerunt turbam.* Egregiè in hos tenebriones, & nebulones inuehitur ſanctus Auguſtinus. *Amant veritatem lucentem; oderunt eam redarguentem?* Auguſtinianæ ſententiæ inhæret Bernardus mellitis verbis. *Multi enim, ſicut ait quidam à te illuminatus, amant veritatem lucentem, & non amant redarguentem. Iuſtitiam multi colunt affectu, à qua procul ſunt effectu; approbantes eam, & amantes in ea ſeipſos, non exercentes in ſeipſis.* Error ignorantiæ caligine obductus, hominem inuo

Cur veritas, & lux ſimul comparatæ.

Aug. l. 10. Confeſſ. c. 23.

Amatur veritas lucens, odio habetur pungens.

Bern. l. de natura, & dignitate amoris.

inuoluit densis tenebris. Sed tunc incipit ille minus flagitiosus esse, cùm veluti factis rimis, flagitia sua videt. Veritate enim illucescente decrescunt vitiorum vmbræ; Verum Pharisæi, qui luce vtebantur non ad sua, sed ad aliorum notanda flagitia, excæcantur magis, cum vident, & hauriunt à luce obscurissimam noctem.

Pharisæi hauriebant à luce obscurissimam noctem.

Igitur Christus, vt ostenderet fermè desperatam Pharisæorum salutem, cùm abhorrerent à veritate; *Cauete, ait, à Pharisæorum fermento quod est hypocrisis.* Alludens ad dubia responsa, quibus veritatem occulebant, veluti obductâ laruâ. Apud Iulium Pollucem describitur quoddam ludi genus; constans duplici lori ambigua circumactione; quorum si quis tenere in manibus vnum putat, alterum aduertit iam apprehendisse; Porrò adeò implicata erant hæc lora, vt explicatio nunquam certa; semper foret ambigua. In hoc ludo expressum vanissimum ingenium huius gentis apparebat.

Matth. 16. Pharisæorũ respõsa semper dubia, ac plena fraudum. Ludus apud Iulium Pollucem.

Fallaciis assueti; Mendacissimi; ne mendacij arguerentur, tegebant sua dicta verborum latebris. Vidit hunc fœdissimum Pharisæorum astum, quidam Regis Husitani familiaris; propè admirans hominum nequitiam, ait. *Quis est hic, qui inuoluit sententias sermonibus imperitis?* Tigurina vertit; *Quis est ille, qui sermonibus imperitis offundit tenebras consilio diuino.* Inhiantes vanitati humanæ; odio habebant lucem diuinam, vt deciperent miseros mortales, veritatem obumbrabant vulpinâ arte; in id hominum genus inuehitur Solon his versibus.

Iob 38.

Pharisæi vulpi similes.

Ad linguam aspicitis, & dulcia verba loquentis,
Quilibet ast vestrum, vulpis vestigia figit
Cunctis est vobis petulans mens.

Clem. Alex. lib. 1. Strom. Solon.

Quo fortassis faciunt etiam sacra verba. *Vulpes foueam habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Nequissimi Pharisæi, ceù vulpes signabant cæca vestigia, quæ figebant pede, caudâ delebant. In illorum responsis veluti cauernosâ rupe mille errabant latibula, mille occulebantur foueæ, vel tecta, vel detecta eorum dicta semper mendaciis oppleta,

Matth. illustratus ex Clemente.

nullus in illis dabatur locus, in quo reclinaret veritas. Scitè Clemens Alexand. post relata Solonis carmina, post suggillatos sophistarum vulpinos mores, subdit. *Hoc itaque significant vox illa salutaris. Vulpes foueas habent; filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Soli enim ei, vt arbitror, qui credit perfectè, distinctis ab iis bestiis, quæ dicta sunt à Scriptura, eorum quæ sunt, caput conquiescit; nempè benignum, & mansuetum verbum, qui comprehendit sapientes in astutiâ ipsorum. Dominus enim solus cognoscit disceptationem sapientum, quòd vana sunt. Sapientes, vtique Scriptura vocante sophistas, qui in dictionibus versantur, & artibus superfluis.*

Clem. Alex. l.1. Stromat.

Sed dum dedignatur veritas in illorum ore esse, qui studebant illam denigrare tot ambagibus. Ad illos transeo in quibus gaudet veritas spatiari, vbi nullæ latebræ, vbi foueæ nullæ, aut mendacij suspicio; in quibus omnia complanata, nitida, expansa; tales sunt Prædicatores Euangelici, quos sponsa hâc ratione, aureæ phialæ composuit. *Genæ tua, aureolæ aromatum, consita à pigmentariis.* Quod vertit Gregorius Nyssenus: *Maxilla ipsius phiala aromatis.* Phialæ ait ille, *species poculorum, patula. Per appellationem phialæ significatur, quæ ita confecta est, vt omnis concauitas, quasi furtim se subducat oculis, cum figura eius, non nimis profunda sit, neque se in rectum quasi resupinet, non accuratè concaua videantur, neque plana. De prædicatoribus subdens: Nam dicere possumus in prædicatione simplicitatis doctrinæ, quasi patula minimèque fraudulenta, mentionem phialæ factam esse.* Simplex igitur veritas, nitet in ore prædicatoris pulcherrima, horrens sophismata, paralogismos, laruata verba, quæ ad geminum sensum trahi possint, vt olim erant oracula, quæ dæmones promebant in medium, ad Pharisæorum ingenium, subdola, vana, fraudulenta.

Prædicatores Euangelici cur similes phialæ aureæ. Nyssenus in Cant. cap. 4. hora 14.

Pharisæi dæmonum imitatores in dandis responsis.

His fucatis ac commentitiis verbis, mirum quantùm vexatur veritas, quæ in simplicitate, ac Christiano candore, nedum pulchra, & casta Venus apparet, sed veluti Christiana Pallas, armata dimicat in hostes suos. Paulus cum Dæmonum ferociam ostendisset, subornat

Quo pacto veritas vexatur.

arma, quibus canere de tanto hoste triumphum possimus. Sæuitiam hostis his verbis exprimit. *Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersùs Principes, & potestates, aduersus Mundi rectores, tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus.* Terribilem ostentat se hæc Stygia acies, ex principatibus, potestatibus, Mundi rectoribus composita. Cum robustissimis, nequissimis, ferocissimis bellatoribus pugnandum est, pugna periculorum plena; dubio, ac discriminoso, congressu, cui non se æquiparabunt antiqua Hebræorum certamina; S. Hieronymus sic Paulum elegantissimè ad Ephesios loquentem inducit; *O Ephesij, quæ de prælijs Israëlis aduersùs Ægyptios, Idumæos, Ammonitas legitis scripta, sunt propter nos, vt intelligamus ex illis non esse nobis pugnā aduersùs carnem & sanguinem, sed aduersùs spirituales quasdam, & inuisibiles potestates.* Verba Apostoli mirâ arte composita; hostile robur; & conditiones expressere; Nam si inimici conditio quæritur, spiritus est; si species inuisibilis; si indoles, nequissima; Si potestas, Mundi Dominus; si locus, ab aëre, & à cælo. In tam validam, ac confertam aciem, impetendum erit valentissimis armis. Vicimus, si armati ad congressum imus; vicimur; si inermes. Egregiè Anselmus. *Accipite de manu Imperatoris summi arma fortia, vt possitis non cedere prædictis hostibus, sed resistere fortiter illis, in die malo; igitur in horâ tentationis, quando veluti diem prosperitatis arridere faciunt, offerendo delectationem peccati; vt possitis non subiacere, sed stare perfecti in omnibus virtutibus.* Sed quæ arma hæc quibus præcincti sustinere possimus valentissimum dæmonum impetum? Præcipua, & inuicta, quæ recensentur, à veritate desumenda sunt. Sic Chrysostomus. *Qui præcinctus erit veritate nunquam fatigabitur, vel si fatigatur, in veritatem hanc declinabit, vt conquiescat? Quid enim ipsum, dic quæso fatigabit? Paupertas? nequaquam, requiescet enim in veris diuitiis, & per paupertatem istam, cognoscet quæ sit vera paupertas. Sed seruitus ipsum fatigabit? nequaquam, nouit enim, quæ vera seruitus sit; idemque iudicium faciet*

Veritatis arma quam potentia. Paulus Ephes. 6.

S. Hieron. in hunc locū

Robur Dæmonum ac conditio expressa in verbis Apostoli.

Ansel. ibid. Armatis pugnandum in Dæmones.

Chrysost. in hunc locum.

ciet de ægritudine, fame, aliisque, quæ alios affligere solent.

Pugnat securus in Dæmones veritate præcinctus.

Pugnabit securus in dæmones veritate præcinctus; fauet illa nobis, vt olim fabuloso Antæo tellus. Afflicti, & concussi mortales, à veritate maiores animos, ac vires resument, propè aciem suam instaurantes. Fatigatus à Dæmone Christianus, se in illam reclinet; fortior ex illa surrecturus. Qui veritate armatus pugnat, Palladis palmâ pugnabit, nimirum luce ac splendore, quibus fusi tenebrarum rectores, denudati raptis spoliis celabunt se Stygiis flammis. Cæterùm Dæmon his armis exarmare nos tentat, factus mendacij pater. Nedum obscurare studet hominem suâ caligine; verùm totam hanc rerum molem in terram affligere veritate destitutam, fermè corpus accidente membrorum compagine; de illa hæc Paulus. *Veritatem autem facientes crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, ac connexum per omnem iuncturam subministrationis.* Quò enim pacto stabit societas humana oppleta mendaciis? Vbi fides? cui homo veluti statumini suo vitis innititur. Vbi mutuum, ac necessarium, viri ac mulieris, serui ac domini obsequium? Degenerabit in monstrum natura, veritate orbata. Viuet non homo, sed ossium dissidentium maceries; hanc naturæ deformitatem notauit variis exemplis Chrysostomus? *Non fallit oculus pedem, positis arundinibus, & terra opertis, vt in superficie prabeat oculis opinionem terra solida, an non vtitur pede, vt sciat, num sit inferius vacuum, aut remittatur, aut resistat? Num fallax pes, & quod est non renunciat? Quid verò si serpentem videat oculus, aut feram? num fallit pedem, vt non statim renunciet. Ille autem cum ab eo didicerit, non ampliùs pergit*; Prosequitur felicissimè ille de aliis sensibus. Veritate vincitur magis societas humana, quam corpus membrorum articulis. Quid aduersis, & in se pugnantibus membris, esset homo? talis etiam foret societas humana sine veritate. Perorat nobili Epiphonemate ille *Nos non mentiamur, quia sumus inuicem membra*; Adiice momenta salutis

Dæmon tentat nos denudare armis veritatis, vt cum nobis ruat tota mundi machina.

Paul. epist. ad Ephes.

Chrys. hom. 13. in epist. ad Ephes.

Magis veritate vtitur societas humana quam corpus membrorum articulis.

lutis

ntis nostræ ab ipsâ veritate dependere. Ad ægrum in summo vitæ discrimine positum accedat medicus, vbi manus committitur brachio, indicem suum admoueat, vt sentiat arteriarum pulsum, si erit ille fallax; quo pacto medicus ægritudini consulens, parabit medicamina infirmo? Natura, quâ verax in marcescentibus oculis, in pallido vultu, in arida lingua, in afflictis corporis membris morbum suum aperit. Ergo & veritati tribuendum quod æger è medicamine salutem suam hauriat. Non Orbis terrarum, non homo, nec vllum animal stabit sine veritate. Dæmon illam corrumpere tentauit, vt vnà, & tellurem, & animalia & hominem in ea perderet, vix erat productus à numine homo, illicò insinuauit ille mendacium, quo periret. *Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum*; Inde deprauata natura est; Vnde homo euasit vanus, & mendax ex Diabolo patre. Antiqua iniere fœdera vanitas, & mendacium; vidit hæc Rex Hebræus. Inde cecinit psalm. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quid enim vanitatem amat, mendacium inueniet.

Veritas conciliatrix salutis.

Genes. 3.

Verùm non tam commodis nostris tribuendum est, vt merita, & virtutes veritatis maligno silentio prætermittamus. Nobilissima est illa, veluti Regina, & virtutum omnium parens. Nulli dat manus, quæ est omnium domina; Clemens Alexand. *Cùm sit singularis veritas, qua in Græco apparet philosophia, quæ verè quidem est veritas, quomodò Sol illuminans colores, & album, & nigrum ostendit, qualis sit vnusquisque eorum; sic illa refellit omnis sermonis probabilitatem, meritò, & à Græcis etiam acclamatum est. Principium magnæ virtutis est Regina veritas:* Cuius maiestati accedunt prolixa liberalitate, impensa nobis beneficia. A luce habent colores, quòd videantur, à veritate habet rectum, quòd intelligatur, quòd ametur bonum. Iustissima hæc Regina, iubet vt soluat; ac puniatur quod olim rapuit mendacium meritissima pœnâ. Illi tempora præstò adsunt, fermè apparitores, vt mendacium puniatur supplicio quo à Iustissimâ Reginâ damnatur. Affirmat Tertullianus. *Veritatem nemo præscribere potest,*

Veritas nobilissima, & Regina

Clem. Alex. Strom. c. 6.

Tertull. de Virg. vilan.

Vv

test, non spatium temporis, non patrocinia personarum, non priuilegiorum. Quamuis, & homo, & tempora in illam armentur, semper veritas triumphabit. Superabit tempora, quæ æterna est, & è cælo descendit. Regina sine satellitio potens, sine acie pugnans, perpetuò victrix. Ipsa se sola; potentissima, in phalanges inimicorum irrumpet. Rectè Lactantius Firmianus. *Seipsam veritas illustrat suo lumine.* Et alibi idem. *Veritatis tanta vis est, vt nemo possit esse tam cæcus, qui non videat ingerentem se oculis diuinam claritatem.* Hæc Regina innocentes absoluit, damnat noxios. Nazianzenus. *Quid verò mea interest, qui veritatem magis curo? immo solum verum. Hoc enim vel me condemnauerit, vel absoluerit; hoc miserum, vel beatum reddiderit: At quod aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum vel alienum somnium.* Cum iudicat, peccare haud potest, cum (vt ait August.) *Nullus qui de illa iudicatur, sine illa iudicat benè.* Officiosa omnibus; Nullum inuenies de illa conquerentem. *Nullo loco est*, ait Augustinus. *Sed nusquam deest: foris admonet, intus docet, cernentes se. Commutat omnes in melius: à nullo in deterius commutatur.* Accedit potentiæ etiam pulchritudo cum cuiuslibet prolata ore, splendet. Describitur à Regio Vate Christus aduenien in terras, armis præcinctus, triumphali curru vectus, aurigante illum Veritate, Mansuetudine, Iustitiâ; his vectoribus, ad Capitolium summi honoris ascendens. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime; Specie tua, & pulchritudine tua intende prosperè, procede, & regna; propter Veritatem, & Mansuetudinem, & Iustitiam, deducet te mirabiliter dextera tua.* Quod ille sic versu suo cecinit.

Lactantius Firmianus l. 1. diuinarum institut.

August. in Psalm. 30.

August.

Psalm. 44. Pulchra, & potens veritas in ore Christi.

Ergo armis inuicte heros age fortibus, apta
Ensem humeris, ensem per quem te gloria cælo
Æquat, & aduersum fidens fer pectus in hostem
Frena tibi currus, verum moderatur, & æquum,
Et quæ præcipitem clementia temperat iram.
His ducibus, tibi surget honos, tua dextera factis
Clara per ignotas fundat miracula terras.

In

In ore Concionatoris Euangelici, etiam veritas halat suauissimum odorem. Quò allusit Sponsa, genas prædicatoribus comparans. *Genæ tuæ aureolæ aromatum. Non ex vllâ terrenâ materiâ confectâ*, subdit Nyssenus. *Sed ex aromate, illo inquam aromate, quod excellere omnia aromata; carminis huius initio Sponsa dixit.* Talem fecisse Paulum pluribus adstruit Gregorius Nyssenus, ipsum consulat lector.

Veritas in ore Concionatorum halat odorem. Nyssenus.

Tandem in ore Præsulis veritas tanquam magistra in cathedrâ sedens, docet eruditissimè. De sancto Ambrosio Theodosius ait: *Vix inueni veritatis magistrum; Ambrosium solum inueni; qui dignus sit vocari Pontifex.* Turpe foret in purissimo Principis ore, à quò deriuanda veritas, si ibi emergeret mendacium; In Dæmonis ore hoc monstrum natum, ille tam turpis prolis turpissimus parens. Augustinus, *Mendaces* dixit *Diaboli membra.* Præsules, veritatis professores, non modò adstruunt illam, sed refellunt impugnantes. Ethnicis aliquot veritatis arcana, attingentibus difficultates obduxere pulcherrimos eius vultus, auferentes dulcissimum Reginæ alloquium. Lactantius ait. *Totam igitur veritatem, & omne diuinæ religionis arcanum Philosophi attigerunt, sed aliis refellentibus defendere, id quod inuenerunt, nequierunt, quia singulis ratio non quadrauit, adyta pulsarunt, sed non adierunt.* Allusio est ad homines pulsantes fores, haud tamen domum intrantes. Pastorum munus est, difficultatibus solutis, reseratis doctrinæ claustris, ad conspectum deuotæ plebis exhibere speciosissimam Veritatem, nobilem, & pulchram, potentem, firmantem fidem, augentem charitatem, componentem mores, in morte ac in vitâ nobis patrocinantem. Finio cum Bernardo. *Necessaria planè, & insuperabilis protectio veritatis: Non modò interim in carne degenti; sed postmodum exeunti, & nunc quidem, ob periculosos conflictus, tunc verò ob monstruosos conflictus, & occursus Spirituum malignorum. Felix anima, quæ sic interrita tentationum iacula scuto veritatis repulerit, vt nihil prorsus venenatum in se coalescere passa,*

Namus in ser. D. Ambr. Veritas in ore præsulû assidet vt magistra.

Aug. de mendacio ad Crescentium

Lactant. l. 7. cap. 7.

Pastorû munus in prædicanda veritate.

Bern. serm. 7 in Psal. 90.

Veritas, & in morte, & in vita nobis patrocinatur.

passa , omnino non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta. Felix quam sic circumdat Clypeus veritatis , vt introitum quoque , & exitum custodiat. Exitum vtique ab hâc vitâ , introitum in futuram , quò videlicet non moliatur à tergo , nec à facie mali quidquam inimicus attentet.

LIBER

LIBER SEXTVS
VINEA CHRISTI,
Illuſtrata ex Patribus.

LIBER SEXTVS.

APPENDIX EX PATRIBVS,

ILLVSTRANS PARABOLAM.

Homo quidam erat Paterfamiliâs, qui plantauit vineam, & ſepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus eſt.

Rupert. Abbas Tuitienſis, de diuinis officÿs, lib.4. cap.15.

Euangelÿ & epiſt. huius feriæ congruentia, & ſenſus.

FERIA ſexta ſecundæ hebdomadæ legitur illa parabola, quam dixit Dominus ad Phariſæos malos, & malè perdendos diuinæ legis agricolas, eò quòd miſſum à ſe vnicum filium patrisfamiliâs, id eſt ſeipſum, quem vereri debuerant, occidere deliberabant, dicentes: *Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & noſtra erit hæreditas*, quibus idcircò auferendum erat regnum Dei, & dandum genti facienti fructus eius. Huic parabolæ, profecto

fœminiter plorans, clementer imbre suo rorat, conceptáque musti felicibus lachrymis fluenta denunciat. Statim oculis apertis folia radiata procedunt; quibus subiecti, ac se commendantes fructus arrident; quos Solis ardores, pluuiæ vndíque exercendo prouehunt, ad maturitatémque perducunt. At vbi vindemiæ venerit tempus, decore dissipato, statim vua detrahitur, in torculari que operariorum pedibus subiecta calcatur, prelo premitur, duabúsque tabulis vehementer vrgetur, donec omnis dulcedo medullitùs exigatur, sicque pretiosum fluentum à suis calcatoribus, & bibitur, & Patrisfamiliâs cellis vinariis infertur, vt meliùs veterascendo reddatur. Quantùm spiritaliter mediocritas nostra coniicere potest, computatus ad mensuram palmes competens intelligitur, legitimo examinis numero examinatus. Scrobem, fontem sacrum debemus accipere, qui vero sacramento homines suscipit mortuos, & inspiratos aquâ cælesti, mox efficit viuos. Lignum auxiliare, quò tenditur, vel portatur, Crucis est Dominicæ signum, sine quo viuere, immortalitatémque apprehendere in toto non potest Christianus. Quod tabulatis infertur, cælestis viæ, vitæque altitudo monstratur. Ligaturis adstringitur, cum renuncians sæculo, sponsione facta spiritaliter sacris interrogationibus obligatur. Luxuriosi crines falce tonduntur, id est, omnia omninò peccata baptismate, Spiritúsque sancti vigore amputantur. Plorat feliciter vitis purgata materia: de homine loto felicius manant doctrinæ cælestis diuina fluenta. Ruptis oculis igitur spiritaliter patefactis, præcedentibus foliis, fructus sequela sese commendat; similiter Christianus monitus diuinis præceptis obsecundando, in quibus æternæ fructus est vitæ, & defenditur pariter, & nutritur. Ad iugum peruenit, cùm prærogata omni facultate pauperibus, crucem suam portans, consummata omni iustitia expeditior sequitur Christum. Vi tempestatis Solis, atque imbris ad maturitatem cogitur; & iustus tentationibus crebris, magnis, ac variis perducitur ad coronam. At vbi vindemiæ venerit tempus, id est, persecutionis dies, passim vuæ diripiuntur, id est, inconsiderate sanctis omnibus violenta infertur.

Vinea, & eius significatio mystica.

Quæ ad speciem nos instar vi deuntur, operum fructus elidiunt.

tur manus; ad torcular comportantur, id est, ad supplicij locum deducuntur; ab operariis ibidem conculcantur, hoc est summa cum contumelia à persecutoribus illusi iugulantur. Succus eatum in vltimo preli pondere, duabúsque tabulis exiccatur; similiter iudicij die à Christo secundùm tabulas legis, confessorum sanguinis vindicta vsque ad vltimum quadrantem exigitur. Calcatores de eodem musto bibunt; & persecutores sæpè credentes in Christum Calicem pretiosum, quem paulo ante calcando fuderant, gustant, aliqui etiam bibunt. Mustum, Patrisfamilias cella reconditur, vt pretiosius transfretatione reddatur. Et Martyr Dominicæ habitationis in recondita assumitur, vt ibidem ex homine in Angelum transfusus, æternæ vitæ beatitudine glorietur.

Philo Carpathiorum Episcop. in cap. 2. Cantic. exponens illud. Vineæ florentes dederunt odorem suum.

Ecclesia est vinea odorem spirans, & fructificans.

HInc comparare licet vineis sponsam Ecclesiam, quæ quidem per saluberrimæ doctrinæ sanctitatem, & rectæ fidei opera per totum Orbem, virtutum omnium odores suauissimè spirârunt. Sanctæ enim Ecclesiæ, & quæque fideles animæ, non modò sibi vtiles sunt, & profuturæ (vitæ rectitudine, ac morte) verum etiam aliis sanctissimis exemplis, & salutari Christianæ doctrinæ verbo ad Christum ire adhortantur, & monent: sicque, & vineam cui animi iustis manibus excolunt, & suauissimo florum sanctissimæ vitæ odore proximos delectant, ac pascunt.

Idem exponens illud Cantic. 1. Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.

Dilecta Deo anima vineā suam sedulo custodit.

SEd quod sponsa cuiusque Dei dilecti anima; numquid vineam suam non custodit? non excolit, non feracem reddit,

reddit, vt possit aliquando veniente Domino liquoris aliquid suæ deuotionis offerre? Nemo dilectus vineam Domini aspernatur, ac deserit; sed Iudæam intellige, de qua & paulò post dicemus; nunc verò ad sponsam, siue matrem, quæ sic narrat. ***Posuerunt me custodem in vinea.*** De hac sæpè in sacris literis scriptum legimus; vt illud Euangelium de non reddẽtibus fructus missis à Deo seruis. Veniet Dominus vineæ, ***& malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent fructum in tempore suo.*** Quod & Dominus confirmat, cum ait ad illos: ***auferetur à vobis regnum Dei,*** (de hac noua sponsa recordatus, quam nunc in Cãticis alloquitur,) ***& dabitur genti facienti fructus suos.*** Hæc ab Apostolis posita est custos in vinea; hoc est, in frugifero campo fidei. Nam & Iudæorum Synagoga idem confessa fuerat, sed nostra ab illis veniens, in sanctam Ecclesiam, de hac ipsa sic loquitur, ***& vineam meam non custodiui:*** hoc est mandata legis meæ non seruaui, vt per confessionem delictorum veniam consequatur.

Apon. lib. 1. *Comm. in Cantic. circa finem, exponens illud Cantic.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, &c. *Reddit rationem quam ob causam à filiis suæ matris impugnetur: quoniam inuenta meliore, traditam sibi custodiam vineæ suæ dereliquit.*

QVicumque ergo verbo sapientiæ cuiuslibet Philosophiæ fuerit eruditus, qui à populo libenter auditur, vel cui docendi potestas; custos vineæ intelligitur. Vineam autem populum appellari, vel gentem, in multis Scripturæ diuinæ locis reperies, vt illud in Propheta: Vineam ex Ægypto transtulisti; & in Isaia, ***Vinea Domini Sabaoth domus Israël est,*** & in Ieremia genti Hebrææ improperat Deus: ***Ego,*** inquit, ***plantaui te vineam meam, quomodo conuersa***

Philosophi gentiles relictâ verâ doctrina, custodes Dominicæ vineæ fuerunt.

versa es in amaritudinem vitis aliena? Sed hic cum distinctione, suam; non Domini, vineam se disercuisse ait. Quorum quisquis relictâ tali vineâ suâ in Christi vineam venerit, & in eâ sanissimis sermonibus, & vitæ sanctæ exemplo culturam impenderit, hunc persequuntur, contra hunc pugnant huius generis homines; cuius vox inducitur: *Fily matris meæ pugnauerunt contra me.* Sicut de magno viro Iustino philosopho historia refert, qui ex sua vanissima, ad veram philosophiam Christi, dum conuertitur, & quosdam filios matris philosophos redarguit blasphemantes, callidè in secreto vocatus ab eis magistris interfectus est. Conuenit autem armatum custodem antiquis sapientiæ armis, cum quibus propriam vineam custodiebat, ad Domini vineam tranſmigrare, quatenus resonante vineæ immaculatæ flagello, & splendente sermonis iaculo illæsam possit omni parte, rectæ fidei vineam custodire. Duplicia quippe sapientiæ arma custodi vineæ necessaria sunt, huic præcipere, qui suam diruit, & ad Domini vineam conuersus transiuit, & sanctæ scilicet conuersationis exempla, & sanæ doctrinæ sermones.

Etiam philia armis custodienda Ecclesia vinea.

S. Bernardus serm. 33. in Cantic.

VIro sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia; nihil quippe incultum, desertúmve in se sapiens derelinquat. Stultus non ita, cuncta apud eum neglecta inuenies, cuncta iacentia, inculta, & sordida. Non est vinea stulto. Quomodo vinea, vbi nihil plantatum, nihil elaboratum vspiam patet? tota spinis sylueſcit, & tribulis; stulti vita & vinea est? & si iam fuit, iam non est, redacta in solitudinem. Vbi vitis virtutis? vbi botrus boni operis? vbi vinum lætitiæ spiritualis. Denique non potest vinea esse, vbi vita non est. Soli itaque conuenit sapienti habere, vel potius esse vineam, qui vitam habet, hoc quippe est illi vinea, quod vita. Et bona vinea iusti, immò bona vinea iustus, cui virtus vitis, cui actio palmes, in vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis.

Idem

Idem serm. 30. in Cantic.

VÆ vineæ meæ, quia, nec sepem circundare, nec torcular fodere in ea licet. Heu destructa est maceria eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Patet exposita tristitiæ, iracundiæ, atque impatientiæ peruia. Demoliuntur eam sedulæ quædam vulpeculæ instantium necessitatum, irrumpunt vndique anxietates, suspiciones, sollicitudines. Turbæ discordantium, causarum molestiæ, rara hora desunt. Non est prohibendi facultas, non copia declinandi, sed nec orandi spatium. Quo imbre lachrymarum perfundere sufficiam sterilitatem animæ meæ? Vineæ volui dicere, sed de psalmo sic incidit propter vsum, & idem est.

S. Basilius Magnus Comment. in cap. 16. Isaiæ, pagina mihi 754.

DIcitur quædam vinea, sicuti est Sodomorum, & Gomorrhæ, & hæc seorsum ab aliis disparata est vinea, eóque scriptum est: *Quia de vinea Sodomorum vinea eorum, & palmes ipsorum de Gomorrha.* Haud secus habet Ægyptiorum vinea, quam illidit, & proculcat Deus, iuxta illud dictum: *Et occidit in grandine vineam eorum, & moros eorum in pruina.* Ex diuerso est & vinea, quam plantauit Dominus, iuxta illud: *Cantabo dilecto canticum amabilis, ipsi vineæ. Vinea facta est dilecto in cornu, in loco vberi.* Rursus dicta est vinea regnum Dei, quemadmodum expressit Dominus inducta parabola agricolarum, qui quidem in se curam exceperant colendæ vineæ, fructus verò minimè reddebant. *Auferetur enim à vobis regnum cælorum, & dabitur genti facienti fructus eius.* Ac si diceret, diuina eloquia à vobis auferentur, lex nimirum, & prophetæ, quia vitam vestram minimè instituistis ad eorum præscripta, & consilium, eorúmque sensus, & intelligentiæ dabuntur genti, quæ piè suam instituendo vitam, faciat fructus eius. Quapropter hic vinea dicitur, fructus veritatis, perinde, ac vinea

Fructus veritatis in vinea designatus.

nea Ægypti sermo est mendacij, qui peculiariter versatur inter Ægyptios à principe Mundi tenebrarum harum eis traditus ad exercendam suam agricolationem. Vinea item in Sodomis plantata, quæ per flagitiosam vitæ assuefactionem labore multo excolitur ab improbis, qui quidem condignam suis flagitiis accepturi mercedem, suas operas locant diabolo. Hi igitur, quæ illius sunt edocti, & à se repudiatis dogmatibus legis dominicæ, ab radice se auulserant, & à veraci vinea Dei, qui dixit: *Ego sum vitis vera.* E Sodomis autem & Gomorrha suum adduxerunt palmitem, siue malleolum, quo fit vt ex sua agricolatione proferant vuam fellis, & botrum amaritudinis.

S. Bernardus Senensis tom. 3. serm. 15. in feria sexta post Dominicam 2. Quadragesimæ.

Anima dum à Deo creata est vinea, qua planta.

IN hac parabola; primò ponitur sollicita benignitas Christi erga animam, quæ apparet in creatione, quia homo quidam plantauit vineam, per vineam anima, per hominem quemdam, Deus intelligitur, qui animam plantauit, quando eam ad suam imaginem creauit: Secundò, apparet in eius protectione, quia sepem circundedit ei; per sepem intelligitur lex diuina, quâ anima humana stat circundata, & defensa: Tertiò apparet Christi benignitas in animæ significatione, quia ædificauit in ea turrim; Per turrim intelligitur ratio: quæ more turris altius eminet; & longius apparet, inde homo per lumina respicere valet: Quartò, prædicta benignitas apparet in eius exemptione, quia fodit in ea torcular; per torcular voluntas libera, in qua generatur affectio, & inde exit omnis bona, & mala operatio. Secundò ponitur animæ peruersa malignitas, cùm tempus fructuum venit: tunc aduenit tempus fructuum, quando homo est in ætate ad benè operandum, & tunc quærit Deus fructum de ista vinea. Sed ecce malignitas eius; quia Deus mittit nuncios, id est, naturales ratiocinationes, quando ratio indicat, & dictat benè agere: sed homo verberat istos nuncios, quando ipsam naturalem cogitationem occultat. Ad hæc mittit Deus alios nuncios, id

Tempus fructuum, est ætas ad benè operandum.

id eſt, occultas inſpirationes, & iſtos occidit, quando bonos cogitatus non ſolùm non ſequitur, ſed interimit. Adhuc Deus mittit alios nuncios, ſcilicèt monita Sanctorum, verba Prædicatorum. Sed iſtos lapidibus opprimit, quando non obedit, ſed etiam contradicit. Ad vltimum mittit filium proprium, qui vita, & doctrina debet venerari, & imitari; ſed peruerſa malignitas ipſum extra proiicit, & quantùm in ſe eſt ipſum occidit, cùm non ſibi; ſed ſuo inimico diabolo obedit. Tertiò, ponitur rigida æquitas, quia malos malè perdet, ſic facientes, gratiam ſuam tribuet iis, qui de ea fructum reddent. Qui ergo ceciderit ſuper hunc lapidem confringetur, id eſt, quicunque credens in Chriſtum peccauerit, damnabitur; ſuper quem verò ceciderit, comminuet eum, id eſt, quem fidelem inuenerit, ſimiliter ipſum iudicabit.

S. Auguſt. de verbis Domini in Euangel. Ioan. ſerm. 59. tom. 10. pag. mihi 80.

DOminus dicit in Euangelio; *Ego ſum vitis, vos eſtis ſarmenta, pater meus agricola.* Si ergo Pater Deus agricola eſt, habet agrum, & colet agrum ſuum, & expectat inde fructum. Denique plantauit vineam, ficut ipſe Dominus Ieſus Chriſtus dicit; *Et locauit eam agricolis, qui redderent ei fructum.* Plantata eſt vinea, lege data in cordibus Iudæorum. Miſſi ſunt Prophetæ quærentes fructum, bonam vitam eorum. Prophetæ ab eis contumeliis affecti, & occiſi ſunt. Miſſus eſt & Chriſtus vnicus filius patrisfamiliâs, & ipſum occiderunt hæredem, & ideò perdiderunt hæreditatem. In contrarium eis vertit malum conſilium; vt poſſiderent, occiderunt, & quia occiderunt, perdiderunt.

Deus legem dando plantauit vineā.

Idem lib. 2. contra aduerſarium legis & prophet. cap. 4. tom. 6. pagina mihi 260.

ET primitus in gente Iudæorum vineam Dei plantatam, miſsóſque Prophetas ante ipſius Saluatoris aduentum,

Obſeruantes legem diuinam, regnum Dei acquiſiuerunt.

uentum, parabola ista testatur. Et cum dicit, *auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius*; quod regnum dicit, nisi quod sperabant, non quod acceperant, id est, vitæ æternæ? Vnde alibi dicit: *Scrutamini scripturas, in quibus putatis vitam æternam habere, ipsa testimonium perhibent de me.*

S. Bonauent. Diætæ salutis titul. 2. cap. 7. opusc. tom. 6.

In vinea sua Deus diuites tolerat.

SIcut agricola tolerat in vinea aliquas infructuosas arbores, quæ sustinent vites: sic summus agricola Deus, in vinea sua, scilicet in Ecclesia tolerat multos diuites, qui cum eorum eleemosyna sustinent pauperes; vnde dicitur, *vineam pastinauit homo*: in vinea siquidem, non solum sunt vites, quæ fructificant, immò, & paxilli aridi: sic & in Ecclesia Dei sunt peccatores, & iniusti, qui vites fructificantes, id est, iustos viros suis eleemosynis sustentant.

Idem in exposit. in cap. 20. Lucæ.

Deus plantauit vineam in Synagoga.

PEr hominem iustum, qui plantauit vineam, Deus intelligitur, ad cuius imaginem homo est formatus: *Faciamus hominem ad imaginem, &c.* Vinea autem ista est Synagoga. *Vinea Domini exercituum domus Israël est.* Hanc vineam Dominus plantauit, quando in Patriarchis eos ad culturam suam elegit; propter quod Ieremias 2. *Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum.* De istius vineæ plantatione *Isaias* 5. *Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei, & sepiuit eam, & lapides elegit ex ea, & plantauit vineam electam, & ædificauit turrim in medio eius.*

Victor Antiochenus in cap. 12. Marci.

Iudæorum perfidia, etiã in Deum sæuientium.

PArabola hæc indicat Iudæos non solùm in Ioannem, cæterósque Prophetas ingratos extitisse, verùm in ipsum etiam Dominum. Etenim à seruis sæuitiam exorsi,

ad Dominum ipsum sæuiendo progressi sunt. Quare etiam iure optimo proscriptionem illis vaticinatur. Vineæ autem nomine Israëlem designat, (hinc enim apud Isaiam dilectam vineam appellat,) per patrem verò familiâs Deum.

S. Pater Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 1. Comment. in Euangel. tom. 1. Bibliothec. SS. PP.

HOmo erat Paterfamiliâs, id est, Deus omnipotens plantauit domum Israël: turrem verò legem dedit; locum templum, coloni autem Iudæi sunt: seps fides est; seruos occisos Prophetas, alios postea missos Apostolos dicit, ex quibus vnum decollauerunt Ioannem. Nouissimè filium suum misit, scilicèt Christum, quem occidisse noscuntur. *Populus Israëliticus Vinea Dei.*

Beatus Theodoretus Studita serm. Catechumen. 20. tom. 1. Bibliotheca.

ET nos tropicè Dei vinea vocamur; an non hoc intelleximus omnes: *respice de cælo, & vide, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua.* Domini quoque in Euangelio hæc sunt verba: *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Itaque maneamus fratres in benigno hero nostro, ceu ab eo quædam quasi vites consiti, eique virtutem tanquam botros fructificemus, quo felicitemur.

S. Anton. de Padua in Quadragesimali, fer. 6. post Dominicam 2. Quadragesimæ.

VInea ista est homo, vel anima; in duobus consistit similitudo: in conditione status, & in productione fructus. In conditione status, quia sicut vinea indiget cura multa, si debeat fructum facere; sic homo; & vide quod *Homo in quo sit vineæ similis.*

non sic bestia cadit à naturâ suâ, sicut homo. Isai 5. *Auferam sepem eius, & erit in direptionem.* Vinea non fructifera, ad nihil valet, nisi ad comburendum; & homo Deo non fructificans, nihil aliud valet, nisi vt fiat esca ignis, non sic de aliis bestiis, quia de serpente saltem fit theriaca. Nota similitudinem, ratione fructûs, quando vinea est benè culta, nullius arboris cultus potest ei adæquari, sic nec hominis benè culti fructibus. Hanc vineam Deus plantauit in loco vberi, quia in loco delitiarum, sed inde euulsa per Dæmonem, transplantata est in Ægyptum peccati. Hanc vineam Deus vallauit muro, & antemurali, quod est temperantia, siue modestia, ad ipsam namque pertinet primos insultus reprimere, ne faciliter hanc vineam lupus ingrediatur. Et quia interdum modestia ipsam tutari non potest, post ipsam positus est murus fortitudinis, qui frangi non possit, non fortitudinis corporalis, quæ habetur à bestiis, sed mentis, quæ non concutitur ex aduersis.

Anima vineã Dæmon euellit.

Idem ibidem circa finem.

Ecclesiæ cum vinea comparatio.

VEl potest dici, quòd vinea est Ecclesia Catholica, quam Deus singulariter plantauit, *Psalm. 79. plantasti radices eius, & impleuit terram.* Murus est robur, & magnitudo potentiæ. Torcular est cursus mercationum, de quo exprimitur vinum delitiarum, & multarum commoditatum. Prouerb. 7. *Vino torcularia redundabunt.* Turris est celebritas, quia est vndique diuulgata. 1. Paralipom. 14. *Diuulgatum nomen eius in vniuersis regionibus.* Muri eius fiunt de peccatis; Turris superbia, & hæc turris confusionis; vbi confusum labium; ex hac superbia, qua vnusquisque vult alteri præesse, confusa est lingua. Vnus enim loquitur de oppressione proximi, alius de vsuris, alius de falsis contractibus; Imò, &c. verè confusum est labium; quia vnus alium intelligere non potest. Dicant, & narrent hi, qui vadunt ad curias, vbi causæ proponuntur. Torcular est violentia, quæ pauperibus infertur, vbi premitur sanguis viduarum, pauperum, & pupillorum. Torcular crudelitates, & odia quando fiunt indebitè super innocentes,

centes, imò in hoc torculari calcatur miserabilis communitas.

Richardus à sancto Laurentio de Laudibus B. Mariæ lib. 11.

MAria est vinea, in qua inuenitur omne genus bonæ vitis. *Ibi vitis vino suo lætificans Deum, & homines.* Iudic. 9 *Vinea Engaddi.* Cantic. 1. *Vinea putata* Cantic. 2. *Vinea florens, & odorifera.* Cantic. 2. *Vinea pacifica* Cant. 8. *Vinea dilecti,* Isai. 5. *Vinea electa, seu vinea Sorecht.* Ierem. 2. *Vinea, sub qua securè quiescit.* 3. Reg. 4. & Mich. 4. *Vinea crescens ex aquis multis.* Ezech. 19. *Vinea plantata in montibus Samariæ,* id est, in eminentia Ecclesiæ, Ierem. 31. *Vinea plantata dextera Dei Patris,* Psalm 79. *Vinea pastinata,* Marci 12. *Vinea habens sepem, torcular, & turrim,* Matth. 21. *Maria vinea omnigena vite bona plantata.*

Idem lib. 12. *pagina mihi* 733.

MAtth. ait, Plantauit vineam, *Marcus* 12. Vineam pastinauit homo. Pastinare dicitur à pastu, & est idem quod impinguare; quia Christus matrem suam impinguauit pinguedine gratiarum charitatis, & deuotionis, & omni generalitate charismatum. Vnde ipsa dicit filio quicquid habet boni ei attribuens; Psalm. 22. *Impinguasti in oleo misericordiæ caput meum,* id est, mentem, vel humilitatem meam, quæ est caput virtutum mearum, & cuius merito cumulata sum omni bono. *Maria vinea fuit à Christo pastinata.*

Idem lib. eodem pagina 932.

HÆc vinea pastinabatur singulorum charismatum impinguatione, vnde dicitur Christo, *Psalm.* 64. *Inebriasti, & multiplicasti, locupletare eam,* id est multipliciter locupletata est. Marci 12. *Vineam pastinauit homo, &c.* *Id est, impinguata charismatibus.*

Bernardinus Busti in suo Mariali, nona parte principali serm. 1. Assimilatione 12. lit. X. pagina mihi 239. col. 3. & seqq.

Maria viti comparata.

BEatam Virginem in multis viti comparat in praecedentibus, tum subdit De ista etiam vite potest exponi illud, quod dicitur Iudic. 9. vbi in parabola recitatur, quod ierunt ligna, vt vngerent supra se Regem, & dixerunt ficui, oliuæ, & viti, vt eis imperarent. Quæ consentire noluerunt; respondit enim ficus, quòd nolebat deserere de dulcedine suâ; oliua verò quòd nolebat deserere pinguedinem suam: vitis autem inquit, quod nolebat deserere suam iucunditatem. Per ista enim tria, scilicet ficum, oliuam, & vitem, intelligitur B. Virgo, quæ dicitur ficus propter dulcedinem suæ pietatis, & misericordiæ; oliua propter pinguedinem spiritualis gratiæ; vitis propter lætitiam iucunditatis internæ. Ligna syluarum fuerunt Iudæi duri, & inflexibiles, ac syluestres, qui libentius voluissent, quod B. Virgo fuisset princeps suæ Synagogæ, quàm Christi Ecclesiæ. Et ideò dixerunt ei, *Veni, impera nobis*; id est, veni, & relinquas Christum tuum, & sis Domina Synagogæ nostræ. Sed ipsa Domina renuit, quia si hoc fecisset, amisisset dulcedinem suæ pietatis, & pinguedinem gratiæ spiritualis, & lætitiam internæ iucunditatis. Propter quod pater suus Dauid per multos annos antequam nasceretur, eam admonuit, vt synagogam omnino dimitteret, & Christo Regi filio suo semper adhæreret, dicens Psalm 44. *Audi filia, & vide, inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui; & concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* O igitur Virgo Beatissima, quantum nos Christo obligati sumus, quæ vitis illa fuisti, quæ illud dulcissimum vinum protulit, quòd lætificat Deum, & homines Iudic. 9. De qua vite nunquam verificatum est illud Isaiæ 24. *Infirmata est vitis* Nec illud Ierem. 8. *Non est vua in vitibus.* Tu enim nunquam infirmata es per peccatum, & semper plena fuisti vuis virtutum. Beatus igitur ille, de quo dici poterit illud Genes. 40. *Ligans*

Maria renuit principatum Synagogæ sibi oblatum.

Vitis mystica est Maria, sub qua quiescendum nobis est.

gans ad vitem asinum suum, id est, carnem suam ad imitandam castitatem B. Virginis adstringens. Beati omnes nos si de vnoquoque nostrûm dici poterit illud 3. Reg. 4. & 1. Machab. 14. *Vnusquisque sedit sub vite sua.* O requies suauissima, sub hac diuina vite requiescere, & de dulcissimo illius fructu capere, & comedere! Non solùm hæc benedicta Virgo dicitur vitis, sed etiam vinea Dei electa, quam ipse plantauit; vt dicitur Isai. 5. Vnde ipse ait Ierem. 2. *Ego plantaui vineam electam*, & ideò eius filius se appellat vitem, Ioan. 15. dicens. *Ego sum vitis vera*, scilicet in hac vinea nata. Sed heu! quia de multis queritur Dei filius dicẽs illud Isai. 2. *Vos deuastati estis vineã meam.* Et nos dicere possumus de nostro Iesu Christo illud Ierem. 12. *Pastores multi demoliti sunt vineam tuam.* De quolibet etiam prophanante conceptionem Beatissimæ Virginis, & ipsius innocentiæ cultum, ac venerationem prosternente, conqueritur idem Saluator dicens illud Ioel. 1. *Posuit vineam meam in desertum.* Beatus autem ille, de quo dici poterit in morte sua illud Prouerb. vlt. *De fructu manuum suarum plantauit vineam.* Pone igitur me ô Domine Deus custodem in hac vinea tua; non enim dicam, *vineam meam non custodiui*, Cantic. 1. Sed sepe circundabo eam, & fodiam in ea torcular, & in medio eius ædificabo turrim. Matth. 12. vt eam deuastare non possint bestiæ agri. Tu ergo clementissime Deus, qui dicis nobis illud 4. Reg. 19. *Plantate vineas, & comedite fructus earum*; qui etiam dixisti Ezech 27. *Plantabunt vineas, & habitabunt confidenter*, & Amos 9. *Plantabunt vineas; & bibent vinum earum.* & Mich. 4. *Sedebit vir subtus vineam suam.* Et Zachar. 3. *Vocabit vir amicum suum subter vineam suam*, & eiusdem cap. 8. *Vinea dabit fructum suum*, & Malach. 3. *Non erit sterilis vinea in agro.* Da mihi istam vineam tuam fertilissimam, vt faciam eam mihi hortum electum. 3. Reg. 21. Vt mediante tua gratia per laborem, & ministerium meum crescat hæc vinea in deuotione fidelium; ita vt verificetur de illa, quod dicitur Ezech. 17. *Crescit in vineam latiorem.* Tu igitur Paterfamilias, qui plantasti vineam, Luc. 20. & Matth. 21. qui existi primo manè conducere operarios

Qui Mariã inhonorat, Dei vineam vastat.

Vinea Mariæ colenda, id est, deuotio eius promouenda.

Vt ipsa proferat nobis vinum salutis.

rarios in vineam tuam; dic etiam illud Matth. 21. *Fili vade hodie operari in vineam meam.* O suauis operatio, ô dulcis labor, ô melliflua cultura huius vineæ, ex qua colligitur vinum illud, quod est exultatio animæ, & corporis: de quo vino verificabitur illud. *Vino torcularia redundabunt.* Et illud Ierem. 13. *Omnium laguncula implebitur vino*; & illud Isai. 24. verificabitur de nobis: *cum gaudio bibent vinum.* Ipsa enim Virgo Beatissima vxor tua, quæ est sicut *Vitis abundans in lateribus domus tuæ*, Psalm. 127. nobis continuè profert vinum suum dulcissimum, dicens, *Bibite amici, & inebriamini charissimi.* Cantic. 5.

Et sepem circumdedit ei, & fodit in eâ torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

Origenes homil. 19. in Matth.

Sepes custodiã denotat.

POPVLVS, qui fuit ante nos, cùm esset pars Dei, qui plantatus est à Deo; vinea fuit Dei. Custodia autem Dei, quæ existit circa eam, fuit sepes ipsius. Turris autem templum. Torcular autem locus libationum. Coloni autem Sacerdotes, & Sapientes populi. Peregrinatio verò Domini, quando Dominus, qui fuerat cum illis in nube diei, & in columna ignis per noctem, donec plantaret eos introducens in montem sanctum suum, nequaquam postea similiter apparuit. Multis interpositis. Manifestè sicut arbitror demonstrat, Mysteria Regni Dei vineam esse, id est, legem, & prophetas, & omnes diuinas Scripturas, quas tradidit Dominus vineæ, primum quidem colonis populo illi priori, quoniam & primis credita sunt eloquia Dei. Ipsas autem scripturas, & literas Scripturarum esse vineæ sepem extrinsecus circumpositam, vt non videatur vinea ab eis, qui foris sunt. Profunditas autem eloquiorum

Vinea eloquia diuina.

Torcular studium in diuinis

eloquiorum Dei torcular eſſe vineæ eius, in quam qui profecerunt de eloquiis Dei infundāt ſtudia ſua quaſi fructus, quos de ipſis eloquiis colligunt. Turrim autem ædificatam in ea, aſcenſum habentem, & altitudinem ſuper vineam ipſam, exiſtimo verbum eſſe de ipſo Deo, & de diſpenſationibus Chriſti. Et Templum, diuinos ſenſus, qui habentur in eo. Hanc vineam tradidit colonis, id eſt, populo ante nos, tàm Sacerdotibus, quam laicis, & profectus eſt, dans occaſionem colonis proferendi fructus.

S. Hieronym. Beda, Theophylactus in cap. 21. Matth.

Sepem circumdedit, vel murum vrbis, vel Angelorum auxilia torcular, aut altare, aut illa. Torcularia, quorum & tres pſalmi titulo prænotantur. *Turrim ædificauit*, haud dubium, quia tēplum, de quo dicitur per Micheam, *& tu turris nebuloſa filia Sion*; *Et locauit eam agricolis*, quos alibi vineæ operarios appellauit; *& peregrè profectus eſt*, non loci mutatione; *Nam Deus*, vnde abeſſe poteſt, quo complentur omnia? & qui dicit per Ieremiam. *Ego Deus appropinquans, & non de longinquo.* Sed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat.

Angelorum auxilia ſepis ſunt.

S. Chryſoſt. Comm. in cap. 5. Iſaiæ.

Sepem, ſeu maceriam, dicit, ſeu munitionem mœnium, aut legem, aut certè Dei prouidentiam, lex enim muro quouis tutiùs eos vndique cingebat. Quidam turrim interpretantur templum, torcular verò altare, nimirùm quia illic offerebantur fructus pro vniuſcuiuſque virtute, collecti ab vniuerſis item ſacrificiis. Ego vtique exiſtimo, quod per hæc ſignificare vult, quia quæ meam vnius operam deſiderabant, impleui omnia, omnem exhibui diligentiam. Nequaquam iuſſi, vt eam turrim exædificarent, vt eam tegerent, & communirent, non vt vineam

lex diuina ſeps dicitur.

vineam plantarent, sed opus ipsum omni sua parte absolutum eorum manibus tradidi.

S. Ambros. lib. 9. in Luc. 29.

Deus gnauis adest, abest ab ignauis.

P*Eregrè profectus est*, non quia ex loco ad locum profectus est, non ex loco ad locum profectus est Dominus, qui vbique semper præsens est, sed quia est præsentior diligentibus, negligentibus abest.

S. Basil. in cap. 6. Isaiæ.

Per sepem præcepta denotantur, per torcular, Synagoga.

QVid sepes innuit aliud, quàm præcepta, quę dedit populo priusquam induceret in terram promissionis. A Deo posteà prærogatæ sunt vires, quibus præualerent aduersus hostes, & gentes, quæ eam priùs incolebant regionem ad internecionem perducerent, id quod vallos ad suffulciendam vineam dixit. Turris autem in medio vineæ ædificata, profectò templum est in medio Iudææ collocatum. Torcular verò ipsa est Synagoga Iudæorum, quandoquidem prelum, siue trabes exprimendo vino accommodæ Ecclesiam Dei propriè insinuant ex omni gentium natione adornatam: cuius gratia regius Psaltes Cantica concinit epilenia, id est, *pro torcularibus*, dum videlicet exprimerentur vuæ. Quin etiam torcular præparatio est per legis obseruationem, & præmeditatio excolens animum ad pietatem.

S. Thom. de Aquino in cap. 21. Matth.

Sensus Scripturæ seps est.

SI per vineam intelligas iustitiam, quam posuit in doctrina legis, sepem dicit occulta verba Scripturæ; secundùm enim mysticum intellectum occulta Scripturæ nō sunt pandenda cuilibet. Torcular ponitur vt exprimatur vinum charitatis. Item intelliguntur Martyres, qui pro fide sanguinem fuderunt; Vel potest intelligi ordo Prophetarum, in quibus vinum sapientiæ est expressum. Vel potest dici profunditas sacræ Scripturæ; item totus fructus

vineæ congregatur in torculari, sic quicquid potest animus, totum debet congregare ad laudem Dei. Per turrim templum intelligitur, vel cognitio Dei Prouerb. 18. *Turris fortissima nomen Domini.* Dicitur peregrè proficisci quando non ad quamcumque culpam, pœnam infligit.

S. Bonauentura in cap. 20. Lucæ.

PEr sepem vineæ intelligitur Angelorum custodia; *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te, &c.* Per lapides electos intelligitur Patriarcharum stabilitas; per turrim autem sacra Scriptura, *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Per colonos intelliguntur duces, & proceres Synagogæ. Ideo autem dicitur locâsse; quia exigit pensionem; vnde dicitur. *Vir affert pro fructu eius mille argenteos; Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.* Huius coloni in Ecclesia; quæ vinea Domini est, sunt Episcopi, & Sacerdotes, vnde dicitur, *Ego plantaui, Apollo rigauit.* De hoc dicit Chrysostomus; Coloni sunt Sacerdotes, qui curam populi susceperunt, vel ad magnam gloriam, vel ad magnum periculum: ad gloriam si diligenter; ad periculum si negligenter egerint.

Sacra Scriptura diuina vinea turris.

S. Anton. de Padua. Vbi suprà.

TOrcular in animæ humanæ vinea est iustitia, quæ premit omnes vuas. Nota, vuæ sunt delectationes quarum quædam albæ, quia spirituales, quædam nigræ, quia temporales. Omnes autem premuntur in torculari iustitiæ; vinum ex eis rubrum, id est, charitatis exprimitur dulcedo; fæcibus vtique procul pulsis. Turris est prudentia, vulgariter enim prudentia est lex directiua. Hæc est turris Libani, quæ candidatio interpretatur; quia candida, & clara est prudentia.

Delectationes spirituales per vuas denotata.

Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.

S. Antonius de Padua serm in fer. 5. Post Dominicam 2. Quadragesimæ.

Diuini nuncij malè ab hominibus acc p. i.

EXPECTAVIT Deus tempus debitum, & tunc misit ad agricolas accipere fructus. Misit autem nuncios quamplurimos, & isti fuerunt malè tractati, quidam lapidati sicut Stephanus; quidam cæsi persecutionibus; quidam occisi sicut Isaias, & Ieremias. Secúndò, nuncios misit, scilicet duodecim Prophetas, sed & illis fecerunt similiter.

Victor Antiochenus in cap. 12. Marci.

Prophetæ primi Dei nuncij.

PEr primum seruum, eorum pastores, & Doctores designatos volunt, qui ætate Eliæ vixêre, & ipsum etiam Eliam, cæterósque Prophetas, qui tunc temporis apud Iudæos florebant. Per secundum verò Isaiam, Oseam, Amos, & reliquos hisce Patribus æquales. Per tertium autem Ezechielem, Danielem, aliosque illius ætatis Synagogæ Duces, & magistros.

S. Bernardinus Senensis tom. 3. serm. 18.

Anima instar vineæ exterminata non fructificat.

QVænam est causa quare fructus non reddimus? Respondeo, quia vinea animæ est exterminata: ***Exterminauit eam aper de sylua***: Ista sunt peccata, & Diabolus; quia aper, id est, Diabolus ingressus est ex eo, quod non

erat

erat ſeps, id eſt, præceptorum obſeruantia: non turris, id eſt, ratio, ſed ſenſualitas vigebat: non torcular bonæ voluntatis; his debebat reſiſtere contra hunc aprum, & pugnare noluit: hac ergo de cauſa vineam exterminauit, & fructus hæc vinea non reddere poteſt.

S. Thom. in cap. 21. Matth.

DOminus expectat vt reddatur ei beneficium ad ſuam gloriam. Quantùm ad vnum hominem fructus non eſt in pueritia, ſed plenâ ætate; vnde cùm venit ad adoleſcentiam, tunc petit fructus.

Adoleſcentia eſt tempus reddendorum Deo fructuũ.

S. Anton. de Padua ſermone allegato.

PRimi nuncij ſunt lex naturæ, quam habes ſcriptam in mente. Iſti nuncij nunquam venient, niſi tempore debitò, quia nunquam niſi poſtquam homo venit ad annos diſcretionis; tunc incipiunt fructum petere; ſed iſti perimuntur, dum ſcilicet rationis iudicium per paſſionem aliquam delectationis, iræ, ac ambitionis excæcatur. Secundi ſunt diuina præcepta, & iſti ſunt plures: Iſtos nuncios Deus mittit quando ſtudendo, vel audiendo informaris: Sed de iſtis adhuc peiùs agitur, quàm de primis.

Lex naturæ repetit à nobis fructus bonorum operum.

Nouiſſimè autem, miſit ad eos filium ſuum, dicens. Verebuntur fortè filium meum: Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe: Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius; & apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.

S. Bernard. ſermone 5. in Natali Domini.

VErebuntur filium meum, ait Pater miſericordiarum: verum id quidem Domine, reuerentur eum: ſed qui?

Venorerum fidelium eſt Deum reuereri.

non planè Iudæi, ad quos missus est, sed electi propter quos missus. Reueremur nos eum in præsepio. Reueremur in patibulo, reueremur in sepulchro; deuotè suscipiamus tenerum propter nos, cruentum propter nos, pallidum propter nos, sepultum propter nos reuereamur. Deuotè adoramus cum Magis, deuotè amplectimur cum Simeone sancto infantiam Saluatoris, suscipientes misericordiam tuam in medio templi tui.

Rusticus S. R. E. Cardinalis Disputatione contra Acephalos: tom. 4. Biblioth. SS. PP. part. 1. pag. 828.

DEus quidem impassibilis est per naturam, quod verò attinet ad Iudæos dicentes, *iste est hæres, interficiamus eum, & nos habebimus hæreditatem*; sic voluerunt perimere Filium Dei, vt nec resurgeret vlteriùs, neque verò esset omninò diuinitas eius, licet nullus eum potuisset extinguere: hi verò, qui hoc ipsum, quod est impossibile, intentione tamen propriâ, vt facerent instituerunt, iustè itaque Deicidæ vocantur, non à fine euentûs, sed ab ipso impetus, siue instantiæ crimine. Et sibimet ipsi occidit Deum, qui nec reputat esse illum, vel qui vitam propriam sic disponit, tanquam Deus non sit.

Deicidæ quinam iustè vocantur.

S. Anton. de Padua serm. suprà allegato.

E*Iecerunt eum extra vineam*, quia ad literam extra Ierusalem. ¶ Iterum extra vineam, quia dicebant ipsi, *Dæmonium habes*, & *Samaritanus es*, id est, transgressor legis; *& occiderunt eum*, volentes habere hæreditatem, vnde dixerunt: *quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum, &c.* Ecce quomodo voluerunt habere hæreditatem: & ideo hæc vinea fecit fructus amaros.

Eiiciunt Christum qui illi illudunt.

sanctus

Sanctus Iustinus Martyr. Quæstion. 6. ad Orthodoxos q. 140.

SI Christus seipsum hæredem nominat; huc autem iuxta parabolam agricolæ, hoc est Iudæi agnouerunt; & quia agriculturæ Domini esse concupiuerāt, hæredem tanquam hæredem necârunt: quomodo & ipse Christus, & Apostolus Paulus in tam temerario ausu imprudentiæ, eis perhibuerunt testimonium, ille quidem dicens: *remitte illis Pater; nesciunt enim quid faciant*: hic autem, *si cognouissent, haud quaquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Responsio. Imprudentia, siue ignoratio dupliciter dicitur. Aut enim non sponte sua quis ignorat, cùm ea res non habeat, quæ ipsum ad cognitionem ducat, aut voluntate suâ ignorat, & nosse tamen nolit. Atque hanc destinatam ignorationem, solita est sacra Scriptura nominare aliquando imprudentiam, siue inscitiam, aliquando scientiam, vt cum dicit, *& me nostis, & vnde sim nostis*; pro eo, quod est, ex operibus meis, & nomine meo, & sermonibus meis nosse potestis veritatem, nam qui per mendacium fallit, opera talia edere non potest. Et cùm ab Agricolis hæres est agnitus, quòd eum viderent in præsenti vitâ operum editione, & filij appellatione, supra omnem esse hominem juxta euidentem parabolæ descriptionem. Sed tum, quòd illum post mortem eius Deus è mortuis ad vitam immortalem esset resuscitaturus, & facturus hæredem vniuersorum, non cognouerunt. Nam & ipsa perspicua parabolæ descriptio, eius rei dilucidam, & perspicuam non habet designationem. Itaque de eiusmodi ignorantia dixit Christus: *Pater remitte illis, nesciunt enim quid faciant*; Similiter & Paulus: *Si enim cognouissent, haud quaquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

An Iudæi Christum cognoscentes esse Deum, illum occiderunt.

S. Bonauentura in cap. 20. Lucæ.

DVm dicit, *forsitan*, non notat dubitationem in Deo, qui certissimè omnia præuidet, sed arbitrij libertatem ad

Coniicere potuerunt Iudæi ex operibus Christi excellentiâ.

ad vtrumque vertibilem; vnde quòd Christum non sunt veriti Iudæi, non fuit defectus ex parte Dei, sed ex parte duritiæ cordis humani & dicunt, *hic est hæres*, per coniecturam veritatis; nam ex certâ scientiâ non cognouerunt, cùm non per fidem, sed per aliqua signa manuducentia ad credendum, quòd esset Messias in lege promissus peruenerint. Ideò non ignorantiâ, sed ex certa malitia contra ipsum conspirârunt: vnde glossa apertè probat, Iudæos, non ex ignorantiâ crucifixisse Filium Dei, sed per inuidiam. Intellexerunt enim eum esse, cui dictum est: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Quod ergo dicitur Actorum 3. *& nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis*; non excludit à Iudæis qualemcumque notitiam certam: vel dicitur; quoad minores, qui peccauerunt ex ignorantiâ. Nam maiores hoc fecerunt ex certa malitiâ, quia timebant perdere gloriam temporalem.

Sanctus Ambrosius lib. 5. de fide cap. 7.

Dubitatiuè loquens Deus humano more loquitur.

IN Euangelio secundùm Lucam Pater dicit. *Quid faciam? Mittam filium meum dilectissimum: forsitan hunc verebuntur.* Secundùm Matthæum autem, & secundùm Marcum habes; quoniam *misit Deus vnicum Filium suum*, dicens, *verebuntur filium meum.* In vno libro dicit, *forsitan*, & quasi nesciens dubitat: in duobus autem aliis libris; *Verebuntur*, inquit, *Filium meum*, hoc enim confirmat reuerentiam deferendam. Sed neque dubitare Dei est, neque falli; dubitat enim, qui ignorat quod futurum est; fallitur, qui aliud est secutum. Quid autem euidentiùs, quàm quod Scriptura habet, aliud Patrem dixisse de filio, & aliud accidisse? ille dixit, *verebuntur*; Filius autem vapulauit; illusus est, crucifixus est, mortuus est. Fefellit igitur Pater, an ignorauit, vel subuenire non potuit? (Quibusdam interpositis.) vtique ideò arbitror positum, *Verebuntur*, *&c.* vt quod de hominibus loquebatur Pater, humano locutus videatur affectu.

Sanctus

Sanctus Anton. de Padua, dicto sermone.

Mittitur ad te, ô homo, & anima, Filius Dei, dum scilicet tibi occurrit crucifixus pro te ante oculos cordis tui. Sed in veritate, facis peiùs quàm fecerunt isti, de quibus in Euangelio: quia saltem isti permiserunt intrare vineam, licèt postmodum eiecerunt: sed tu nullo modo permittis, quinimò ipsum perimis antequam huic vineæ per inspirationem valeat propinquare.

Qui crucifixo non compatitur ex corde, Iudæis peior est.

Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 14. pagina 657.

Et Filius Domini vineæ mittitur ad cultores, sicut & famuli de fructibus petitum. Sed non propterea vnus ex famulis deputabitur Filius, quia famulorum successit officio.

Christus successit famulorum Dei officio.

Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi. Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

S. Augustin. lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 70. tom. 4.

Matthævs cum dixisset, quòd Dominus interrogauit Iudæos; *cùm venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* Illos respondisse subiungit, atque dixisse: *malos malè perdet, &c.* Hoc tamen Marcus non ab ipsis responsum esse commemorat, sed Dominum hoc consequenter locutum post interrogationem suam,

ipsum

ipsum sibi quodammodo respondisse: ita dicit: *Quid ergo faciet Dominus vineæ; veniet, & perdet colonos, & dabit vineam aliis.* Sed facilè potest intelligi, vel illorum vocem, ita subiunctam, vt non interponeretur, *illi dixerunt*, aut *illi responderunt*, sed tamen intelligeretur; aut ideò responsionem istam Domino potiùs attributam, quia cùm verum dixerunt, etiam de illis hæc ipse respondit, qui veritas est. Sed illud magis mouet, quòd Lucas, non solùm eos respondisse non dicit, hæc etiam verba ipse quoque sicut Marcus Domino attribuens, verum etiam contrariam retulisse responsionem dicentes, *Absit.* Ita enim narrat; *quid ergo faciet illis Dominus vineæ? Veniet, & perdet colonos, & dabit vineam aliis. Quo audito dixerunt illi, Absit. Ille autem aspiciens eos, ait. Quid est ergo hoc, quod scriptum est; lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Quomodo ergo, secundùm Matthæum illi, quibus hæc loquebatur, dixerunt; *Malos malè perdet, &c.* cum secundùm Lucam talibus verbis contradixerunt, dicentes, *Absit.* Et re vera, quòd secutus Dominus ait de lapide reprobato ab ædificantibus, & facto in caput anguli, ita illatum est: vt hoc testimonio conuincerentur illi parabolæ contradicentes. Nam, & ipse Matthæus hoc sic commemorat dictum, tanquam contradicentibus, cum ait. *Nunquam legistis in scripturis; lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli:* Quid est enim, *nunquam legistis*, nisi quia hoc responderent, quod esset contrarium? Hoc & Marcus significat, qui hæc ipsa verba ita refert. Nec scripturam hanc legistis, *lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli:* Quæ sententia secundùm Lucam magis apparet hoc loco sua dicta, post illorum contradictionem, qua dixerunt, *Absit.* Tantumdem enim valet, sicut hoc etiam ipse ponit. Quid est ergo hoc, quod scriptum est, &c. Hanc enim sententiæ voluntatem intimat, siue *nunquam legistis*, siue *nec hoc legistis*; siue *quid est ergo hoc, quod scriptum est?* Restat ergo, vt intelligamus in plebe, quæ adstabat quosdam respondisse, quod Matthæus commemorat; Aiunt illi, *malos malè perdet, &c.* Quosdam verò illud, quod Lucas non tacuit,

tacuit, hoc est *absit*. Illis ergo, qui illud Domino responderant, illi alij responderunt, *absit*: Sed illorum responsio, quibus isti responderunt, *absit*, propterea Domino tributa est, & à Marco, & Luca, quia sicut dixi per eos veritas ipsa locuta; siue per eos veritas ipsa locuta, siue per nescientes, si mali erant, sicut per Caipham, qui nesciens quid dixerit, prophetauit; siue per scientes, ac iam intelligentes, atque credentes.

S. Hieronym. in cap. 21. Matth.

INterrogat eos Dominus, non quod ignoret quid responsuri sunt, sed vt propriâ responsione damnentur. Locata est autem nobis vinea, & locata est conditione, vt reddamus Domino fructum temporibus suis, & sciamus vnoquoque tempore quid oporteat nos, vel loqui, vel facere.

Contemptores Dei propria sententia damnantur.

Auctor oper. imperfecti homil. 40. in Matth.

NOn est illorum, quod iustè iudicauerunt, sed ipsius causæ; est enim causa veritatis, quæ quasi violentiam illis fecit, vt non possent eam celare. Sicut Sole in nubibus constituto, hoc, quod dies, non est nubium permittentium eum apparere super terram, sed virtus Solis, quæ transiens nubes, etiam impedientibus eis apparet: sic iuxta pronunciauit Iudæorum non placita, sed opposita malignitas errauerunt benedicendo. Nam mendaces, quantùm ad se, tunc mentiuntur, quando dixerint veritatem; sed in hoc sæculo, vbi licet hominibus aliud sentire in corde, & aliud dicere in sermone, tamen ita veritate Christi circumdantur homines, & tenentur, vt ipsi aduersus se iudices fiant. Putas, quomodo in die iudicij conuincendi sunt peccatores in suis peccatis, itaut nullum colorem excusationi inueniant? Vbi ipsa opera statuentur ante oculos peccatoris, dicente Propheta: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam peccata tua*: Vbi animam ipsæ cogitationes cordis accusant, & contra excitatur consciētia quasi domestica testis. Sic Sacerdotes vineæ spiritualis cultores, qui populum non ad Dei gloriam exercebant, sed ad suum

Iusta sententia ab iniustis iudicibus in votis extorquetur veritate cogente.

lucrum fructificabant, ita eos Dominus suis parabolis conclusit, vt ipsi se sua sententia condemnarent. Quis illum defendet, qui seipsum accusat? Aut quis eum existimet innocentem, qui seipsum pronunciat reum? Væ animæ, quæ sibi defensorem conscientiæ non præparat in die Iudicij. Datur enim nobis exemplum, vt per hoc iudicium consideremus futurum iudicium Christi.

Euthym. in cap. 21. Matth.

Vinea diuinerum mandatorum Iudæis erepta, Christianis Episcopis traditur.

NOlentes prophetant & ipsi, quod futurum esset. Veniens enim Dominus huius vineæ, putà Christus hæres à mortuis resurgens; ac propriâ potestate reuersus, tradidit eos Romanis in perditionem, & interitum. Locum autem vineæ locauit Christianorum Episcopis, qui temporibus suis, quando videlicet Christianorum tempora florebant, varias virtutes fructificabant.

Dicit illis Iesus: nunquam legistis in scripturis; lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

S. Bernardin. Senens. tom. 1. serm. 6. in fer. 5. post Cineres artic. 2. cap. 2.

Christi Incarnatio Angelis reuelata.

EXPONENS *Illud Iob.* 34. Quis deiecit lapidem angularem terræ, cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes Filij Dei: *ait.* Lapis angularis est Christus, sicut ipsemet ait Matth. 21. cap. *Nunquid legistis in Scripturis, lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, &c.* Hunc lapidem tunc Deus deiecit, cùm Angelis per reuelationem incarnandum Christum esse ostendit: de quo ipsum laudabant astra matutina, id est, Angeli

geli

geli creati, & iubilabant omnes Filij Dei, id est, Angeli iam beati: ex hoc patet, quòd Angeli etiam, sicut & nos, Filij Dei denominantur, ad quorum amorem tamquam ad fratres anima dilatatur.

Idem eod. tom. serm. 23. fer. 6. Post Dominic. 2. Quadragesimæ, in principio.

LApidem, scilicet Christum, (cuius virtus, & veritas est solida velut lapis) *quem reprobauerunt*, id est, per detractiones reprobabilem ostenderunt; *ædificantes*; id est, Sacerdotes, Scribæ, & Pharisæi, *hic factus est in caput anguli*: non tantum quòd Iudæos, & Gentiles in vnam Ecclesiam congregauit: sed multò ampliùs, quia in actione diuinæ gloriæ Angelos, & homines copulauit. *Et verè à Domino factum est istud.* *Eiusdē gloria vtrique participes.*

Theodoret. comm. in Danielem orat. 2. ibi, Ecce Ego mittam in fundamentis Sion lapidem, &c. tom. 1. pag. 660.

DOcemur tàm in veteri, quàm in nouo Testamento Dominum nostrum Iesum Christum, appellatum fuisse lapidem. Hic enim excisus est à monte sine manibus, natus de Virgine, absque nuptiali commercio. *Christus lapis excissus sine manibus.*

S. Theophylus Alexandrinus Episcop. epist. Paschali 3. tom. 3. Bibliotheca, pag. 110.

IPse, de quo scriptum est, *lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, &c.* Nos, & eos, qui sursum sunt vnâ solemnitate consocians; ad quem cursu celeri nauigantes, rabiem contra nos hæreticorum fluctuum velociter dissoluendam minimè formidemus. *Christus lapis angularis, nos beatis consocians.*

S. Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 497.

QVemadmodum angularis quidam lapis duorum parietum vinculum esse inuenitur, ad arctissimam, ac firmissi *Christi Incarnatio terrena diuinis iunxit.*

firmissimam coniunctionem, eos inter se deuinciens, eodem modo Domini nostri Incarnatio duobus Orbis populis inter se copulatis, atque in vnum corpus, atque vnum spiritum compactis, in caput anguli effecta est, firmam, ac minimè nutantem coniunctionem interpositu suo custodiens.

S. Hieronym. in cap. 28. *Isaia.* ibi. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, &c. tom. 4. pagina 104.

ISte lapis, (id est, Christus Iesus) verè, & secundò appellatur lapis; sicut & in Leuitico (17. secun d. 20.) homo, homo bis dicitur: & angularis lapis, quia circumcisionis, & gentium populos copulauit: de quo & in psalmo dicitur, *lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, &c.* Isti sunt autem ædificantes, & cementarij, qui nunc appellantur viri illusores, & principes populi, qui est in Ierusalem. De hoc lapide & in Daniele legimus, quòd excisus sit de monte sine manibus, & impleuerit vniuersum Orbem, eo quòd diuini germinis dispensatio humanum corpus assumpserit, & habitauerit in eo plenitudo Diuinitatis corporaliter. Super hunc lapidem; qui alio nomine appellatur petra, Christus ædificauit Ecclesiam.

Idem in cap. 19. *Isaia explicans illud :* deceperunt Ægyptum angulum populorum eius, *ait.*

IDioma scripturarum est, vt angulum pro regno ponant, eò quòd populos contineat, quasi in tota domo fortissimum sit. Vnde & Christus duorum populorum parietes continens, lapis dicitur angularis.

Sanctus Gregorius Papa epistol. lib. 6. epistol. 7. tom. 2. pagina 599.

LApidem, *quem reprobauerunt*, &c. De hoc eodem lapide protinus subditur: *Hæc dies*, *quam fecit Dominus.* Ipse enim, qui pro fortitudine constructionis dicitur lapis; pro illuminationis gratia appellatus est dies, qui etiam factus est, quia incarnatus est. *Christus lapis est, & dies.*

S. Fulgent. sermone de Epiphan. pag. mihi 127.

IVdæi, & Gentes sunt duo parietes, qui ex diuerso venerunt; & in lapidem, qui factus est in caput anguli, in vnitate fidei conuenerunt; duo isti parietes longè à se diuersi erant, quando diuersa credebant. Positus est in medio lapis angularis, qui ad se vtrumque parietem duceret, & vtrumque vno nomine nuncuparet, esséntque vnum communione vocabuli, qui fierent vnà in vnâ gratiâ Sacramenti. Per Christum enim, *qui est pax nostra*, *faciens vtraque vnum*, Iudæi, & gentiles facti sunt vnum, quibus fidei vnitas vnum indidit nominis Christiani vocabulum. Ad lapidem ergo angularem vterque paries venit, & verum angulum fidei vnitas fecit. Horum duorum parietum vnus adductus est, quando pastoribus Iudæis Christum natum Angelus annunciauit: alter paries adductus est, quando gentilibus Magis nouum sydus apparuit. *Iudæi, & gentes duo parietes sunt, quos iungit Iesus.*

S. August. serm. 34. de tempore: qui est 6. de Epiphan. tomo 10. pag. mihi 230.

HIc infans natus, atque annunciatus ostenditur lapis ille angularis: iam in ipso primordio natiuitatis apparuit; duos ex diuerso parietes in se copulare iam cœpit, pastores à Iudæa, Magos ab Oriente perducens: vt duos conderet in se vnum hominem nouum. *Hoc figuratū in pastoribus, & Magis Christum adorantibus.*

Beda in cap. 4. Actuum Apostolorum tomo 5. col. 876.

Iudæi ædificantes destruunt scripturas non credentes in Christum.

ÆDificantes erant Iudæi, qui cunctis gentibus in desolatione Idolorum morantibus, ipsi soli legem, & Prophetas ad ædificationem quotidie legebant. Hi dum ædificabant, peruenerunt ad lapidem angularem, qui duos parietes amplecteretur, id est, inuenerunt in scripturis Propheticis Christum in carne venturum, qui duos conderet populos in semetipso, & quia ipsi in vno pariete stare, hoc est, soli salui fieri malebant, reprobauerunt lapidem, qui non erat aptatus ad vnum, sed ad duos. Verùm Deus, illis licet nolentibus, hunc ipsum posuit in caput anguli, vt ex duobus testamentis, & ex duobus populis ædificatio surgeret vnius, eiusdemque fidei.

Oecumenius enarrat. in cap. Actuum Apostolor.

Vnio gentium in fide opus.

SVb Petri personâ ad Hebræos verba faciens, ita dicit. Hic lapis, qui à vobis quidem ædificium ordinantibus reprobatus est, factus est in caput anguli in ædificio fidei, vtrumque coniungens parietem, nempè Iudaicum populum, atque Gentilem in vnius fidei concordiam. Considera verò quòd etiam id, quod sequitur, Psalmistæ explanat oraculum, quo dicitur: *à Domino factus est iste*, tanquam copula, ac coniunctio salutaris, id indicans, quòd omnis homo à nullo alio, quàm à solo angulari lapide factus.

Nicolaus de Lyra in psalm. 117. in principio.

Lapis in templo Salomonis reprobatus, tandem aptus inuentus est.

HOc, quod dicit, *lapidem, quem reprobauerunt, &c.* Exponunt quidam de quodam lapide ædificij templi Salomonis, qui frequenter à latomis fuit oblatus in ædificium muri: sed semper inueniebatur nimis longus, vel nimis curtus, & sic pluries reiectus fuit ab eis tanquam ineptus: sed in consummatione muri, in copulatione duorum parietum

parietum inuentus fuit aptissimus, quod pro mirabili fuit tunc reputatum, quod præuidit Dauid,& scripsit fiendum: & sic sensus literalis est hic de illo lapide materiali, & de Christo mysticè tantum exponitur. Sed saluo meliori iudicio, hoc non videtur mihi concordare verbis Christi Matth. 21. qui de seipso à Iudæis reprobando dicit eis. *Nunquam legistis in scripturis: lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? à Domino factum est istud, &c.* Item Actorum 4. Petrus ostendens principibus Sacerdotum Christi glorificationem, post eius passionem, dicit de eo. *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, &c.* Ex quibus patet, quòd psalmus iste, quantùm ad istam partem intelligendus est de Christo ad litteram. Quod autem supra inducitur de lapide angulari in ædificio templi Salomonis non obstat, tum quia non habetur ex Biblia 3. Reg. & 2. Paralipom. vbi agitur ad literam de illo ædificio: sed solum hoc inueni dictum à Magistro Petro Comestore in historia Ecclesiastica super 3. Regum: & ideo suppono quod dictum eius sit verum, tamen sensus literalis in hoc psalmo est de Christo.

Euthymius in psalm. 117. *num.* 22.

PEr ædificantes, Sacerdotum Principes intelligit, ac Scribas, & Doctores Iudæorum, quibus cura commissa fuerat ædificandi,& perficiendi populum in fundamento legis. Lapis verò reprobatus, sine dubio Christus est, lapis quidem ob summam soliditatem, & constantiam aduersùs omnia vitia: reprobatus verò ab ædificantibus, vt inutilis: quia Iudæi Samaritanum eum dicebant, & negabant eum esse à Deo: quinimò populi seductorem appellabant. Verùm, lapis iste, ita postmodum approbatus fuit, vt factus sit in caput anguli. Neque enim omnis lapis esse potest angularis; sed ille tantùm, qui aliis probabilior est, & ex vtroque latere potest in vnum angulum duos parietes colligare. Christus verò effectus est lapis angularis, in seipso duos populos in vnam fidem coniunxit; fidelem nimirum *Christus ob soliditatem lapis dictus.*

mirum

mirum populum ex circumcisione, & illum, qui ex Gentibus. Vel per angulum intelligit Ecclesiam fidelium; quia quemadmodum angulus facit duos parietes in se coniungi, ita etiam Ecclesia duorum populorum coniunctionem, atque vnitatem operatur: huius autē Ecclesiæ, quam lapidi angulari comparari diximus, Christus caput est tanquam vnius corporis præcipuum, ac principale membrum, nec tantùm caput, sed coniunctio, & vinculum, & fundamentum. *A Domino factus est iste*; nimirum iste angulus, hoc est ista duorum parietum, seu potiùs duorum populorum coniunctio à Deo ipso, & non à simplici quopiam homine facta est, & est mirabilis in oculis nostris; eo quòd digni effecti sumus, vt coniunctionem hanc oculis videamus.

Ideo dico vobis, quod auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

S. Bernard. allegato sermone 63. in Cantica.

Fructus animi. IVxta nostram disciplinam iam ostendimus spirituales vineas, non nisi spirituales viros esse; quorum cùm omnia interiora culta sint, omniàque germinantia, omnia fructificantia, & parturientia spiritum salutis; quomodo de regno Dei, sic de his vineis æquè Domini Sabaoth possum dicere, quoniam intra vos sunt. Denique in Euangelio legitur dari *genti facienti fructus eius*. Hi sunt, quos Paulus enumerat, dicens: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas*, fructus isti profectus nostri. Hi accepti sponso, quia ipsi cura est de nobis: Nunquid de virgultis cura est Deo? Homines, non arbores amat Homo Deus, & nostros profectus suos fructus deputat. Tempus bonum diligenter obseruat, arridet apparentibus, & solicitus satagit ne pereant nobis,

Quorum tempus obseruat.

cum

cùm apparuerint, imò verò ne percant sibi, se enim reputat tanquam nos.

Origen. tractatu 19. in Matth.

SIne dubio nemini datur Regnum Dei, id est, verbum Domini, nisi facientibus fructum de eo; & nemini, qui à peccato regnatur, datur Regnum Dei. Dicet aliquis: si nemini datur Regnum Dei fructus eius non facienti, quomodo illi populo datum est, à quo & oblatum est? Considera, quia cùm vinea illi populo traderetur, non est dictum, & dedit eam colonis, *sed locauit; hîc autem habetur dabitur.* Indissolubilis erat quæstio, si quemadmodum dixit illis locauit, similiter etiam hic dixisset; locauit eam aliis colonis. Quoniam quod datur, intelligitur quod gratis datur, quod locatur autem, non omninò gratis datur. Quibus ergo collocauit, non omninò quasi electis, & fidelibus tradidit, & locauit; quibus autem donauit, cum iudicio electionis merito eorum donauit. *Vinea Dei Iudæis locata, fidelibus data.*

Idem in cap. 3. epistol. ad Roman. tom. 2. pag. 316.

DOminus cùm in Euangelio dicit ad Iudæos loquens: *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius:* puto quòd, sensum legis dixerit, qui ablatus est à Iudæis, & datus est gentibus, qui possint per fidem fructum spiritus facere. Quæ cùm ita sint, cur tam ignauus, & desides sumus, vt non tandem abiectâ omni malitiâ, cum simplicitate, & puritate cordis ad suscipienda Dei eloquia properemus, & ad capiendum de his sensum Christi? Quippe cùm audiamus in his esse Regnum Dei. *Regnum Domini appellatur sacra Scriptura.*

Abulensis in cap. Matth. 21. q. 196.

ALiqui accipiunt per Regnum Dei sacram Scripturam; quæ data fuit Iudæis, & manebat in potestate Sacerdotum; cùm autem reprobati sunt, fuit ablata

scriptura ab eis. Sic dicit Chrysostomus. Secundò potest accipi Regnum Dei pro intellectu sacræ Scripturæ; quem habebant Sacerdotes, & legis periti Iudæorum, qui post Christi aduentum, & prædicationem, & occisionem ablatus est ab eis, quia excæcati sunt. Hic intellectus Scripturæ datus est alteri genti, quia totus pendebat in hoc, quod erat agnoscere eum; quem tota Scriptura promittebat, Hunc autem intellexerunt Gentiles, & generaliter omnes credentes ex quacumque natione essent. Tertiò potest accipi Regnum Dei in terra, & disponi ad Regnum Dei, quia super istos, qui in ea sunt, regnat Deus per gratiam, & non super alios. Quare accipitur Regnum Dei pro potestate super Regnum Dei, id est, super Ecclesiam, hanc tenebant Principes Sacerdotum; quibus Deus tradiderat potestatem ministrandi, & omnia iura prouenientia ex sacrificiis, & oblationibus, & de hoc maximè intelligitur dictum Christi.

Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem verò ceciderit, cōteret eum. Et cùm audiuissent Principes Sacerdotum, & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quòd de ipsis diceret: & quærentes tenere eum, timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.

S. Augustinus sermone 40. de verb. Domini tom. 10. pag. 59.

Offendere in Christum, est illum humilem contemnere.

CHRISTVS est lapis, de quo ipse dixit; *quicumque offenderit in lapidem illum, conquassabitur: super quem verò venerit, lapis ille conteret eum.* Offenditur in iacentem; veniet autem super eum; cùm venerit de alto

iudicare viuos, & mortuos. Væ Iudæis, quia cùm iaceret humiliter Christus, offenderunt in eum. *Non est*, dicunt, *homo iste à Deo, qui soluit Sabbathum: si Filius Dei est, descendat de Cruce.* Insane, iacet lapis, & ideo rides. Sed cùm rides, cæcus es: cùm cæcus es, offendis; cùm offendis, conquassaris; cùm quassatus fueris, illo modò iacente, postea veniente desuper, contereris.

S. Bonauentura in cap. 20. Lucæ.

CHristus lapis est, de quo Petrus ait: *ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum,* sequitur: *& ipsi tanquam lapides viui:* imaginandus est ergo Christus tanquam lapis essentialis in toto corpore Ecclesiæ, quòd circumferentiæ circuli comparatur, ad quem quidem omnes lineæ deductæ angulum faciunt, & vniuntur in ipso, tanquam in puncto, in quo fit osculum linearum Crucis, in medio scilicet sui concurrentium in vnum. Est ergo lapis iste stabiliens electos, & è contrario; est conterens aduersarios; & ideo subdit; *omnis, qui ceciderit; &c.* per consecutionem peccati: *super quem autem ceciderit, comminuet eum*, per visionem iudicij futuri. Culpa enim, naturam infirmam reddit, sed pœna æterna totaliter conterit, & in puluerem reducit. Vnde Glossa: *qui modò contemnit, & iniuriis afficit, nondum penitus interit, sed quassatur, vt non ambulet rectus; cadit autem super eum lapis, quem veniens in iudicio opprimit.* Ad hunc ergo lapidem pedem offendunt, qui in ipsum non credunt, vel non imitantur: sed qui condemnantur, ab hoc lapide conteruntur.

Christus lapis, & centrum humile Ecclesiæ.

Nicolaus de Corran. Comm. in Euang.

SEcundò exprimitur sic: super lapidem cadit, qui venialiter peccat, qui non à veritate cadit, sed in charitate super illum lapis cadit, qui mortaliter peccat, qui quasi comminuitur, dum ex se totaliter perit.

Cadere super lapidem est, peccare venialiter.

Sanctus Augustinus Quæstion. Euang. lib. 1. q. 30.

Christum contemnens, super illum cadit.

QVod Dominus dicit: *Super quem verò ceciderit, conteret eum*, de his dicit, qui cadent super eum, qui illum modò contemnunt, vel iniuriis afficiunt; ideo nondum penitus intereunt, sed tamen confringuntur, vt non recti ambulent. Super quem autem cadit, veniet illi desuper in iudicio cum pœna perditionis; ideò dixit, *conteret eos, vt sint impij tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.*

Abulens. in cap. 21. Matth. q. 191.

ILle super lapidem Christum cadit, qui super illum est, qui autem super illum est, fundatur super eo, & ita significantur super hoc credentes, qui Christum pro fundamento habet. Cadit autem super Christum, quicunque non perdita fide peccat in actione cuiuscumque generis sit, & iste confringitur, id est, læditur, quia peccat mortaliter, & est dignus morte æternâ, & tamen non est magnum vulnus, sed solùm confractio; eò quòd cum fides maneat, potest faciliter peccatum tolli, cùm quis ad Christum ingemuerit. Super illum verò cadit lapis, id est, Christus, qui sub se non habet Christum, id est, minimè credit in eum, & ita non habet eum pro fundamento; & quia non habet eum sub se, necesse est, vt habeat supra se, id est, quòd eum, quem non tenent, vt fundamentum, teneat super se, vt Dominum, & paueat vt vltorem. Tunc autem lapis cadit supra hominem, cùm peccat in fide; quia tale peccatum est irremediabile.

Qui Domino per fidem non innititur, Dominum vindicem habet supra se.

Richardus à sancto Laurentio de laudibus Beatæ Mariæ lib. 10. pagina mihi 582.

CHristus dicitur lapis, quia confringit cordis hominis duritiam. Matth. 21. *Qui ceciderit super lapidem istum, &c.* Et ipsemet *malleus conterens petras.* Ieremiæ 23.

F I N I S.

INDEX
RERVM, ET VERBORVM.
Juxta numerum foliorum.

Cinis.

Clericus.

Episco

Retento

Fides.

Fruitio.

G.

Gentilis.

Gradus.

Gratia.

H

Hæresis.

Iob

Fiat

O.

Obedientia.

Prædestinatio.

Prælatus.

Præsul.

in

Senten

Pari

Temporalia, Tempus.

Tessera.

Torcular.

Tribulatio.

V.

Veritas.

Vestimenta.

Villicus.

Vinea.

Virgo, & Virginitas.

Virtus.

FINIS.